11-E-50

QUINTI HORATII FLACCI

OPERA.

I dhb 35/2

EXPURGATA ET ACCURATIS NOTIS ILLUSTRATA

IN USUM

STUDIOSAE JUVENTUTIS

EDITA

A

BERNARDO SCHWINDL

CIST. ORD. PRESBYTERO, ET CLASSIUM HUMANITATIS IN C. R. GYMNASIO NEOSTADIENSI PROFESSORE P. O.

2469/I

TOMUS II.

Mirbury

611/524.

VIENNAE.

SUMTIBUS FRIDERICI VOLKE LIBRARII.

TYPIS ANTONII STRAUSS.

1825.

Q. Horatii Flacci

Satyrarum

sive Sermonum *)

Liber I.

Satyra I.

Argumentum.

Collectis sermonibus I. et II. libri Horatius hunc sermonem, dedicationis loco ad Maecenatem, sicut primam darum, collectioni huic praeposuisse videtur. Primaria arminis sententia est: Diversa sunt hominum studia, ita quidem, ut, votorum suorum compotes facti, sorte sua minus contenti aliam iterum potiorem praedicent, sibique expostulent. Hoc exemplis illustrato, transit poëta ad unum et praecipuum fontem hujus aegritudinis animi, ad avaritiam, quam facete ridet, et ut perniciosam exponit, cum opes plurimi quidem maxime desiderent, obtentis autem neque satientur, neque fruantur.

Qui [1]) fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio [2]) dederit, seu fors objecerit, illa
Contentus vivat, laudet [3]) diversa sequentes? —
O fortunati [4]) mercatores! gravis [5]) annis

*) Satyrae Horatii sermones vocantur, quia carmina sunt, ut ipse vocat, sermoni et prosae propiora.

1) Qui fit, id est: quomodo fit, quae causa est, quod nemo illa sorte, vitae conditione, quam vel ipse sibi elegit, vel fortunae casus eidem objecit, adduxit, contentus sit?

2) Ratio idem ac consilium, quo certa vitae ratio eligitur, opposita casui fortunae, quae omne consilium omnemque deliberationem excludit; quapropter etiam fors adprime dicitur objicere sortem illi, cui non est potestas eam eligendi.

3) Laudet, id est: probet quisque a suo diversa vitae genera; felices praedicet eos, qui suo dissimilia vitae genera sequuntur.

4) Sensus est: miles senectute ac laboribus debilitatus sibi mercatoris, mercator e contra tempestate jactatus militis sortem ac conditionem sibi exoptat.

5) Gravis, id est: qui habet multos annos; veteranus, qui exacta militis aetate, seu post 46tum annum denuo statum militiae adire cupit. Vide Antiquitates.

Miles ait, multo jam fractus [6]) membra labore.
Contra [7]) mercator, navim jactantibus Austris [8]):
Militia est potior [9]). Quid [10]) enim? concurritur, horae
Momento aut cita mors venit, aut victoria laeta.
Agricolam laudat juris [11]) legumque peritus,
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
Ille [12]), datis vadibus [13]), qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Cetera [14]) de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
Delassare valent Fabium. Ne [15]) te morer, audi,
Quo rem deducam. Si quis Deus: en ego, dicat,
Jam faciam, quod vultis [16]): eris tu, qui modo miles,

6) Fractus membra labore; Graeca constructio, pro: membris, corpore debilitatus jam per multum laborem.

7) Contra mercator, subauditur: dicit.

8) Austris, pro ventis quibuscunque et tempestatibus; Auster enim seu ventus meridionalis praecipue dominatur in mari Adriatico. L. I. od. 3. Quo non arbiter Adriae major, tollere seu ponere vult freta.

9) Potior: magis optanda, praeferenda est militia mercaturae.

10) Quid enim? quid ni? cur non? quid enim tantum in ea periculi et laboris est? quid est, quod contradici queat? concurritur, pugna committitur, et horae seu temporis momento contingit illi vel mors cita, velox, non dolorosa; vel victoria laeta, jucunda, honoris plena.

11) Sensus est: juris peritus laudat, beatam praedicat vitam agricolae, cum sub galli cantum, id est, summo mane consultores, clientes, patronum consulturi, consilium ab eo petituri, veniunt, ac eum e dulci et amoeno somno proturbant.

12) Ille agricola contra, datis vadibus extractus rure in urbem, id est: quem res juridica in urbem migrare coëgerat, clamat, exclamat, praedicat etc.

13) Vadibus datis: forensi jure veteri Romanorum, qui coram judice citabatur, praesertim in criminis causa, jubebatur aut statim respondere; aut si opus dilato esset, dare illum oportebat vades, qui pro se vadarentur, hoc est, sponderent, adfuturum illum dicta die, ut vadimonium obiret, et causam defenderet praesens. His autem datis vadibus, licebat reo, quo vellet, vadere, donec adveniret judicii dies; quo si non compareret, sponsorum erat satisfacere adversario.

14) Cetera: tam multa sunt ejusmodi exempla; tam multi existunt, quos sortis suae similiter poenitet, ut delassare, defatigare possint Fabium Maximum Narbonensem, qui aliquot libros, pertinentes ad Stoicam philosophiam, probabilius verbose satis scripserat; quapropter et poëta illum hic obiter carpit.

15) Ne te morer, id est: ne te diutius teneam, breviter dicam, quo rem deducturus sim, quem in finem haec exempla adduxerim: ut nempe videas, quid de talibus querelis hominum judicandum sit.

16) Vultis, optatis, desideratis.

Mercator: tu consultus [17]) modo, rusticus; hinc vos,
Vos hinc mutatis [18]) discedite partibus. Eja,
Quid statis [19])? Nolunt [20]). Atqui licet esse beatis [21]).
Quid causae [22]) est, merito quin illis Jupiter ambas
Iratus buccas inflet; neque se fore posthac
Tam facilem dicat [23]), votis ut praebeat aurem?
Praeterea ne [24]) sic, ut qui jocularia, ridens
Percurram: quamquam [25]) ridentem dicere verum
Quid vetat? ut [26]) pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.
Sed tamen amoto quaeramus [27]) seria ludo.
Ille [28]), gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus [29]) hic caupo, miles, nautaeque, per omne

17) Consultus, juris peritus, causidicus.

18) Mutatis partibus: conditionibus vitae mutatis. Sumtum videtur e theatro et scena, in qua dicuntur proprie actores suas agere partes.

19) Eja quid statis? cur non properatis, quid moras nectitis?

20) Nolunt, recusant mutare sortem suam alterius conditione.

21) Beatis, Graece pro: beatos. Sensus: et tamen votorum compotes fieri possunt; licet, fas est fieri felices.

22) Quid causae est etc. Sensus est: quae impediat causa, quominus Jupiter istis, quemadmodum profecto merentur, utrinque buccas, genas alapis caedat, ut bene tumeant; inflare enim idem etiam, ac tumorem causare; praeterea buccas inflare prae ira indigne dictum videtur de Jove. Igitur non buccae Jovis, ut plerique volunt, hic intelligendae sunt, sed eorum, quibus merito irascitur, inflicta nempe illis in utramque genam gravi alapa, qua digni sunt.

23) Neque dicat, id est: contestetur, se imposterum non futurum adeo facilem et indulgentem, ut eorum votis ac precibus aures accommodet.

24) Ne sic: ne, quemadmodum, qui jocularia narrat, ea ridens percurrit; ita et ego ridens percurram, quod coepi; ne rem tantam delibem leviter.

25) Quamquam quid vetat? Sensus: licet nihil omnino impediat, etiam ridendo veritatem dicere.

26) Ut: quemadmodum pueri, datis crustulis, id est, libis et placentis, olim, seu quandoque a doctoribus et magistris inducuntur, ut prima literarum elementa sponte ac libenter condiscant.

27) Quaeramus seria, id est: disputemus, loquamur, remoto ludo, sine joco de hujus inconstantiae causa primaria, tamquam de re seria, de re magni momenti. Ordo totius est itaque: Attamen, ne rem tantam, tam gravem delibem leviter, ut solent facere, qui narrant res joculares et leves, licet veritatem etiam jocando dicere fas sit, causam hujus inconstantiae serio investigabo et disquiram.

28) Circumscriptio poëtica agricolae. Gravis terra, quae adeo pinguis, ut difficulter moveatur, aretur, sed eo magis fertilis est.

29) Perfidus seu improbus caupo dicitur, quia hujus generis homines,

Audaces mare qui currunt [30]), hac mente [31]) laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Ajunt, quum sibi sint congesta cibaria: sicut
Parvula, nam exemplo est magni formica laboris,
Ore trahit, quodcunque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.
Quae [32]), simul inversum [33]) contristat Aquarius annum,
Non usquam [34]) prorepit, et illis utitur ante
Quaesitis sapiens: cum [35]) te neque fervidus aestus
Demoveat lucro; neque hiems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
Quid juvat [36]) immensum te argenti pondus et auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem [37]).

qui ad vias domicilia sua habebant, et peregrinantibus merces, victum aliasque res necessarias subministrabant, in Italia et Graecia ob defraudationem infames erant; quare in Graeco καπηλευειν idem, ac defraudare, vitiare. Non sunt autem cum mercatoribus confundendi.

30) Currunt, navigant nautae, id est, mercatores.

31) Ordo est: ajunt, eo consilio se laborem ferre, ut, cum senes fuerint, habeant perfugium suae senectutis, et paratam quietem, nempe, collectis per laborem opibus et provisis cibis fruantur: sicut formica, quae, licet parvula, ab illis tamen ut exemplum magni hujus laboris adfertur, quae, quidquid potest, pertrahit ore, et adjicit cumulo, quem struit, et majorem in dies facit, praescia et sapienter cavens futuro.

32) Hic respondet Horatius, eodem exemplo utens contra avaros. Sensus est: quae, pro: at formica etiam partis sapienter fruitur; tu vero non.

33) Simul, pro: quamprimum Aquarius, inversum annum, hoc est, desinentem, deductumque ad hiemem, quae tempestas est anni finis, et quidem tristior ob nebulas, imbres et nives, quas adfert Aquarii seu Amphorae signum, sole illud percurrente a die 21. Januarii usque ad 19. Februarii.

34) Non usquam, id est: foras non exit, domi se continet.

35) Cum te, id est: te autem neque fervor aestatis, nec hiemis infausta tempestas, nec ignis periculum, aut mare fluctuosum et mors ferro seu gladio intenta a lucri studio demovet, revocat; nihil te retardat; dummodo impedias, ne ullus te vincat divitiis.

36) Ordo sententiarum est: quid prodest tibi, timide terrae infodere auri atque argenti copiam? vereris, ne, si imminuere, consumere coeperis, ad assem miserum seu ad nihilum deducatur? et statim respondet Horatius: at ni id fit, nisi id feceris; nisi minueris sapienti usu quaesitam pecuniam, quae pulchritudo est cumulati acervi?

37) As Romanus vilis moneta cuprea erat, quae nostris circiter 4 denariis respondebat; qua pondus dividebatur in 12 uncias, et convenit cum nostra libra, quam nos in 16 uncias dividimus. Vide Antiquitates de re monetali.

At, ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
Millia [38]) frumenti tua triverit area centum:
Non tuus hoc capiet venter plus, ac meus; ut si
Reticulum [39]) panis venales inter onusto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias, quam
Qui nil portarit. Vel dic, quid referat [40]) intra
Naturae fines viventi, jugera centum an
Mille aret? At suave [41]) est ex magno tollere acervo.
Dum [42]) ex parvo nobis tantundem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut [43]), tibi si sit opus liquidi [44]) non amplius urna [45]),
Vel cyatho, et dicas: magno de flumine malim,
Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere. Eo fit,

38) Sensus est: etiamsi centum millia, modiorum scilicet frumenti, in area tua trita fuerint; tamen non plus comedes, quam ego, nempe quantum satis est.

39) Reticulum panis saccus fuit in modum retis. Itinera fiebant apud Romanos cum magna copia servorum, qui necessaria portabant; uni eorum imponebatur saccus cum victualibus, unde omnes accipiebant demensam partem; quapropter lepide Aesopus illius deferendi munus sibi optabat, quod nempe levior in dies fieret. Notum enim, quod Aesopus olim fecerit. Ejus herus iter adornabat, ducebatque secum familiam. Venales suum quisque gestabant onus, partem aliquam domesticae supellectilis. Aesopus, licet imbecillo corpore ingentem sibi reticulum panis sumsit, ridentibus initio sociis, ad externum tamen admirantibus, cum eum in dies onere levari animadverterent, pane paullatim consumto et comeso. Servi dicuntur venales, quia emebantur et rursus vendebantur. Sensus est: quemadmodum etiam servus, inter reliquos humero onusto saccum panis portans, non plus accipit, quam ille, qui nihil portat.

40) Quid referat, quid intersit illius, qui paucis contentus est, et naturae necessitate, non avaritiae libidine sua vota definit, utrum aret centum, an mille jugera. Jugerum Romanum erat 120 pedes latum et 240 pedes longum.

41) At suave est, inquit avarus objiciendo.

42) Hic iterum Horatius respondet: modo me sinas ab exiguo tantundem tollere, quam ex magno acervo, id est, tantum, quantum est necessarium, cur ingentia tua horrea, vasis meis frumentariis laudando praefers? Cumerae fuerunt vasa doliis nostris similia, ubi frumentum suum reponebant agricolae: granaria e contra erant magna frumenti receptacula, horrea.

43) Ut tibi: ordo naturalis est: quemadmodum exempli causa, si indigeres aquae urna tantum aut calice, id est: si indigeres aqua tanta, quantam capere urna vel scyphus potest, ac diceres: malo sumere ex ingenti flumine; periculo te exponeres, ut, cum parte ripae avulsa cadentem, flumen auferat hauriatque: ita fit, accidit et illis, qui magnas divitias adpetunt, cum parvae illis ad tuendam vitam possint sufficere; magna cupiditas, et nimiae opes iis saepe exitio sunt.

Plenior [46]) ut si quos delectet copia justo,
Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus [47]) acer.
At qui [48]) tantuli eget, quanto est opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
At bona [49]) pars hominum, decepta cupidine falso,
Nil satis est, inquit: quia tanti, quantum habeas, sis.
Quid [50]) facias illi? Jubeas miserum esse, libenter
Quatenus id facit. Ut quidam memoratur Athenis
Sordidus [51]) ac dives populi contemnere voces
Sic solitus: Populus me sibilat; at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.
Tantalus [52]) a labris sitiens fugientia captat
Flumina. Quid [53]) rides? mutato [54]) nomine de te
Fabula narratur. Congestis undique saccis [55])

44) Liquidi, positum est pro: liquoris aut aquae.

45) Urna erat mensura fluidorum. Culeus, maxima mensura, continebat 20 amphoras, amphora 2 urnas, urna 4 congios, congius 6 sextarios et sextarius 12 cyathos.

46) Plenior, id est, major copia.

47) Aufidus est Apuliae fluvius praeceps ac rapidus; propterea dicitur a poëta, acer. Nunc adpellatur Ofanto.

48) Sensus est: at qui tantum desiderat, quantum est necessarium, is nec sordide vivit, nec etiam cupiditate et avaritia sua exitio se exponit.

49) Bona, pro: magna; et cupido generis masc. pro: cupiditas. Sensus est: verum plerique homines cupiditate vitiosa delusi dicunt: nihil sufficit, cum tanti aestimemur, quantum habemus.

50) Quid facias? id est: quid agas cum hominibus sic affectis, ita sentientibus? sane omittas illos, sinas esse miseros, quatenus, seu quia libenter id faciunt, ipsi sua miseria delectantur, se ipsos miseros faciunt.

51) Sordidus pro, avarus; voces pro: convicia; sibilat, id est: ridet, explodit. Probabilius designat hic poëta aliquem avarum ac sordidum Romae, quem propterea Athenas transfert, ne ab omnibus illico cognoscatur.

52) Tantalus: postquam ea, quae ab avaris objiciuntur, refutavit; ostendit, jam eos re ipsa, licet sibi intus ac domi plaudant, esse miseros, similesque Tantalo, qui sitiens capere avet ac haurire flumina, ab ipsius labris fugientia. Fuit Tantalus Jovis filius et rex Phrygiae, qui Diis hospitio susceptis adposuit Pelopem filium suum comedendum. Myth.

53) Quid rides? inducitur avarus quidam, ridens Horatium, quasi bonarum rationum inopia coactum ad fabulas confugere, ad quem poëta statim sermonem dirigit.

54) Mutato nomine, id est: tu es ille Tantalus, idem ac ille facis; pone tuum nomen pro illius nomine, et in te res tota et fabula ista conveniet, tu enim, sicut ille, in medio aquarum, in abundantia divitiarum iis non frueris.

55) Saccis, id est: divitiis inhians, avide et sollicite contemplans eas, indormis, incubas, et parcere iis, abstinere ab usu earum cogeris, tamquam ab usu rerum sacrarum; neque aliud exinde commodum percipis, nisi quod ex imagine, quam solum contemplari licet.

Indormis inhians, et tamquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis.
Nescis [56]), quo valeat nummus, quem praebeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius, adde [57]),
Queis humana sibi doleat natura negatis.
An [58]) vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent, fugientes, hoc juvat? Horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
At [59]) si condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius casus lecto te adfixit, habes, qui
Adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet, ac natis reddat, carisque propinquis.
Non [60]) uxor salvum te vult, non filius; omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae.
Miraris [61]), quum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet, quem non merearis amorem,
Ac si cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos,
Infelix operam perdas: ut si quis asellum

56) Sensus est: quod si ignoras nummi pretium, et ad quem usum fuerit cusus? ego tibi dicam: primus ejus usus est in necessariis vitae comparandis. Vini sextarius pro: vinum. De sextario vide supra Nota 45.

57) Adde, id est: aliaque, quae ad utilitatem spectant et commoditatem, et quae humana natura aegre ferat, si denegentur.

58) Sensus: an vero forsitan te juvat, delectat, semper vigilem metu exanimari, diu noctuque timere fures malos et improbos, ignem, et ne te servi profugae compilent, spolient? ego certe bona, hujusmodi metum causantia, nunquam mihi exoptabo.

59) Verba sunt avari: at vero, si a frigore corpus aegrum tibi doluerit, aut aliud malum te lecto adfixerit, tunc, inquis, habebo, qui mihi aegrotanti adsideat, evocet medicum, ut me lecto suscitet ac recreet morbo.

60) Falleris, respondet Horatius, nemo te salvum cupit, ac proinde etiam nemo te aegrotum juvabit. Nemo per partes explicatur: non uxor etc. sic etiam omnes: vicini, noti, etc.

61) Sententia est: et profecto neque mirandum est, si nemo te, qui omnia pecuniae postponis, nihil aliud praeter pecuniam amas, amore, quo adeo indignus es, prosequatur: et si, quos absque ullo tuo labore propinquos tibi natura fecit, eorum amicitiam benevolentiamque cupiens retinere aeque frustra labores, quam is, qui asellum docere velit, ut frenis obsequens, frenatus currat in campo. Indociles enim vulgo asini habentur, ut non tam facile frenari, et ad campestrem decursionem fingi queant.

In campo [62]) doceat parentem currere frenis? —
Denique [63]) sit finis quaerendi; cumque habeas plus,
Pauperiem metuas minus; et finire laborem
Incipias, parto quod avebas; ne facias, quod
Ummidius quidam, non longa est fabula, dives [64]),
Ut metiretur nummos; ita sordidus, ut se
Non umquam servo melius vestiret; ad usque
Supremum tempus, ne se penuria victus
Opprimeret, metuebat. At hunc liberta securi
Divisit [65]) medium, fortissima Tyndaridarum [66]).
Quid mi [67]) igitur suades? ut vivam Maenius [68]), aut sic
Ut Nomentanus? Pergis [69]) pugnantia secum
Frontibus adversis componere. Non [70]) ego, avarum
Quum veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.

62) Per campum non intelligendus est hic campus Martius, sed quaelibet planities, in qua juvenes se exercere solebant currendo, equitando, luctando, armis etc. Romae id praecipue fiebat in Campo Martio.

63) Sensus est: fac ergo tandem aliquando finem colligendi, quaerendi pecunias; non timeas tantopere paupertatem amplius, cum jam plus, id est, divitias majores tibi comparaveris; et incipias semel finem imponere labori, id est, studio conquirendi ampliores semper opes; ne periculum mortis incidas, ut quidam Ummidius.

64) Dives, id est: ita dives, ut nummos non, quemadmodum fit, numeraret, sed eorum acervos metiretur; ac nihilo minus tantarum sordium, adeo avarus, ut nunquam honestius servo indueretur per totam vitam; timebat enim usque ad supremum tempus, usque ad mortem, ne forte annonae inopia periret.

65) Divisit, eum interfecit, ac secuit in duas partes mulier fortior quam Clytemnestra.

66) Tyndaridae sunt in genere liberi Tyndari; hic autem alluditur ad Clytemnestram, Tyndari et Ledae filiam, quae marito suo Agamemnoni, e bello Trojano reverso, scelere plus quam femineo in gratiam Aegisti adulteri securi caput dissecuit, eumque occidit. Orestes filius eam rursus in vindictam patris necavit.

67) Quid mihi igitur suades? est interrogatio avari: ut vivam sic, ut Maenius, aut ut Nomentanus?

68) Maenius, vel ut alii scribunt Maevius aut Naevius, et Nomentanus erant duo famosi nepotes ac prodigi, qui omnia bona sua profuderunt, gulae ac libidini impenderunt.

69) Respondet iterum poëta: at tu pergis, non desinis male ratiocinari, et conjungis simul res duas plane oppositas, nempe avaritiam cum prodigalitate, luxum istorum ganeonum cum honesta frugalitate, ad quam te hortor, dum ab avaritia deterreo. Componi adversis frontibus proprie dicuntur gladiatores pugnaturi.

70) Sententia est: quum avarum te esse veto, cum prohibeo, ne sis

Est inter Tanain [71]) quiddam, socerumque Viselli.
Est modus in rebus; sunt certi denique [72]) fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum. —
Illuc [73]), unde abii, redeo, Nemone ut [74]) avarus
Se probet, ac potius laudet diversa sequentes;
Quodque aliena capella gerat distentius über,
Tabescat; neque se majori pauperiorum
Turbae comparet; hunc atque hunc superare laboret?
Sic [75]) festinanti semper locupletior obstat:
Ut, quum carceribus [76]) missos rapit ungula [77]) currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum

avarus, non propterea impero, ut fias vappa, nebulo, homuo, luxu perditus. Vappa proprie dicitur vinum corruptum, quod nec vinum nec acetum est; ac proinde sumitur hic metaphorice pro inutili nebulone et homine nullius bonae frugis.

71) Tanais et Visellii socer erant duo, qui aliquo opposito corporis vel animi morbo laborabant; forsan alter ad excessum pinguis, alter nimium macer; vel alter sumtuosus et lautus, alter praeparcus et sordidus. Ac proinde sensus est: Discrepant illi duo inter se, quos probe nosti; est medium inter eos.

72) Quid multa? verbo, denique modus seu mediocritas servanda est in omnibus rebus; sunt certi fines, termini, quos attingere quidem, non autem excedere oportet in omni, quod volumus rectum, honestum ac naturae consentaneum esse; ac proinde si avarus esse desinas, non continuo sis effuse prodigus et ganeo.

73) Sed ut ad idem objectum, a quo incepi, iterum redeam, ad sententiam nempe: quod nemo sua sorte contentus sit.

74) Ut, est particula admirationis. Sensus: ut, quantopere mirandum est igitur, quod nemo avarus se probet, sorte sua contentus sit; quod omnes, male contenti suo ex avaritia, laudent dissimilia vitae genera sequentes; quod tabescant, aegre ferant, si vicini capellae suis sint pinguiores, vel habeant distentius, plenius, plus lactis capiens uber; quod nunquam secum reputent, quam multis pauperibus ditiores, lautiores sint; et quod semper ditiores se, qui tantum pauci sunt, opibus superare laborent, conentur, contendant?

75) Sensus: qui hunc in modum sollicitus est, et ad meliorem semper fortunam tendit, festinat, ille nunquam finem aliquem assequetur; quia perpetuo illi obstat, se offert aliquis se ipso ditior.

76) Carceres fuere, cum de Circo agitur, tabulata quaedam in extremo Circo, quibus inclusae retinebantur quadrigae equorum, donec currendi signum daretur. Vide Antiquit. de ludis.

77) Ungula, poëtice, pro equis. Sensus: quemadmodum, cum dimissi e carceribus equi rapidissimis, celerrimis pedibus auferant currus, auriga instat, urget, summe desiderat, conatur eos praeterire, a quibus vincitur, contemnens et non respiciens alios, quos praeterivit, et qui in extremo

Praeteritum temnens extremos inter euntem.
Inde [78]) fit, ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat, et exacto contentus [79]) tempore vitae
Cedat, uti conviva satur, reperire queamus.
Jam satis est; ne me Crispini [80]) scrinia [81]) Lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

Satyra II.

Argumentum.

Satyram hanc, licet secundo positam loco, scriptam tamen fuisse post 9nam et 10mam istius libri, ex eo constat, quod, qui in ista mortuus ponitur Hermogenes Tigellius, in 9a ob cantum laudatur a garrulo; et in 10ma jubetur ab Horatio inter discipularum cathedras plorare. Primaria sententia, quam poëta ipse sub finem carminis pronunciat, est: stultitia hominum in eo se praecipue manifestat, quod in extrema semper et sibi opposita vitia incidant; alii enim sunt nimium liberales, alii iterum, ne suspicionem prodigalitatis incurrant, adeo sunt parci, ut nec amicos adjuvent; hic abligurit bona sua, ne avarus dicatur, et alter iterum est foenerator turpissimus, quin ipse partis fruatur; hic effeminate corpus suum ornat, alter e contra squalidus ac sordidus incedit; auream vero mediocritatem nemo tenet.

---

pulvere currunt; sed illos tantum, qui antecedunt, a quibus sui equi vincuntur, respicit: sic etiam avarus nunquam respicit ad majorem multo turbam pauperiorum.

78) Ordo est: inde fit, ut raro queamus reperire hominem, qui se dicat etc.

79) Contentus cedat, id est: qui, elapso tempore, sibi ad vivendum concesso, contentus et aequo animo vita decedat, tamquam satis pastus conviva.

80) Crispinus Lippus fuit poëta et philosophus Stoicus, qui suae sectae placita et doctrinam versibus comprehendit. Cognomine Lippus insignitus erat ab oculis lippis, quibus laborabat.

81) Scrinia sunt capsae, in quibus libri et cartae continentur. Compilasse, id est, scrutatum ac furatum esse.

Ambubajarum [1]) collegia [2]), pharmacopolae [3]),
Mendici [4]), mimae [5]), balatrones [6]), hoc [7]) genus omne
Moestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli [8]);
Quippe [9]) benignus erat. Contra [10]) hic, ne prodigus esse
Dicatur, metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo duramque famem depellere possit.
Hunc si perconteris, avi cur atque parentis
Praeclaram [11]) ingrata stringat [12]) malus [14]) ingluvie [13]) rem,
Omnia conductis [15]) coëmens obsonia [16]) nummis?
Sordidus atque animi quod parvi nolit haberi,

---

1) Ambubajae erant mulierculae e Syria vagae, viles et tibicinae, sic dictae, quod Syriaca lingua tibia vocetur, ambub. Harum muliercularum magna quantitas Romae erat, quae, diversis in occasionibus pecunia conductae a Romanis, horum animos tibia cantantes oblectabant.

2) Collegia, facete pro: greges; ac si coëtum aliquem publicum a civitate institutum formassent.

3) Pharmacopolae: unguentarii, pigmentarii, unctores; homines, qui unguenta et pigmenta diversa vendebant.

4) Non intelliguntur hic communes mendici, sed Isiaci, sacerdotes Isidis; et Galli, sacerdotes Cybeles, imaginem alicujus Dei circumferendo et ostendendo stipem colligere soliti. Idem faciebant Astrologi et Vaticini omnes.

5) Mimae et Mimi, tales personae, quae in comoediis finito acta gesticulationes edebant, ad hilaritatem et risum in spectatoribus excitandum. Vide praecepta eloqu. de Dramate.

6) Balatrones, parasiti et scurrae, a Servilio Balatrone, cujus L. II. sat. ult. vers. 40. mentionem facit poëta, sic dicti.

7) Hoc genus omne, id est: omnes harum classium homines solliciti, tristes, moerore adfecti sunt morte Tigellii.

8) Tigellius natione Sardus; artis musicae peritus, et non infacetus scurra, gratus Augusto fuit et tardius Cleopatrae; magnasque collegit opes, quas male profudit. Is carmina Horatii negabat satis perite modulata, idcirco carpitur ab hoc, et obtrectatorie cantor pro musico adpellatur.

9) Quippe: erat enim benignus, liberalis in eos; donabat large ac liberaliter.

10) Sensus: alius autem metuens ne dicatur esse prodigus, nolit, id est: non vult amico pauperi dare, unde miseram famem leniat, et frigus arceat.

11) Praeclaram rem, id est: opes magnas, ab avo et parente acceptas.

12) Stringat, consumat, attenuet, deminuat, radat.

13) Ingrata ingluvie, pro: turpi gulositate et luxu; turpe enim ingratum est; vel etiam, ex qua nullum capiat fructum, unde nihil ipsi restet.

14) Malus pro, male, modo abominabili, misere.

15) Conductis, id est: mutuo acceptis, foenori sibi datis nummis, pecuniis.

16) Obsonia, pro: cibaria, dapes.

Respondet: Laudatur [17]) ab his, culpatur ab illis.
Fufidius [18]) vappae famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives positis in foenore nummis;
Quinas hic capiti [19]) mercedes exsecat [20]); atque
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget;
Nomina [21]) sectatur, modo sumta veste [22]) virili,
Sub patribus [23]) duris tironum. Maxime [24]), quis non,
Jupiter! exclamat, simul atque audivit? at [25]) in se

17) Ordo naturalis totius est: si alium quemdam perconteris, interroges: quare, pecunia fenori accepta quotidianos comparans cibos, turpi gulositate et luxu amplissima bona, sibi ab avo et a patre relicta, male, misere consumat? Ideo, inquiet, facio, quod nolim aestimari sordide parcus et animi pusilli. Sensus est: qui videri et haberi vult liberalis, fit vappa, prodigus. Et invenies, qui hunc laudent; nec etiam desunt, qui vituperent.

18) Fufidius foenerator improbissimus. Sensus et ordo est: licet hic dives agris et positis in foenore nummis sit, id est: agros opimos habeat, et ingentem quaestum locandis in foenore pecuniis faciat, ita, ut quinas mercedes capiti exsecet, quinque centesimas sorti detrahat; ut quanto quis luxu perditior et profligatior, negligentius res suas agens est, tanto acrius illum urgeat, gravioribus usuris oneret; et ut nomina tironum, id est: adolescentes, qui non diu togam virilem sumserunt, sectetur, debitores sibi facere studeat; quod quum vel audiverimus, summopere mirari et indignari oportet: tamen parce vivit ac duriter, timens, ne vappa, prodigus vel nebulo habeatur.

19) Caput est integra summa foenori data, seu sors; et mercedes sunt centesimae, seu usura, haec enim est merces et quasi fructus pecuniae mutuo datae. Apud Romanos tantum pro uno mense dabatur mutuo pecunia, et quidem Calendis cujusque mensis, quibus etiam solvenda erat, Idibus praecedentibus renunciata. Pro centum assibus solvebatur tantum unus as, id est, una centesima pars sortis, ergo per annum 12 centesimae. Fufidius autem sumsit quinas centesimas per mensem, seu per annum 60. Vide Antiquitates.

20) Exsecat: ad illud pertinet, quod avari foeneratores, cum dabant usurariam pecuniam, primi mensis usuras capiti seu sorti statim amovebant, detrahebant.

21) Nomina, sumuntur etiam pro debitoribus, quia horum nomina inscribebant argentarii syngraphis et codicibus suis.

22) Veste seu toga virili induebantur adolescentes Romani anno 17°. Erat hic actus solennis, qui dicebatur tirocinium; ab hoc enim tempore idoneus habebatur juvenis militiae et negotiis publicis. Vide Antiquit.

23) Sub patribus duris, id est, qui rerum vitae adhuc ignari sub potestate durorum patrum sunt, qui, cum nihil accipiant pecuniae, mutuam sumunt a foeneratoribus, magna mercede seu usura promissa.

24) Ordo est: quis non exclamet: O maxime Jupiter! simul atque audivit, haec a Fufidio fieri?

25) Sensus: fortasse dicet aliquis: at in se, id est: pro se in victu suo

Pro quaestu sumtum facit hic. Vix [26]) credere possis,
Quam sibi non sit amicus; ita, ut pater [27]) ille, Terenti
Fabula quem miserum gnato vixisse fugato
Inducit, non se pejus cruciaverit, atque [28]) hic.
Si quis nunc quaerat; quo [29]) res haec pertinet? Illuc [30]);
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Malchinus tunicis demissis ambulat; est [32]) qui
Inguen ad obscoenum subductis usque facetus;
Pastillos Rufillus [33]) olet, Gorgonius [34]) hircum.
Nil [35]) medium est.

Satyra III.

Argumentum.

Hanc Satyram quoque mortuo jam Tigellio scriptam, ut ex initio ejus adparet, prodiisse oportet post 9[am] et 10[am]

sumtum facit pro quaestu, hoc est: adcommodatum quaestui suo majori, ac proinde, lautum et ingentem.

26) Respondet Horatius: vix autem credas, quam parum sibi sit amicus, sibi indulgeat; quam acerbe se habeat; adeo certe, ut non se durius tractaverit pater ille, quem Terentius in fabula seu comoedia sua describit, post ejectum filium miseram et infelicissimam egisse vitam.

27) Pater ille: fuit hic Menedemus, qui apud Terentium, cum coëgisset acerbitate sua Cliniam filium suum abire in Asiam, relicta a filio patria, se ipsum misere excruciabat prae animi moerore.

28) Atque hic, id est: quam hic foenerator.

29) Quo haec tendant omnia, quorsum haec attulerim?

30) Illuc, ut verum agnoscamus, quod dicitur: dum vitant etc. haec spectare dico.

31) Malchinus et Rufillus a nimia et effeminata corporis cultura, Gorgonius vero a squalore, quo incedebat, tunc temporis noti erant probabilius; vel nomina haec sunt plane ficta. Sensus est: hic tunicis ad talos fluentibus prodit in publicum, effeminate se vestit. Stola mulierum pertingebat usque ad talos; tunica vero virorum usque ad genua tantum; longiores tunicae erant igitur signum mollitiei.

32) Est qui: id est: alter iterum subductis, sublatis, elevatis tunicis usque ad foedum inguen, usque ad ventrem et obscoenas corporis partes, facetus, ridiculus deambulat, incedit.

33) Sensus: alii semper odores suaves efflant ob pastillos, quos in ore habent. Sunt autem pastilli globuli seu offae quaedam, instar exiguorum panum, ex odoratis succis confectae.

34) Sensus: alii iterum, ut Gorgonius, semper spargunt odorem hirci graveolentem, foetidum, ob squalorem et sordes, quibus corpus eorum continuo contectum et infectum est.

35) Nil. Id est: nemo autem medium tenet, in quo tamen virtus consistit.

in quibus adhuc vivit. Carpit ea in conventiculis Romae communiter tunc temporis vigentem consuetudinem, aliena vitia strictissime castigandi, propria vero excusandi. Incipit autem poëta vitia Hermogenis Tigellii ad imitationem hujus consuetudinis recensere; ast se ipsum corrigens propius accedit ad thema propositum et dicit: mirandum est omnino, quod plerique nostrum, licet ipsi etiam vitia nostra habeamus, nunquam errores amicorum, ut aequum esset, excusemus, et, comparatione cum virtutibus eorum facta, attenuemus; sed potius eadem amplificare et exaggerare studeamus. Attamen prudentia contrarium suaderet, quia secus et alii rursus nostris cum vitiis idem facturi sunt. Quod si autem hoc non concedatur, id saltem certum est: vitia pro ratione meriti aequis momentis dijudicanda, minime vero cum Stoicis, omnia aequalia reputanda esse. Hac porro stoicorum sententia refutata lepide, transit adhuc ad aliud eorum placitum, quo Stoicum sapientem omnia bona possidere contendunt; et in hoc facete ridendo usque ad finem versatur. Tandem concludit, se omnibus Stoicorum sententiis suam praeferre, qua amicorum vitia excusanda, et leniter dijudicanda esse censet.

Omnibus [1]) hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant [2]) animum cantare rogati,
Injussi [3]) nunquam desistant. Sardus [4]) habebat
Ille Tigellius hoc. Caesar [5]), qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam [6]) patris atque suam, non
Quidquam proficeret; si collibuisset [7]), ab ovo [8])

1) Incipit poëta ab insectatione Tigellii, et vitiorum ejus enumeratione, cujus finis demum ex adnexa interrogatione adparet. Sensus est: si de morositate Tigellii, quatenus et sermonibus et actionibus numquam sibi constans sit, loqui vellem, quaeret fortasse aliquis: quid? tu ipse nulla ne vitia habes?

2) Inducant animum, id est: velint; exorari se patiantur, ut cantent.

3) Injussi, id est: quod si sponte canere coeperint.

4) Sardus: natus in Sardinia, insula prope Italiam. Habebat, id est: hoc vitio laborabat. Vide Sat. II. not. 8.

5) Caesar Augustus.

6) Per amicitiam patris, nempe Caesaris, qui natura avunculus, adoptione pater Augusti erat. Sensus est: quod si Augustus, cui tamen illum cogendi potestas erat, eum rogabat per amicitiam patris sui Caesaris et suam, nihil obtinebat. Peteret, et proficeret, positum est pro: petebat, proficiebat.

7) Collibuisset: si vero libido propria eum ad cantum impulit.

8) Ab ovo usque ad mala, seu tota coena, quae, ab ovis plerumque incipiens, pomis, placentis aliisque ejusmodi finiebatur. Vide Antiquitates.

Usque ad mala citaret [9]): Io Bacche [10])! modo summâ [11])
Voce, modo [12]) hac, resonat quae chordis quatuor ima.
Nil [13]) aequale homini fuit illi. Saepe velut qui
Currebat fugiens hostem, persaepe [14]) velut qui
Junonis sacra ferret; habebat saepe ducentos,
Saepe decem servos; modo [15]) reges atque tetrarchas [16]),
Omnia magna loquens; modo [17]): sit mihi mensa tripes et
Concha [18]) salis [19]) puri, et toga [20]), quae defendere frigus,
Quamvis crassa, queat. Decies [21]) centena dedisses

9) Citaret: clara et alta voce caneret; unde recitare est, palam et clare dicere.

10) Io Bacche! Initium est Bacchicae et potatoriae cantilenae.

11) Summa voce, id est: acutissima chorda, quae suprema est.

12) Modo hac, subintellige: voce, quae in quatuor chordis est ima, hoc est, in tetrachordo, musico instrumento, quod quatuor chordis constat. Vox hic posita pro chorda indicat, Tigellium, modulantem vocem suam pro ratione chordarum, accinuisse tetrachordo. Sensus est: quod si libido propria eum incesserat, per totam coenam cantilenas potatorias cecinit in tetrachordo.

13) Nil etc. Sic homo hic nihil aequale habuit, in nulla re sibi constans fuit.

14) Persaepe lento et composito passu incedebat, perinde, ac si Junonis sacra vasa deferret in publica pompa. In pompis enim solennibus, quae diebus festis ad templa Deorum instituebantur, virgines vasa sacra Deorum canistris capiti impositis portabant, graviter et lento passu incedentes. Per sacra Junonis hic sacra Deorum in genere designantur.

15) Modo etc. Sensus est: nunc reges et tetrarchas et magnifica omnia, tamquam amicus horum familiarissimus, ventose proloquutus est. Vel nunc adeo superbe de rebus maximi momenti loquutus est, ac si esset rex vel saltem princeps.

16) Tetrarcha est rege minor, eumque sonat, qui quartam regni aut ditionis partem obtinet, v. g. in Galatia vel Judaea; hic stat pro quolibet principe.

17) Modo; sensus: nunc vero dicebat: si tantum habeam necessaria vitae, contentus et felix sum; et pro hoc: si modo habeam mensam tribus pedibus sustentatam; tales enim mensae erant antiquioris formae, et vocabantur Delphicae a tripode Pythiae; post occupatam dein Asiam divitibus Romanis elegantiora monopodia usitata erant, id est, rotundae mensae, uno pede sustentatae.

18) Concha: salinum nitidum ex concha, aut conchae in morem factum. Pauperiores Romani habebant in concha marina salem tritum, quo cum pane vescebantur: ditiores autem habere solebant argentea salina.

19) Salis puri, id est: incorrupti, non commixti cum variis condimentis.

20) Toga quo major magisque sinuata, quoque materia ejus tenuior, eo nobilior erat. Vide Antiquit. Hic pro veste quacunque sumitur. Frigus defendere, depellere, avertere.

21) Decies: si dedisses Tigellio, qui modo parsimoniam tantopere lau-

Huic parco, paucis contento; quinque diebus
Nil erat in loculis [22]). Noctes vigilabat ad ipsum
Mane; diem totum stertebat [23]). Nil [24]) fuit unquam
Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi: Quid tu?
Nulla ne habes vitia? Imo [25]) alia, haud fortasse minora.
Maenius absentem Novium quum carperet: heus tu,
Quidam ait, ignoras te? an ut ignotum dare [26]) nobis
Verba putas? Egomet mi ignosco, Maenius inquit.
Stultus et improbus hic amor [27]) est, dignusque notari [28]).
Quum [29]) tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius [30])? At tibi contra

dabat, decies centena millia sestertiorum, post dies quinque omnia vir ille parcus decoxisset, absumsisset. Sestertius valuit 2 1/2 asses, et mille ejusmodi sestertii dicebantur sestertium, scilicet, pondo 2 1/2 librae argenti. Hic sestertia intelligenda, et posita sunt pro ingenti summa. Antiquit.

22) Erat, pro: fuisset in loculis, in arca, crumena, ubi pecunia adservabatur.

23) Stertebat, dormiebat.

24) Nil, nemo sibi adeo dissimilis, a se ipso discrepans, sibi ipsi tam parum aequalis exstitit, quam hic.

25) Respondet Horatius: fateor, habeo mea quoque vitia, et fortasse majora quam Tigellii, quem carpo. Sed non ita facio, sicut Maenius, qui, cum absentem Novium vituperaret, diceretque illi aliquis: Heus tu, an te ignoras; an tibi ipse ignotus es? an speras nos fallere et latere? probe te novimus, et ipso Novio pejorem esse scimus; Maenius respondit, se quidem alios carpere libenter; sibi vero ignoscere, de seipso tacere. De Maenio vide Sat. I. not. 68. De Novio nihil certi constat; forsitan fuit unus e fratribus illis Noviis, qui tunc temporis ut magni foeneratores innotuerunt: ac proinde prodigus hic, carpens foeneratorem, inducitur.

26) Verba dare: decipere, fallere, circumvenire.

27) Hic amor improbus seu nimius sui ipsius, quo quis sibi omnia ignoscit, aliis nihil aut parum.

28) Notari: reprehendi, ignominia adfici.

28) Quum; sensus est: cum tua mala, seu vitia non magis videas, quam solet lippus oculis inunctis, aliquo unguento delibutis res videre, adspicere; cur tamen in peccatis amicorum adeo acute cernis, vides, quemadmodum aquila vel draco Epidaurius?

30) Epidaurus Peloponnesi urbs, Aesculapii templo celebris, ubi Deus ac praesul hic medicorum sub forma serpentis colebatur. Cum pestilentia Romae laboraretur, responsum est ab oraculo, ita salvos cives fore, si e Graecia Aesculapium adveherent, Legati Epidaurum cum triremi sunt profecti; factumque est, ut ingens anguis ad triremem adnaverit, seque in puppi composuerit in gyrum; quem illi, cum Aesculapium putarent esse, Romam in triumpho duxerunt. Ponitur iste nominatim draco pro quolibet, cum acutissime omnes, sicut aquilae, videre existimentur.

Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi [31]).
Iracundior [32]) est paullo; minus aptus acutis
Naribus horum hominum; rideri possit eo, quod
Rusticius tonso toga defluit, et male laxus
In pede calceus haeret: at est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam; at tibi amicus; at ingenium ingens
Inculto latet sub hoc corpore. Denique te ipsum
Concute [33]), num quā tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala; namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc [34]) praevertamur, amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
Delectant, veluti Balbinum [36]) polypus [35]) Hagnae [37]).
Vellem [38]) in amicitia sic erraremus, et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At, pater [39]) ut gnati, sic nos debemus amici,

31) Et illi: ut illi, quos carpis, tua quoque vitia investigent.

32) Iracundior: est aliquis ad iram paullo propensior, quam par sit; non satis acutus, ut nasutis hujus aetatis hominibus, qui omnia, etiam minutissima, vitia aliorum carpunt, bene conveniat; ridendum praebet se eo, quod inconcinnius tonsus togam male adstrictam habeat, et laxiorem calceum vix pes retineat. Esto sane: at vir est bonus, ut nemo sit eo melior; at est amicus tuus; at ingenium cultum in corpore inculto gerit: cur illi non ignoscas?

33) Concute, expende, examina te ipsum diligentius, et vide, num aliqua etiam tu habeas vitia, jam a natura insita, aut per consuetudinem malam adjuncta? Etenim in agris, quibus cultura non adhibetur, filix crescit, quam flammis urere necesse est; subintellige: ita etiam ferax vitiorum est natura corrupta, nisi evellantur.

34) Sensus: omittamus nunc tua vitia excutere, et illuc potius nos convertamus, et consideremus, quod amatores faciunt, qui adeo caeci sunt, ut ipsos decipiant turpia amicarum vitia; ut ea non tantum non observent, sed iis adhuc delectentur.

35) Polypus narium morbus, cum caro intus crescens, et in multos ramulos divisa, nares obstruit.

36) Balbinus nomen amatoris, quem hic inducit.

37) Hagna, libertina Romana, quam non obstante ulcere, quod habuit in naso, Balbinus pulchram esse judicavit.

38) Sensus est: cuperem, ut nos in amicitia simili modo deciperemur, erraremus, et hunc errorem sapientia pulchro quodam nomine cohonestasset. Per virtutem intelligitur hic sapientia; vel sensus boni, recti, honestique.

39) Sententia est: imo ita debemus amicorum vitia, si quae fuerint, si quae habuerint, patienter ferre, et extenuare: sicut id patres in vitiis filiorum facere solent.

Si quod sit, vitium non fastidire [40]): Strabonem [41])
Adpellat Paetum pater, et Pullum [42]), male parvus [43])
Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus [44]); hunc Varum [45]) distortis cruribus; illum
Balbutit Scaurum [46]) pravis fultum male talis.
Parcius [47]) hic vivit: frugi dicatur. Ineptus
Et jactantior hic paullo est: concinnus amicis
Postulat ut videatur. At est truculentior atque
Plus aequo liber: simplex fortisque habeatur.
Caldior est: acres inter numeretur. Opinor,
Haec res et jungit, junctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus [48]), atque

---

40) Non fastidire, id est: non odisse, non exaggerare, igitur: patienter ferre, extenuare.

41) Strabo dicitur, qui est detortis oculis: Paetus autem, qui est oculis leniter declinatis, cuique huc atque illuc tremuli celeriter volvuntur.

42) Pullum, pusillum dicebant antiqui puerum, quem quis prae ceteris suis liberis amabat.

43) Male parvus: nimium, supra modum parvus.

44) Sisyphus, puer Antonii Triumviri, pumilio, vafer et subdolus, atque ideo dictus Sisyphus, qui fuit Aeoli quondam filius, a Theseo interfectus, homo vaferrimus. Mythol. Abortivus, qui justo maturius mundum conspexit, nondum maturus.

45) Varus dicebatur is, qui habet crura inferius seu ad talos convergentia; distortis cruribus dicebantur inferius divergentes pedes habentes. Varus autem, etsi vitiosum aliquid significat, mollius tamen est vocabulum, et cognomentum multorum Romanorum nobilium.

46) Scauri dicebantur, qui talos habent exstantes, vel etiam inversos et tortuosos. Ex hac voce ortum est cognomen nobilissimae olim Romanorum familiae. Balbutit, pro: blande adpellat, dicit, nominat. Male fultis talis est ille, qui talis plane insistere nequit, ac fulcris opus habet.

47) Sensus est: quod si quis parcius vivat, hunc non dicamus avarum, sed hominem frugi, id est, frugalem. Si quis inepte se jactet, suaque nimis laudet, ille postulat et vult, ut dicatur homo urbanus, in amicos elegans, festivus; vel talis, qui placere vult amicis; si quis sit truculentus, parum humanus, nimiae libertatis quoad urbanitatem, ille simplex, non dissimulator, aut assentator, sed qui, quod sentiat, eloquatur, et fortis, id est, homo characteris constantis et firmi adpelletur; caldior sive calidior, id est, ardentior, et ira exorbitans, tantum acer, severus dicatur. Hoc credo est, quod jungit amicitias, et jam nexas conservat.

48) Sensus: nos autem contrarium facimus, in vitia mutamus, vitiorum nomine donamus virtutes. Vas sincerum, purum, incrustamus, inficimus; vasis enim, quae non purgantur, quasi crusta quaedam sordium adhaeret. Allegoria haec eundem habet sensum.

Sincerum cupimus vas incrustare. Probus [49]) quis
Nobiscum vivit, multum demissus homo: illi
Tardo cognomen pingui et damus. Hic [50]) fugit omnes
Insidias, nullique malo latus obdit apertum,
Cum genus hoc inter vitae versetur, ubi acris
Invidia, atque vigent ubi crimina: pro bene sano
Ac non incauto fictum astutumque vocamus.
Simplicior [51]) quis et est, qualem me saepe libenter [52])
Obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone molestus:
Communi sensu plane caret, inquimus. Eheu! [53])
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis urgetur [54]). Amicus dulcis, ut aequum est,
Cum [55]) mea compenset vitiis bona; pluribus hisce,
Si modo plura mihi bona sunt, inclinet. Amari
Si volet hac lege, in trutina ponetur eadem.

---

49) Probus et modestus, verecundus, nimium demissus, dicitur a nobis homo tardi et pinguis ingenii, id est, stupidus.

50) Ille, qui nulli malo homini latus apertum obdit, offert, detegit etc. Metaphora, sumta est a gladiatoribus, qui cavent inter pugnandum, ne quis pateat in suo corpore vulneri locus. Sensus est: illum, qui omnes insidiarum fraudes declinat, cum vivat et versetur in hoc vitae genere, id est, inter homines hujusce generis, ubi acris, vehemens invidia, livor atque maxima crimina vigent, perpetrantur, pro bene sano, prudente ac cauto, adpellamus fictum seu falsum et astutum simulatorem.

51) Sensus est: si quis fuerit simplex, naturalis, minus observans et humanus, qualis et ego erga te fui, qualem me tibi obtuli, praestiti, Maecenas! quum saepe accedens at te, vel aliquid legentem, vel tacite tecum ipso meditantem impulerim, turbaverim sermone et colloquio meo, tibique adeo molestus fuerim; eum communis sensus expertem statim dicimus.

52) Libenter, idem ac, parum considerate, cum voluntati et desiderio tecum colloquendi plus tribuerim, quam prudentiae, quae non turbare te in negotiis suasisset.

53) Eheu! quam imprudenter tali ratione legem statuimus severam, et nobis ipsis nociturum. Sensus: talia igitur, cum nobis etiam eveniunt, id est: cum alii eodem modo rursus et nos dijudicant, ultro ferre debemus.

54) Urgetur, premitur, laborat.

55) Ordo est: cum vitiis meis mea bona compenset, id est: suppleat, excuset vitia virtutibus. Sensus: amicus dulcis, blandus, ut aequum est, vitia mea cum virtutibus meis comparet, et ubi bona, has virtutes plures esse compererit, his pluribus inclinet, id est: amet me propter haec plura bona potius, quam oderit ob vitia pauciora; tunc par pari referam; hac tantum conditione amabo eum, si voluerit, eumque in eadem trutina, bilance ponderabo, eadem lege dijudicabo, qua ille me.

Qui[56]), ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscet verrucis illius: aequum[57]) est,
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.
Denique, quatenus[58]) excidi penitus vitium irae,
Cetera item nequeunt stultis[59]) haerentia: cur[60]) non
Ponderibus[61]) modulisque suis ratio utitur, ac, res[62])
Ut quaeque est, ita suppliciis delicta coërcet?
Si quis[63]) eum servum, patinam qui tollere jussus
Semesos pisces tepidumque ligurierit jus,
In cruce suffigat; Labeone[64]) insanior inter

56) Qui ne etc. id est: qui cupit, ut amicus ignoscat suis tuberibus; gravioribus peccatis; ille verrucis amici, levioribus ejus vitiis ignoscat. Verruca est caruncula durior, quae interdum in digitis excrescit, vel fronte, instar tuberculi.

57) Aequum est etc. Decet eum, qui poscit veniam sibi dari et suis peccatis, eam vicissim donare alteri, et alienis vitiis ignoscere.

58) Quatenus: ad extremum, quoniam ira et alia vitia, hominibus insita, penitus eradicari nequeunt.

59) Stultis, id est: nobis hominibus. Hoc dictum est cum respectu ad Stoicorum philosophorum principia; hi enim omnes ita vocabant, qui non essent sapientes, id est, virtute praediti.

60) Cur non: hic concludit ex praemissis: igitur vitia aequis saltem rationis momentis ponderari, non vero cum Stoicis aequalia cuncta judicari debent.

61) Ponderibus uti, idem ac, ponderare; modulis uti, idem ac, metiri.

62) Res etc. ut quaeque culpa est; seu levis, seu gravis, eadem punit. Delicta suppliciis coërcere, id est: vitia poenis, adficere pro ratione meriti. Contextus totius est: quod si etiam id facere nolimus, ut vitia amicorum cum virtutibus eorum comparemus, atque illa excusemus et attenuemus: eadem, quae jam in stultis eradicari nequeunt, et a quibus, praeter Stoicum sapientem nemo liber est, saltem quoad tenorem suum, et pro ratione meriti aequis momentis dijudicare, non autem aequalia cuncta reputare debemus. Arrepta hac occasione, eo descendit poëta, ut adversus Stoicos tota extrema satyra disputet; et quidem primo carpit illam eorum sententiam, qua contendunt: sicut bonas actiones et virtutes; ita et vitia seu peccata omnia inter se aequalia esse.

63) Sensus est: si quis servum cruci adfigat, ad mortem crucis condemnet, quod, catinum auferre jussus, semesos pisces, id est, piscium quasdam reliquias et prope frigidum jus, seu jusculum absorbuerit, lambendo lingua hauserit; magis quam Labeo inter sanos insanus censebitur. Hic enim error levis tanta poena dignus non est, quod tamen esse deberet, si omnia peccata essent paria.

64) M. Antistius Labeo, praetorius, juris etiam peritus, memor libertatis, in qua natus erat, multa contumaciter adversus Caesarem Augustum dixisse et fecisse fertur, propter quod nunc Horatius adulans Augusto insanum eum vocat.

Sanos dicatur. Quanto[65]) hoc furiosius atque
Majus peccatum est! Paullum deliquit amicus,
Quod nisi concedas, habeare insuavis; acerbus
Odisti et fugis, ut Rusonem[66]) debitor aeris,
Qui, nisi, cum tristes misero venere Calendae[67]),
Mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit.
Comminxit[68]) lectum potus, mensave catillum
Evandri[69]) manibus tritum dejecit: ob hanc rem,
Aut[70]) positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc jucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit, aut
Prodiderit commissa[71]) fide, sponsumve[72]) negarit?
Queis[73]) paria esse fere placuit peccata, laborant,

65) Quanto hoc tuum factum furiosius est, quanto gravius peccas, quam ille dominus, cum amicum odisti ob leve delictum, quod nisi condones, jam dicaris insuavis, parum lenis. Acerbus, id est: nimium, graviter odisti.

66) Ruso, secundum alios Druso, foenerator et pessimus historiarum scriptor. Introductus erat apud Romanos per Asinium Pollionem mos, ut scripta sua publice praelegerent, qui usque ad maniam progressus est; hac igitur et Ruso correptus, debitoribus non alia sub conditione solutionem sortis aut centesimarum prorogavit, quam si historias ejus insulsas atque molestas praelegentem patienter audivissent, porrecto jugulo, id est, attentissime, ut solent, qui se erigunt ad aliquid audiendum; vel quasi enecandus molesta, acerba narrationum anilium recitatione.

67) Calendis, quibus solvi debebant sortes et centesimae, vide Sat. II. not. 19. Sensus est: Qui, nisi Calendis advenientibus usuram, sive caput undecunque, quocumque modo extricet, conficiat, solvat, sicut captivus, molestas ejus historias audire debet.

68) Comminxit: Amicus tuus bene pransus et potus, lotio lectum foedavit, in quo ad mensam adcumbebat.

69) Evander Aeneam hospitio excepit. Sensus est: e mensa dejecit catinum, quem jam Evander multo usu attrivit, ac proinde, propter antiquitatem pretiosum. Quod si autem sumamus Evandrum caelatorem et plasten statuarum Romae celeberrimum, qui ab Antonio Athenis Alexandriam, et hinc inter captivos Romam delatus est, ubi multa opera mirabilia fecit; intelligenda erit patina ob hoc artifice trita, torta, confecta, ac proinde ob artificium pretiosa.

70) Aut propterea, quod positum pullum in parte patinae ante mea, id est: mihi viciniore, ante me abstulerit, comederit esuriens amicus, eum minus amem?

71) Commissa fide, id est, arcana fide, pro, fidei.

72) Sponsumve: inficiatus sit aliquod promissum, solenni formula et sponsione factum.

73) Queis paria etc. Stoici, qui ajunt, omnia peccata esse paria, labo-

Cum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant
Atque ipsa utilitas, justi[74]) prope mater et aequi.
Cum[75]) prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe[76]) pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus;
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenere: dehinc[77]) absistere bello,
Oppida coeperunt munire et ponere leges,
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.
Jura[78]) inventa metu injusti fateare necesse est,

rant, id est, difficile se expediunt, opinionem suam commode tueri nequeunt, cum ipsa rei veritas expenditur; huic enim Stoicorum placito repugnat ipse communis hominum sensus, qui aliter vulgo existimant; mores etiam et consuetudo adversantur; denique utilitas, quia utile est, non esse paria peccata, neque pares omnibus poenas irrogari; ut homines a gravioribus flagitiis deterreantur poenarum graviorum metu.

74) Justi mater: ob utilitatem nempe et ad conservandum cuique suum jus, inventae sunt leges. Sensus totius est: aliter quam Stoici sentiunt omnes homines, qui pro ratione diversitatis scelerum, etiam diversas poenas irrogant; et aliter etiam postulat sensus, consuetudo, et commune bonum.

75) Cum prorepserunt etc. Stoici supremum moralitatis principium statuerunt: age naturae convenienter; quodcunque igitur naturae conveniens, id bonum; quod naturae non conveniens, id peccatum esse contendebant. Cum autem haec natura, in qua omne justum et injustum fundatum esset, eadem reperiretur in omnibus hominibus, exinde aequalitatem virtutum et vitiorum deducebant. Horatius autem hic negat justum ab natura oriri, sed ab legibus, quarum originem altius repetit, et ab utilitate publica, quae, quid justum et injustum sit, maxime demonstravit, deducit, probans hoc in sequentibus. Contextus igitur et sensus est: omne jus inniti communi bono, etiam historia humani generis docet. Cum enim homines brutis animalibus similes prorepserunt, emerserunt, provenerunt e terra prima, recens facta, paulo ante creata, muti et deformes pro glande, qua una cum illis vescebantur, et pro receptaculis certabant manibus primum et unguibus, deinde fustibus, et postremo armis, quae experientia et necessitas eos fabricare docuerat: donec excogitavere sermonem, quo voces et animorum sensa exprimerent.

76) Turpe pecus vocat poëta homines, quod eos, sicut scarabaeos, aliaque reptilia, deformes, nondum formatos penitus e terra prodivisse crederent veteres. Mutum vero, quod adhuc sine sermone essent.

77) Sensus est: postea certaminibus abstinuerunt, urbes aedificare, et leges ad coërcenda vitia et scelera constituere coeperunt.

78) Jura. Sensus et ordo: igitur si temporum praeteritorum historiam et mundi annales consulere velis; fateri necessario debebis: jura, id est leges inventas esse ob metum injustitiae, injuriae, violentiae, subintellige: propter publicum bonum.

Tempora si fastosque[79]) velis evolvere mundi.
Nec[80]) natura potest justo secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis:
Nec[81]) vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus sacra Divum legerit; adsit[82])
Regula, peccatis quae poenas irroget aequas,
Ne scuticâ dignum horribile sectere flagello.
Nam[83]) ut ferulâ caedas meritum majora subire
Verbera, non vereor, cum dicas, esse pares res
Furta latrociniis, et magnis parva mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. Si[84]) dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus et solus formosus et est rex:
Cur optas, quod habes? Non[85]) nosti, quid pater, inquit,

79) Fasti, libri erant, in quibus Romani describebant ea, quae toto anno fierent; ponebatur initio eorum nomen Consulum.

80) Nec natura. Natura sola per se non potest sine legum adminiculo, justum ab injusto discernere; quemadmodum sola per sese dividit et distinguit ea, quae animali cuique bona et utilia sunt, ab iis, quae sunt diversa, mala et noxia.

81) Sensus: nec ratione id umquam evincetur; ut parem contrahat noxam qui caules ex alieno horto collegerit, ac, qui Deorum Sacra nocturno sustulerit furto, proinde sacrilegus sit.

82) Ordo est: sicut in natura non est fundatum discrimen justi et injusti, sic etiam ratio seu philosophia id probare non potest; itaque regula, lex, norma adesse debet, quae singulis vitiis justas et aequas poenas constituat; ne quod scutica seu leviori poena dignum est peccatum secteris, punias flagello, id est, graviori poena. Flagellis enim, seu loris, quibus intexta erant fila ferrea, caedebantur servi.

83) Alloquitur hic Stoicum aliquem, et hunc propter sectae suae placita festive ridet, dicens: eum, si rex foret, his consentanee nequaquam poniturum esse cuncta vitia aequali modo. Et pro hoc: non vereor ne caedas tantum ferula eum, qui meritus sit subire majora supplicia; scio te id non facturum, non futurum adeo lenem; quippe qui paria putes esse furta latrociniis, et mineris te recisurum, id est, emendaturum simili falce, hoc est, iisdem poenis, parva peccata magnis, id est, aeque ac magna.

84) Transit hic poëta ad aliud Stoicorum placitum. Volebant enim sapientem suum, utpote per se beatum, solum bona habere omnia, adeoque omnium artium et scientiarum peritum esse; solum vere philosophum, poëtam, divitem, regem, pulchrum, et, ut Horatius ironice addit, etiam sutorem. Sensus: sed cur id optares, quod ut sapiens, qui omnia possidet, jam habes; regiam nempe dignitatem.

85) Inducit Stoicum hunc loquentem et quasi defendentem hanc sententiam. Chrysippus Zenonis auditor, Stoicae sectae philosophus, quam in

Chrysippus dicat. Sapiens crepidas sibi numquam,
Nec soleas fecit; sutor tamen est sapiens. Qui[86]?
Ut[87], quamvis tacet Hermogenes[88], cantor tamen atque
Optimus est modulator; ut Alfenus[89] vafer, omni
Abjecto instrumento artis clausaque taberna,
Sutor erat: sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex solus, sic rex. Vellunt[90] tibi barbam
Lascivi pueri, quos tu ni fuste coërces,
Urgeris turba circum te stante, miserque
Rumperis[91] et latras, magnorum maxime regum!
Ne longum faciam: dum tu quadrante[91] lavatum
Rex ibis, neque te quisquam stipator ineptum
Praeter Crispinum[93] sectabitur: et mihi dulces
Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici,
Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
Privatusque magis vivam te rege beatus.

---

multis auxit et interpolavit, ob eximiam auctoritatem a Stoicis pater vocabatur.

86) Interrogatio Horatii. Quomodo hoc est intelligendum.

87) Responsio Stoici: Quemadmodum Hermogenes, etiam cum silebat, non cantabat, tamen optimus cantor; ac sicut vafer, callidus, ingeniosus Alfenus, etiam postquam sutoria omnia instrumenta abjecerat occlusa officina, taberna, nihilominus sutor erat: ita sapiens omnium operum opifex perfectissimus est, et quidem solus, adeoque etiam rex.

88) Hermogenes. Vide Sat. II. not. 8.

89) Urbane satis Alfenum Varum Cremonensem deridet, qui abjecta sutrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam venit, magistroque usus Sulpicio Icto ad tantam pervenit scientiam, ut et publico officio fungeretur.

90) Hic subito statuit Stoicum, qui modo se omnia et regem esse probavit, in medio puerorum lascivorum, quibus philosophi quidam, praecipue Cynici, ob sordes et neglectam corporis culturam, ludibrio erant Romae; quo simul adfinitatem Stoicae philosophiae cum Cynica indicare videtur; ac si diceret: tu es omnino Regum maximus, cum talia pateris a lascivis pueris.

91) Rumperis, clamando scilicet.

92) Quadrans erat quarta pars Romani assis, pretium minimum, quod mercenariis utentes balneis pendere consueverant.

93) De Crispino vide Sat. I. not. 80. Sensus est: ne longior sim: cum tu rex Stoicus, ad balnea ibis quadrantem miserum adferens pro mercede, neque, praeter unum Crispinum ineptum, te quisquam stipabit, adjuvans satelles sequetur: at ego indulgentia fruar dulcium, gratorum amicorum, qui, si peccare contingat aliquid, veniam dabunt, me illorum erratis ultro ignoscente; ac, licet sim homo privatus, te tamen rege beatior ero. Id est: defende tu tua severa Stoica principia; ego amicorum errores leniter dijudicabo, et te multo felicior ero.

Satyra IV.

Argumentum.

Tuetur poëta hoc in carmine sermones suos satyricos contra Romanos, qui eos non probabant, et incipit a Lucilio, primo hujus carminis apud Latinos auctore, a cujus satyris vitiosis propterea, quod celeriter nimis et multum scripserat, suas diversas esse, neque has se scribere innuit, ut, quemadmodum Fannius auctoris titulo ac honore potiatur; cum e contra probe sciat, hoc genus carminis et poëtas ab iis, qui vitia sua traduci timent, vehementissime vituperari. Ast ego primum, continuat porro, qui sermoni tantum propiora scribo, poëtis me nequaquam adnumero; sub judice enim adhuc lis est, an satyra, id quod etiam de comoedia disputatur, inter poëtica scriptionis genera recenseri mereatur; praeterea non etiam publice, aut cuivis obvio, quod multi facere solent, meos sermones praelego; et demum non proficiscuntur illi e mala voluntate ac studio, quemquam laedendi, et sive per jocum sive per livorem immerito castigandi. Quod si tamen vitia hominum generatim, ex eo solum fine, ut corrigantur, exemplis adductis hilariter carpenda suscipiam; id eo facilius mihi concedendum erit, quod homines magis exemplis, quam doctrina emendari, experientia doctus compertum habeam.

Eupolis[1], atque Cratinus[2] Aristophanesque[3] poëtae,
Atque alii, quorum comoedia[4] prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus[5] aut fur,

---

1) Eupolis poëta comicus Graecus, qui populo imprimis carus, et in carpendis vitiis liberrimus fuit.

2) Cratinus Atheniensis floruit tempore belli Peloponnesiaci 5to saeculo ante Ch. N. homo vinosus et gulae deditus.

3) Aristophanes haud ita multo post Cratinum floruit: exstant ejus comoediae facetissimae. Socratem maxime exagitavit.

4) Comoedia prisca. Jam apud veteres distinguebatur comoedia prisca et nova; illa carpebat liberrimo joco certos homines invisos vulgo, quae libertas deinde vetita legibus fuit, cautumque deinceps, ne quis in comoedia describeretur, et nomine adpellaretur. Huic veteri comoediae nova et modestior successit, in qua fictis argumentis et personis quotidiani mores describuntur. Vide Horat. de arte poëtica. Ordo autem hic est: Eupolis, Cratinus et alii poëtae, quorum est prisca comoedia, id est, qui in ea floruerunt, notabant multa cum libertate, si quis erat dignus describi, palam carpi et vituperari.

5) Malus: fraudulentus, malitiosus.

Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius [6]), hosce sequutus,
Mutatis [7]) tantum pedibus numerisque; facetus [8]),
Emunctae naris, durus componere versus.
Nam fuit hoc [9]) vitiosus: in hora saepe ducentos,
Ut magnum [10]), versus dictabat stans [11]) pede in uno.
Cum flueret [12]) lutulentus, erat, quod tollere velles.
Garrulus [13]) atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi recte: nam ut multum, nil moror. Ecce,
Crispinus minimo [14]) me provocat: accipe [15]), si vis,
Accipiam tabulas [16]); detur nobis locus, hora,
Custodes [17]); videamus, uter plus scribere possit.
Dî [18]) bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis.
At tu [19]) conclusas hircinis follibus auras,

6) Lucilius cognomine Bassus, eximius satyricus apud Romanos. Pendet hinc, id est: hosce sequutus et imitatus est.

7) Mutatis: alio metro usi sunt antiqui comoediae veteris scriptores, scilicet, jambico; alio vero Lucilius, sc. heroico, qui satyras composuit.

8) Facetus, ingeniosus quidem et emunctae naris, id est, acer, acri judicio; in componendis tamen versibus asperior, parum suavis.

9) Hoc, id est: in hoc; nimirum, hoc vitii habuit.

10) Ut magnum, id est: tamquam rem praeclaram facturus; ratus se rem magnam praestare, difficilem et egregiam.

11) Stans pede in uno: id est, brevissimo tempore; nemo enim diu pede in uno niti potest. Vel etiam: corpore negligenter composito, negligenti corporis habitu.

12) Sensus: etiam quando asperos faciebat versus, erat, quod velles imitari. Allegoria desumta est a flumine, quod lutulentas aquas volvit, qua significat, multa eum, sed inordinate dixisse, ex quibus tantum sunt nonnulla, quae velis inde excerpere, tollere, et imitari.

13) Garrulus, id est: loquax, verbosus erat, et pigrior, mollior in ferendo labore scribendi, scribendi inquam recte, nam ut multum scribatur, nil moror, parum curo, non magni duco.

14) Minimo provocare dicuntur hi, qui in responsione plus ipsi promittunt, quam exigunt ab adversario. Crispinus Horatium ad certamen in versibus scribendis provocans, nimirum rei suae adeo certus, magnum pretium ponit, et ab Horatio e contra minimum exigit.

15) Accipe etc. Verba sunt Crispini. Accipiam, id est, ego Crispinus vicissim accipiam.

16) In tabulis ligneis, cera obductis, scribebant Romani.

17) Custodes, qui observent, ne aliena utamur opera aut scriptis.

18) Dî bene fecerunt: responsio poëtae: Diis ego multam debeo gratiam, quod inopi, pusillo et tenui me ingenio esse voluerunt, crearunt, quo fit, ut raro, et perpauca loquar.

19) At tu: o Crispine, imitare, si mavis, si tibi collibet, tuis versibus

Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius [20]) ultro
Delatis capsis et imagine, cum [21]) mea nemo
Scripta legat, vulgo recitare timentis ob hanc rem,
Quod sunt, quos genus hoc minime juvat, utpote plures
Culpari dignos. Quemvis [22]) media elige turba;
Aut ab avaritia aut misera ambitione laborat.
Hunc capit argenti [23]) splendor; stupet Albius [24]) aere;
Hic mutat merces surgente [25]) a sole ad eum, quo
Vespertina tepet regio; quin [26]) per mala praeceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat, metuens, aut ampliet ut rem.
Omnes [27]) hi metuunt versus, odere poëtas.
Foenum [28]) habet in cornu, longe fuge; dummodo risum

turgidis et ambitiosis, folles vento distentos, qui fornacem accendunt, donec igne molliatur ferrum. Hircinis, id est: ex hircino corio factis. Laborantes: videntur enim folles laborare, et anhelare graviter, dum ventum vehementius emittunt.

20) Fannius Quadratus, conviva Hermogenis Tigellii, scriptor sui admiratione inflatus, Horatii obtruncator, cui non petenti senatus detulit capsas, quibus libri ejus in Augusti bibliotheca reponerentur una cum sua imagine, ad memoriam ejus prodendam. Clarorum enim poëtarum scripta et imago reponebantur in ea bibliotheca; et interdum id honoris dabatur pessimis et immeritis per ambitionem et malas artes: ut illi Fannio, qui extorsit hoc per amicos et adulatores, ejus opibus et opimae, ut quidam volunt, hereditati inhiantes. De capsis in quibus libri veterum adservabantur, vide Antiquitates.

21) Fannius, ut captaret hominum famam, recitabat ac venditabat sua carmina, quod poëtis Romae tunc solenne fuit; at ego, inquit Horatius, nec mea legenda praebeo, et recitare illa in circulis et consessu hominum non ausim, eo quod multi sunt, qui isto genere satyricorum versuum non delectantur utpote magnam partem vituperio digni.

22) Quemvis: sume, quem voles, de tota turba; aut ambitionis aut avaritiae morbo tenetur.

23) Argenti, id est: signorum, vasorum, ex argento factorum.

24) Albius, insanus quidam signorum et vasorum aeneorum amator; stupet, id est, capitur, defixis oculis animoque miratur, concupiscit statuas ex aere Corinthio factas.

25) Surgente: id est, ab Oriente usque ad Occidentem mutat, convehit, merces, mercaturam exercet.

26) Imo per mille pericula, naufragia rapitur, sicut pulvis procella rotatus, dum timet, ne quid sibi de summa, de opibus jam partis pereat; aut dum easdem augere cupit.

27) Omnes hi metuunt sibi a versibus, et odio habent, non ferunt poëtas.

28) Qui cornupetas boves habebant, providere tenebantur, ne cui nocerent, vitii ejus ignaro. Ergo ut admonerent, solebant illis suspendere foenum

Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico,
Et quodcunque semel chartis illeverit, omnes
Gestiet a furno redeuntes scire lacuque,
Et pueros et anus. Agedum[29]) pauca accipe contra:
Primum ego me illorum, dederim[30]) quibus esse poëtas,
Excerpam numero. Neque enim concludere[31]) versum
Dixeris esse satis; neque, si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poëtam.
Ingenium[32]) cui sit, cui mens divinior atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem. —
Idcirco quidam, comoedia necne poëma
Esset, quaesivere[33]), quod acer spiritus ac vis
Nec verbis nec rebus inest, nisi quod pede certo
Differt sermoni sermo merus. At[34]) pater ardens

e cornu, unde natum proverbium etiam de hominibus, a quibus aliquid timeri potest. Est hic sermo vulgi in poëtas, qui acres sunt in homines vitiosos. Sensus: hic homo perniciosus et vitandus est, longius abscede ab illo, nam si modo habeat materiam ridendi, nemini, ac ne amico quidem, parcit; et si quid semel temere in chartam fuderit, scripserit, gestiet, cupiet, summa illi voluptas erit, facere, ut quotquot a furno aut a fonte redeunt, et pueri et anus id sciant; id est: in vulgus dispergit, divulgat; vulgus enim frequens solet esse ad furnos et fontes. Lacus erant aquarum receptacula Romae in quibus illae colligebantur per aquaeductus.

29) Age vero, pauca haec accipe, audi, quae contra illos, quibus satyra displicet, habeo.

30) Dederim: quos esse poëtas consenserim.

31) Concludere: versum certis pedibus claudere non sufficit, nec, si quis sermoni propiora, id est, solutae orationi similia, sicut ego, scribat, ut poëta habeatur.

32) Ingenium poëticum, vena poëtica, phantasia; mens divinior, enthusiasmus; os magna sonaturum, stylus sublimior poëticus.

33) Quaesivere: dubitarunt, an comoedia inter poëmata sit referenda, nec ne? quod neque in illius vocabulis, stylo; nec in rebus, cogitatibus insit acer spiritus, enthusiasmus, aut vis ulla et gravitas; neque aliud sit discrimen inter vulgarem merumque sermonem, et illum, quo comoedia utitur, nisi quod hic ad certum ordinem pedum adstrictus sit.

34) Objectio: quoniam dixit in comoedia non esse verba seria, et sensum vehementem, et idcirco non videri poëma; fingit adversarium ostendere ei, inesse spiritum acrem, siquidem patrem introducit, vehementer et acriter saevientem in filium suum, luxu perditum. Sensus: at enim, inquiet aliquis, inesse vim quoque et spiritum comoediae, eamque interdum adsurgere v. g. cum in Terentio Demea in filium Aeschinum tam graviter et acerbe invehitur, quod dissolutus adolescens, captus insano amore meretriculae nolit ducere uxorem nobilem, et bene dotatam, et quod idem filius suus ebrius per urbem de die ambulet, gestans faces accensas; quod profecto magnum

Saevit, quod meretrice nepos[35]) insanus amica
Filius uxorem grandi cum dote recuset;
Ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante
Noctem cum facibus[36]). Numquid[37]) Pomponius[38]) istis
Audiret leviora, pater si viveret? Ergo[39])
Non satis est puris versum perscribere verbis,
Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem,
Quo personatus pacto pater. His, ego quae nunc,
Olim quae scripsit Lucilius, eripias si
Tempora[40]) certa modosque, et quod prius ordine verbum est,
Posterius facias, praeponens ultima primis:
Non, ut si solvas, „Postquam discordia tetra
Belli ferratos postes, portasque refregit:"
Invenias etiam disjecti membra poëtae. —
Hactenus[41]) haec; alias justum sit nec ne poëma;
Nunc illud tantum quaeram, merito ne tibi sit
Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius[42]) acer

est dedecus et flagitium. Potest autem hic per patrem personatum comoediae intelligi vel Demea in Adelph. vel Menedemus et Chremes in Heautont. vel Simo in Andria apud Terentium.

35) Nepos, flagitiosus, discinctus, dissolutus.

36) Cum facibus ante mulierum, quas adibant, fores stare solebant, et cantare, ast noctis tempore; ante noctem plenam id ergo tantum ebrii facere solebant, quod majus adhuc erat dedecus.

37) Responsio et solutio est objectionis. Atqui, inquit Horatius, pater Pomponii familiari sermone eodem modo filium alloqueretur, non levioribus cum verbis castigaret, si viveret, quam Demea Aeschinum.

38) Pomponius, Romanus juvenis, qui patre mortuo in omnem se lasciviam effundebat, quemque hic obiter Horatius, ut alios plurimos, vellicat.

39) Ergo: non itaque satis est, versum ex meris, puris verbis sine ornatu et elegantia componere, quorum si dissolveris, mutaveris seriem, quivis eodem modo stomachetur, irascatur, quo pater iste comicus apud Terentium.

40) Tempora certa: id est, quantitatem syllabarum definitam. Per modos hic intelliguntur pedes et numeri, e quibus constant versus. Disjecti poëtae membra sunt pedes versuum dissoluti. Sensus est: si dissolveris versus meos vel Lucilii, non invenies in verbis eandem gravitatem, quae est in Ennianis versibus, qui magno scilicet spiritu et verbis altioribus sunt compositi, quales sunt isti: postquam etc.

41) Hactenus: sed haec sane de satyra et comoedia dicta sint hactenus; de quibus alias quaeram diligentius et excutiam: an scilicet utraque sit legitimum poëma, nec ne? Nunc id omittam et quaeram id unum a te, an merito satyram oderis.

42) Sulcius et Caprius celeberrimi delatores et causidici fuisse dicuntur, et ideo male rauci, id est, valde rauci, quod in contentione judiciorum clament.

Ambulat et Caprius, rauci male, cumque libellis[43]),
Magnus uterque timor latronibus; at bene si quis
Et vivat puris manibus[44]), contemnat utrumque.
Ut[45]) sis tu similis Coelî Birrîque latronum;
Non ego sum Caprî, neque Sulcî; cur metuas me[46])?
Nulla[47]) taberna meos habeat neque pila[48]) libellos,
Queis[49]) manus insudet vulgi, Hermogenisque Tigelli;
Non[50]) recito cuiquam nisi amicis, idque coactus,
Non ubivis coramve quibuslibet. In[51]) medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes;
Suave locus voci resonat conclusus. Inanes[52])
Hoc juvat, haud illud quaerentes, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno. Laedere[53]) gaudes,
Inquit, et hoc studio pravus facis. Unde petitum
Hoc in me jacis[54])? est auctor quis denique eorum,

43) Libellis: in quibus eorum crimina et nomina servabant, quos adcusare vellent.

44) Puris manibus, a scelere nempe. Sensus est: Sulcius et Caprius, adcusatores vehementissimi, atque ideo valde rauci, cum suis libellis memorialibus multum timorem adferunt latronibus; sed si quis innocens vivat, servetque manus expertes sceleris, utrumque spernet, et contemnet.

45) Ut sis: ponamus esse te latronem, non minus quam Coelium et Birrium; tamen ego non sum Caprii aut Sulcii similis, non tam asper improborum et severus castigator. Coelius et Birrius fuerunt duo adolescentes perditi.

46) Me, id est, mea carmina satyrica.

47) Nulla: non prostant mei libri in ulla taberna, officina libraria, aut pila.

48) Pila: postis vel columna, ubi libri venales adfigi solebant, aut prope quas bibliopolae suas officinas habebant.

49) Queis etc. unde nec vulgi, aut similium Hermogenis manus illis sudorem allinunt legendo, id est: vulgus non legit hos libellos. Hermogenes Tigellius, de quo vide Sat 2. not 8. hic ponitur pro genere hominum, qui per tabernas librarias circumcursitantes nova opera inspiciebant, ut in circulis et mensis divitum sermonem de his inferre potuerint.

50) Non recito: id est, nemini eos lego, nisi amicis.

51) Ordo est: multi quidem sunt, qui in medio ipso foro recitant, quae scripsere; multi, qui lavantes in balneis hoc faciant, propterea, quod in balneis undique conclusis vox legentis clarius et suavius resonet.

52) Inanes: id est, hoc autem inanes, vanos tantum, qui rebus in minimis gloriam quaerunt, delectat; nempe carmina sua quocunque loco et tempore recitare: quia ejusmodi homines parum curant, an hoc stulte, sine sensu et ratione, an apto tempore fiat? —

53) Sensus: sed dices fortasse, me esse eum, quem juvat alios laedere satyra; me id studio, maligna voluntate, prave, improbe facere.

54) Jacis: ast unde mihi objicis, et hanc in me confers adcusationem? Est ne illorum ullus, cum quibus vitam degi, auctor horum, quae mihi exprobras? qui ita de me sentiat?

Vixi cum quibus? Absentem[55]) qui rodit[56]) amicum,
Qui non defendit, alio culpante; solutos
Qui captat[57]) risus hominum famamque dicacis;
Fingere[58]) qui non visa potest, commissa[59]) tacere
Qui nequit; hic niger[60]) est, hunc tu Romane caveto.
Saepe[61]) tribus lectis videas coenare quaternos,
E quibus unus avet quavis adspergere cunctos,
Praeter eum, qui praebet aquam; post hunc quoque potus,
Condita quum verax aperit praecordia Liber.
Hic tibi comis et urbanus liberque videtur
Infesto nigris; ego[62]) si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum,
Lividus et mordax videor tibi? Mentio[63]) si qua
De Capitolini furtis injecta Petillî
Te coram fuerit, defendas, ut tuus est mos:
Me[64]) Capitolinus convictore[65]) usus amicoque

55) Nunc ostendit, qui nam sint potius fugiendi, quam satyrici.

56) Rodit, carpit calumniis, maledictis.

57) Captat risus: qui amat risum aliis movere, et dicax haberi.

58) Fingere: qui potest mentiri, et dicere a se visa esse, quae non visa sunt.

59) Commissa: arcana scilicet, quae alicui committuntur.

60) Niger, id est, mala indole improbus est.

61) Saepe tribus: in coenatione, oeco, ubi coenabant veteres, circa mensam quadrangulatam tres lecti stabant, medius, summus ad dextram, et imus ad sinistram, inferior quarta pars erat aperta. In quovis lecto mensae adcumbebant tres, ad summum quatuor. Vide Antiquit. Sensus est: saepe in frequentissimo convivio, ubi singulis in lectis quatuor adcubant, reperietur unus aliquis inter imos, qui avet, gestit, amat omnes ceteros jocis atque dicteriis quavis ratione adspergere, id est, notare, praeter convivatorem, dominum convivii, qui praebet convivis ante coenam aquam ad lavandas manus; illi soli parcit, ac ne parcit quidem semper, sed hunc quoque post alios carpit, suisque salibus irrorat, vino potus et hilarior factus, cum nimirum Liber verax, id est, vinum veritatis amans aperit animorum abditos sensus. Hic tamen habetur urbanus, et laudatur a te infesto nigris, id est, qui simulas te infestum et inimicum esse malis et vitiosis, laedere gaudentibus.

62) Sensus: cur igitur a te reprehendor, invidum et mordacem me existimas, si per jocum forte in satyra dixi, quod Rufillus absurdus exquisitum pastillorum odorem, Gorgonius vero hircinum graveolentem spargat. Vide Sat. 2. not 33 et 34.

63) Mentio: fingit se loqui cum amico Petillii, cognomine Capitolini. Adcusatus est hic, quod coronam Jovis Capitolini rapuisset; aut ut alii malunt, de peculatu; sed absolutus est a judicibus in gratiam Augusti, cujus amicus erat. Ordo est: quod si quis te praesente mentionem fecerit furtorum Petillii, tuque illius defensionem tuo more ita incipias.

64) Me Capitolinus: sunt verba defensoris Petillii, qui, cum defendere eum et excusare deberet, magis laedit.

A puero est, causaque[66]) mea permulta rogatus
Fecit, et in columis laetor quod vivit in urbe;
Sed tamen admiror, quo pacto judicium[67]) illud
Fugerit. Hic nigrae succus loliginis[68]), haec est
Aerugo[69]) mera, quod[70]) vitium procul abfore chartis,
Atque animo prius, ut si quid promittere de me
Possum aliud, vere promitto. Liberius[71]) si
Dixero quid, si forte jocosius, hoc mihi juris
Cum venia dabis. Insuevit[72]) pater optimus hoc me,
Ut fugerem, exemplis vitiorum quaeque notando.
Cum me hortaretur, parce, frugaliter atque
Viverem uti[73]) contentus eo, quod mî ipse parasset:
Nonne[74]) vides, Albî ut male vivat filius, utque
Barrus inops? magnum[75]) documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. A turpi meretricis amore
Cum deterreret: Sectani dissimilis[76]) sis.
Ne[77]) sequerer moechas, concessa quum Venere uti
Possem: deprensi[78]) non bella est fama Trebonî,

65) Convictore, id est, a pueritia cum eo sum educatus, vixi cum illo.

66) Causa mea: id est, propter me, mei gratia, a me rogatus multa praestitit.

67) Judicium illud: id est, judicium, sententiam adcusatus furti subterfugerit.

68) Est loligo piscis, atrum ex se fundens liquorem, quo aquam inficit ne capiatur a piscatoribus; quique hic metaphorice ponitur pro fraudulenta oratione perfidi hominis, qui in speciem laudans, vere vituperat.

69) Aerugo: tabes aeri adhaerens, idque arrodens, ut rubigo ferrum. Germana livoris imago, qui famae et meritis aliorum detrahere solet.

70) Sensus est: cujus ego vitii virus, si aliquid aliud de me pollicere possum, me nunquam in scripta mea admissurum, ac longe etiam minus in animum, sancte promitto.

71) Sensus: si quid autem jocosa libertate hilarius protulerim, sines me meo uti jure.

72) Insuevit: assuefecit enim me optimus pater meus, eos mihi mores indidit atque ingeneravit, ut exemplis vitiorum adductis, ea notando et vituperando, ad omnia fugienda impelleret.

73) Ordo est, ut parce, frugaliter, et contentus viverem.

74) Nonne vides, ajebat, cernis, ut male vivat, vitam aegre sustentet, enecetur fame Albii filius?

75) Sensus: egregie certe uterque admonet, ne quis, quae a patre accepit, luxu profundat.

76) Dissimilis sis, subaudi, ajebat.

77) Ne sequerer, id est, ut me ab adulteriis revocaret, cum per nuptias honestas concessa, licita, legitima possem frui voluptate.

78) Deprehensi in adulterio fama non pulchra, probrosa est.

Ajebat. Sapiens[79]), vitatu quidve petitu
Sit melius, causas reddet tibi; mî satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare, tuamque,
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possum: simul ac duraverit aetas
Membra animumque tuum, nabis[80]) sine cortice. Sic me
Formabat[81]) puerum dictis; et sive jubebat,
Ut facerem quid: Habes[82]) auctorem, quo facias hoc;
Unum ex judicibus selectis[83]) objiciebat;
Sive vetabat: An hoc inhonestum et inutile factum
Nec ne sit, addubites, flagret rumore malo cum
Hic, atque ille? Avidos[84]) vicinum funus ut aegros
Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria saepe
Absterrent vitiis. Ex hoc[85]) ego sanus ab illis,
Perniciem quaecunque ferunt, mediocribus et queis
Ignoscas, vitiis teneor. Fortassis[86]) et isthinc
Largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,

79) Sensus: docebunt te philosophi, quas ob rationes quaeque res sit aut vitanda aut adpetenda; sufficit mihi, qui philosophus non sum, traditam a majoribus consuetudinem retinere, et quamdiu tibi opus custodia est, videre, quomodo vitae et famae tuae gerere curam valeam; cum aetas tibi membra animumque firmaverit, nihil opus erit tibi amplius adminiculo alieno id est, ductore.

80) Natare sine cortice dicuntur ii, qui propriis viribus et a nullo adjuti aliquid faciunt; loquendi modo ducto ab iis, qui, cum natare initio nesciant, substernunt sibi corticem suberis, ne mergantur, illumque facti doctiores abjiciunt.

81) Formabat, instituebat dictis monitis.

82) Habes auctorem: habes aliquem, inquiebat meus pater, cujus auctoritate et exemplo possis hoc recte atque honeste facere; statimque mihi proponebat aliquem e probatissimis judicibus. Cum vero quid vetabat, ne facerem: num dubitare potes, ajebat, an hoc inhonestum, et inutile sit, nec ne, cum ob eam rem male audiat hic atque ille etc.

83) Selectis: quotannis ab urbano praetore deligebantur viri optimi ex omnibus ordinibus, qui judicia exercerent, ipsumque adjuvarent.

84) Avidos: gulosos, et a cibo vix sibi temperantes. Sensus est: quemadmodum terrentur aegroti, audita morte vicini alicujus, et a cibis abstinere hoc exemplo docentur, ita alienis exemplis vitiisque adolescentes a vitiis avocantur.

85) Ex hoc, id est, ex hac mei patris institutione prudentissima, et disciplina ego sanus sum, id est, immunis a vitiis gravioribus, quae pestem hominibus praesentissimam adferunt.

86) Fortassis et isthinc, id est, bonam istorum vitiorum partem auferet, emendabit vita in longum producta, amici monitoris libertas, et consilium proprium, id est, mea ipsius prudentia.

Consilium proprium; neque enim, cum lectulus aut me
Porticus[87]) excepit, desum mihi. Rectius hoc est;
Hoc faciens vivam melius, sic dulcis amicis[88])
Occurram. Hoc quidam non[89]) belle: numquid ego illi
Imprudens olim faciam simile? Haec[90]) ego mecum
Compressis agito labris; ubi quid datur otî,
Illudo chartis. Hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum, cui si concedere[91]) nolis,
Multa poëtarum[92]) veniet manus, auxilio quae
Sit mihi, nam multo plures sumus, ac veluti te
Judaei[93]) cogemus[94]) in hanc concedere turbam.

Satyra V.

Argumentum et occasio.

Confecto bello Philippensi, Octavianus et M. Antonius mutuis offensionibus irritati ad arma venerant, L. Antonio, Marci fratre et Consule, e Perusia, oppido Hetruriae, a Caesarianis exturbato, obsessoque ab Antonianis Brundusio contra Caesarem, cujus praesidio urbs tenebatur. Cum eo loci essent res, qui exercitui Caesaris praeerant, concordiae cupidi, ad eam per quosdam e suis Antonium sollicitarunt; qui cum non recusaret, delecti sunt e Caesarianis Maecenas, ex Antonianis Pollio, qui cum Coccejo et, ut Horatius vult, cum Fontejo Capitone dissidentes perconciliarent; quod et

87) Erant multae in urbe porticus, in quibus confabulari, opacum frigus captare, spatiari mos erat. Sensus est: quoties aut jaceo in lecto, aut in porticu deambulo, non desum mihi, id est, me ipsum admoneo, et ista mecum retracto tacitus.

88) Amicis occurram, id est, cum amicis conversabor.

89) Non belle, subaudi, facit.

90) Haec ego mecum compressis labris tacitus loquor; et si temporis aliquid superest, illudo chartis, id est, scriptito, ludo in chartis, compono aliquid, quod edam in vulgus, satyras condo.

91) Concedere, ignoscere.

92) Poëtarum manus, id est, magno numero convenient poëtae, qui me adjuvent.

93) Judaei, qui erant Romae, plurimos adductis rationibus et vehementi scilicet cohortatione ad veri nominis cultum et religionem suam pertrahebant.

94) Cogemus te in nostrum numerum venire, id est, aut poëtam esse, aut certe poëtis favere, non insectari praeterea satyricos, ut facis.

fecerunt, et utrumque exercitum juxta Brundusium in una castra cum magna laetitia coëgerunt a. u. 714. Appianus I. bell. civ. 9. et Liv. 127. Hos viros Brundusium proficiscentes sequutus est Horatius, totumque iter suum facete describit. Roma cum Heliodoro rhetore profecti, per Ariciam usque ad Forum Appii perveniunt, ubi navicula iter nocte continuant Feroniam; sumto ibidem prandio proficiscuntur Anxurem, ubi Maecenatem, Coccejum et Capitonem assequuntur. Dehinc Fundos praetereuntes Formiis pernoctant. Proxima die Sinuessae recipiunt Plotium, Varium et Virgilium poëtas, et omnes noctem transigunt in villa ad pontem Campanum. Hinc tendunt in villam Cocceji, ubi lite scurrili inter Sarmentum et Messium jucundissime coenam protrahunt. Proficiscuntur inde Beneventum, in villam Trivici, tum rhedis celerrime vecti Equotutium, Canusium, ubi Varius societatem reliquit, postmodum Rubos, Barium, Gnatiam et tandem Brundusium.

Egressum magna me excepit Aricia[1]) Roma
Hospitio[2]) modico; rhetor comes[3]) Heliodorus,
Graecorum longe doctissimus. Inde Forum[4]) Appî,
Differtum[5]) nautis, cauponibus, atque malignis.
Hoc[6]) iter ignavi divisimus, altius[7]) ac nos
Praecinctis unum. Minus[8]) est gravis Appia[9]) tardis.
Hic[10]) ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri

1) Aricia me excepit, id est, veni Ariciam, quae oppidum fuit trans montem Albanum in via Appia situm; per hanc Roma iter est Brundusium.

2) Hospitio modico: ubi non larga sed modica suppeditatur ciborum copia.

3) Comes, id est, erat mecum Heliodorus, omnium Graecorum erudi tissimus virorum. Heliodorus hic alias non commemoratur.

4) Forum Appî: oppidum alterum in eadem via Appia ad oram Pomtinae paludis. Fora conveniebant apud Romanos cum nostris oppidis: Marktflecken.

5) Differtum, plenum nautis, et malignis, perfidis cauponibus, qui iniquum lucrum ex omni re quaerunt. Vide Sat. I not. 29.

6) Sensus: hoc iter, Roma ad forum Appii nos ignavi, pigri in duos distribuimus dies, biduo confecimus, quod valentiores nobis, uno conficiunt.

7) Altius praecincti. Qui rem aliquam sedulo tractare volebant, tunicam, ne illa impedimento esset, altius super femura usque cingulo subnectebant; hinc gnavi dicuntur alte cincti; ignavi econtra, discincti.

8) Minus, id est: tardis, lente proficiscentibus minus incommoda est via Appia, quia deversoriis est frequens, ubi possunt manere viatores, quocunque venerint.

9) Appia: ita vocata est haec via ab Appio Claudio Caeco, censore, qui eam lapide straverat.

10) Sensus: hic, in Foro Appii, ob pessimam, deterrimam aquam ab-

Indico bellum, coenantes haud animo aequo
Exspectans comites [11]). Jam nox inducere terris
Umbras, et caelo diffundere signa [12]) parabat;
Tum pueri [13]) nautis, pueris convicia nautae
Ingerere. Huc adpelle; trecentos inseris; ohe,
Jam satis est! Dum aes [14]) exigitur, dum [15]) mula ligatur,
Tota abit hora. Mali [16]) culices, ranaeque palustres
Avertunt somnos. Absentem ut [17]) cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta, atque viator
Certatim: tandem [18]) fessus dormire viator
Incipit; ac missae pastum retinacula mulae
Nauta piger saxo religat, stertitque supinus.
Jamque dies aderat, nil quum procedere lintrem
Sentimus, donec cerebrosus [19]) prosilit unus,
Ac mulae, nautaeque caput lumbosque [20]) saligno
Fuste dolat [21]). Quarta [22]) vix demum exponimur hora.

---

stineo a coena (qui enim ventri cibum potumque denegat, hostiliter quasi contra ventrem exsurgit) et haud animo aequo, id est, aegre, impatiens morae, a coenantibus comitibus interpositae, exspecto, operior jejunus.

11) Comites eos, quibuscum Feroniam cymba iturus erat; a foro enim Appii Brundusium iter continuabatur a navigare malentibus cymba per canalem qui Feroniam ducebat, idque noctu, ad evitandum calorem diei.

12) Signa caelestia, id est, stellas. Circumscriptio poëtica noctis adventantis.

13) Sensus et ordo: tum servi nostri, quorum quilibet viator unum alterumve secum habebat, et nautae se invicem conviciis petere coeperunt. Unus servorum clamat: huc navem adpelle, adplica cymbam; et quum trecentos, id est, ingentem multitudinem in eam descendere videt, iterum clamat: tantos inseris, recipis in naviculam, ohe, jam satis est, desine plures inserere!

14) Aes, id est, pecunia, nautis dari solita, naulum.

15) Dum mula in ripa navi, ad eam per illum canalem trahendam, alligatur.

16) Mali, id est, pessimi, et ranae locis palustribus coaxantes somnum nobis lintrem ingressis impediunt.

17) Ut, id est, dum simul et nauta in nave, et viator, mulae agitator in ripa, proluti multa vappa, id est, vino corrupto pleni, amorem suum erga puellas absentes canendo certatim exprimunt.

18) Tandem viator, mulio cantando fessus obdormire coepit, et nauta ignavus, dimissa ad pascendum mula, funes, quibus ad navem alligabatur, saxo innectit, et toto corpore supinus, id est, in tergo jacens stertit.

19) Cerebrosus: iracundior, fervidioris ingenii homo, qui subito ira exardescit.

20) Lumbos, id est, femura.

21) Dolat, verberat, percutit, caedit.

22) A foro Appii ad Feroniem una nocte perveniebatur, sed propter

Ora manusque tua lavimus, Feronia [23]), lympha.
Millia [24]) tum pransi tria repimus, atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Maecenas optimus, atque
Coccejus, missi [25]) magnis de rebus uterque
Legati; aversos soliti [26]) componere amicos.
Hic [27]) oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere. Interea Maecenas advenit atque
Coccejus, Capitoque [28]) simul Fontejus, ad unguem
Factus homo, Antonî, non ut magis alter, amicus.
Fundos [29]) Aufidio Lusco Praetore libenter

---

moram, de qua dixit, nonnisi hora demum quarta post solis ortum navi exscenderunt. Diem enim ab ortu solis ad occasum duodecim horis totum semper metiebantur, quae horae breviores erant hieme; aestate longiores. Vide Antiqu. Vere autem hoc iter susceptum esse indicant ranae coaxantes, de quibus supra; et turdi macri, de quibus infra mentionem facit poëta.

23) Feronia, urbs prope Anxurem seu Terracinam, Nymphae seu Deae ibidem cultae sacra, sicut et fons ibidem celebris, in quo religionis causa manus et faciem lavare placuit. Lavimus, est vox temporis praesentis ab antiquo, lavere.

24) Sensus et ordo est: sumto prandio, repentibus similes, id est, lento gradu vix tria passuum millia provehimur, devenimusque Anxur, inaedificatum saxis, quorum candor cernitur eminus. Anxur est oppidum Italiae in monte positum, ubi Jupiter nomine Anxuris sive Axuris, id est, imberbis colebatur. Nunc Terracina dicitur.

25) Missi magnis de rebus: lecti nimirum, ut amicitiam redintegrarent, inter Octavianum et M. Antonium Triumviros. Vide supra argumentum.

26) Soliti: jam enim Coccejus isthic, communis Octaviani et Antonii amicus, probabilius auxiliante Pollione et Maecenate dissidentes Triumviros prius reconciliavit. Lucius Coccejus Nerva fuit Juris consultus, et avus Nervae imperatoris.

27) Hic oculis; sensus est: ego hic lippientes oculos meos collyrio nigro inunxi. Collyria sunt oculorum quaedam medicamenta, quibus illinuntur, ad humorem siccandum, quo laborant lippi.

28) Capito amicus et legatus Antonii ad Octavianum, homo ad unguem factus, id est, diligentissime expolitus. Translata est haec loquutio a statuariis, qui, quidquid in opere asperum digitorum vel unguium sensu animadvertunt, laevigant et expoliunt.

29) Fundi, parvum oppidum in via Appia inter Terracinam et Formias situm, cui praeerat nunc, a Praetore urbano, ut videtur eo missus, vanus quidam homo, Aufidius Luscus, scriba (magistratuum in rebus litteris mandandis administer) qui, quasi esset ipse praetor, externis insignibus, praetexta, lato clavo, ac prunae batillo, praetoris dignitatem ridicule prae se ferre et adsimulare studebat. Praetor erat magistratus, qui jus dicebat; de hoc, et de toga praetexta, tum etiam de tunica laticlavia vide Antiquitates;

Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
Praetextam, et latum clavum, prunaeque batillum.
In Mamurrarum [30]) lassi deinde urbe manemus,
Muraena [31]) praebente domum, Capitone culinam.
Postera lux oritur multo gratissima, namque
Plotius [32]) et Varius Sinuessae [33]), Virgiliusque
Occurrunt, animae [34]), quales neque candiores
Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter.
O qui complexus, et gaudia quanta fuerunt!
Nil [35]) ego contulerim jucundo sanus amico.
Proxima Campano [36]) ponti quae villula, tectum
Praebuit, et parochi, quae debent ligna salemque.
Hinc [37]) muli Capuae clitellas tempore ponunt.
Lusum it Maecenas, dormitum ego Virgiliusque:

jam etiam saepius de his sermo fuerat. Per prunae vero batillum intelligitur vasculum quoddam, in quo prunae sive carbones ad incendendos odores et suffitum ponebantur. Praemia hic sunt externa dignitatis praetoriae ornamenta. Sensus itaque est et ordo: Fundos, quod ibidem Praetoris vices gereret Aufidius Luscus scriba, haud aegre praeterivimus, irridentes honoris insignia, praetextam, latum clavum et foculum cum ardentibus prunis, quae sibi homo isthic vanus insane adhibebat.

30) Mamurrarum urbe, id est, Formiis, unde Mamurrae equites Romani nobilissimi erant oriundi.

31) Muraena fuit frater Terentiae, Maecenatis uxoris; hic videtur Formiis domum habuisse; propterea ergo domum, habitationem ad compotandum praebuisse dicitur a poëta. Capito vero praebuit culinam in hac domo, id est, omnia, ea comparavit, quae in hoc itinere, ubi esset cibi potusque penuria, ad victum pertinent.

32) De Vario vide od. 5. L. I. Ceterum ambo, Plotius et Varius fuerunt poëtae tum temporis illustrissimi, quos non tantum Horatius et Virgilius, sed etiam Maecenas magni faciebat.

33) Sinuessa, oppidum est in Campaniae finibus. Sinuessae occurrunt, id est, nobiscum conveniunt.

34) Animae, id est, tales homines, quales alios nullos terra candidiores tulit, et quibus ego obstrictus, devinctus atque amicus sum, ut ita nullus alter.

35) Sensus est: ego certe, quamdiu sane sentiam, sana mente ero, nihil conferri posse crediderim cum dulci amico, rebus illum omnibus anteponam.

36) Id est, mansimus dein in exigua villa, quae est proxima Campano ponti; intellige pontem trans fluvium Savonem in via Appia. In hac villa erant parochi, certi homines, qui legatis populi Romani, et magistratibus iter facientibus praebebant omnia, quae hospitibus necessaria sunt, ut, salem, ligna etc. ita dicti a verbo Graeco παρέχω, praebeo.

37) Hinc. Sensus est: ex hac villula muli nostri Capuam usque perrexerunt, ubi clitellas seu ephippia oneraria tempore, id est, tempestive, ante noctem adhuc deposuerant. Capua urbs olim Italiae amplissima, et aemula Romae, non procul Neapoli.

Namque [38]) pilâ lippis inimicum, et ludere crudis.
Hinc [39]) nos Cocceji recipit plenissima villa,
Quae superest Caudi cauponas. Nunc [40]) mihi paucis
Sarmenti scurrae pugnam Messîque Cicirri,
Musa, velim memores, et quo patre natus uterque
Contulerit lites. Messî [41]) clarum genus Osci;
Sarmenti [42]) domina exstat: ab his majoribus orti
Ad pugnam venere. Prior Sarmentos: Equi te
Esse feri similem dico. Ridemus; et ipse
Messius: Accipio [43]); caput et movet. O [44]), tua cornu
Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, cum
Sic mutilus minitaris? At [45]) illi foeda cicatrix
Setosam [46]) laevi frontem turpaverat oris,
Campanum [47]) in morbum, in faciem permulta jocatus,

38) Sensus est: namque pilae ludus nocet lippis, et iis qui stomachi cruditate laborant; vehemens enim exercitatio, qualis est in hoc ludo, nocet plurimum male cibos digerentibus.

39) Id est: hinc nos in Cocceji venimus villam, omnibus rebus abundantissimam, quae sita est trans cauponas ad Caudium, Samnii oppidum in via Appia inter Capuam et Beneventum, ignominiosa Romanorum clade notum.

40) Sequitur hic episodion de duobus scurris, qui in villa praedicta societatem deversantem jocis suis plebejis distrahebant, sicut hoc in coenis divitum Romanorum moris fuit. Sensus est: nunc vero te quaeso, o Musa, ut narres mihi certamen initum inter scurram Sarmentum et Messium Cicirrum, et quibus ambo parentibus editi, in hunc modum contenderint. Lepide sane ac facete Horatius Musam hic in narratione rei riduculae invocat, ac si rem quamdam gravem tractandam adgrederetur.

41) Ordo est: Osci sunt clarum genus Messii, id est, Messius ortus est e regione Oscorum. Quod dicit, clarum genus, manifesta est ironia; Oscorum enim natio in Campania inter omnes Italiae populos vilissima reputabatur et dedecoris plena.

42) Sarmenti vero hera in vivis adhuc est; ac proinde servus fuit hic, qui nunc erat in comitatu Maecenatis, hunc que scurrilibus jocis suis admodum delectasse videtur.

43) Accipio, id est: Messius dicit contra, caput movens: Accipio provocationem, paratus sum reponere, quod ultimum gestu potius, quam verbis expressit, caput movendo, quod minitantis est.

44) Hic iterum pergit Sarmentus: cum sic mutilus, sine cornu, jam adeo miniteris, terreas, o quid faceres, si tibi non esset exsectum, praecisum in fronte cornu?

45) At, pro, enim. Sensus est: habebat enim Messius cicatricem seu tuberculum, verrucam foedam, turpem in sinistra parte frontis, quam secandam et abstergendam quoque modo curaverat.

46) Setosam, id est: capillis foede hirsutis horrentem.

47) Campanum. Ejusmodi papulis et verrucis in fronte Campani vulgo

Pastorem [48]) saltaret uti Cyclopa, rogabat;
Nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicirrus ad haec: Donasset [49]) jamne catenam
Ex voto Laribus, quaerebat? scriba [50]) quod esset,
Deterius nihilo dominae jus esse. Rogabat
Denique, cur unquam fugisset [51]), cui satis una
Farris libra foret, gracili sic, tamque pusillo?
Prorsus jucunde coenam produximus [52]) illam.
Tendimus hinc recta Beneventum [53]), ubi [54]) sedulus hospes
Paene arsit, macros dum turdos versat in igne.
Nam [55]) vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano, summum properabat lambere tectum.
Convivas [56]) avidos coenam, servosque timentes
Tum rapere, atque omnes restinguere velle videres.

laborabant ob intemperantiam. Sensus: ad haec cum multa garrivisset de morbo Campano et de facie ista, rogabat Messium, ut Polyphemum Cyclopem saltando imitaretur, nequaquam fore necessariam larvam, ob oris deformitatem, aut tragicum cothurnum ob corporis proceram staturam.

48) Polyphemi historia saepe in tragoediis acta erat; fuit autem Cyclops unoculus, carnibus humanis vescens, Neptuni filius; quum aliquot sociorum Ulyssis comedisset, Ulysses ei optimum vinum propinavit, quo inebriatus, cum graviter dormiret, ab Ulysse sociisque illius obcaecatus est.

49) Donasset: quaerebat a Sarmento, num donasset Diis Laribus catenam, qua olim vinctus fuisset, id est, num libertatem denique adeptus esset? sic illum esse fugitivum servum arguebat. Solebant enim, qui artem aliquam, aut vitae genus deponebant, ejus instrumenta et insignia cuipiam Deo consecrare. Laribus autem, Diis domorum custodibus, decebat servum catenas suas consecrare.

50) Scriba, id est, et si esset Sarmentus scriba, ut videtur Maecenatis, tamen ipsius dominam nihil idcirco de suo jure amisisse, quod in ipsum ut in suum servum haberet.

51) Fugisset, scilicet e domo suae dominae, cum contentus esse poterat una farris libra. Fugiebant nempe servi durius a dominis habiti. Non erant contenti una farris seu panis libra in dies singulos, quae diurna portio illorum fuerat. Negat igitur causam fuisse Sarmento fugiendi, quod facile contentus esse poterat farris libra, homo quippe tam exiguo et gracili corpore.

52) Produximus, id est, in longum duximus ob istam Messii et Sarmenti litem ridiculam.

53) Beneventum urbs ampla Italiae in Samnitum finibus.

54) Ubi sedulus, officiosus hospes, dum macros turdos in igne versat, pene igne combustus est, intellige, pene domum suam incendisset.

55) Nam flamma per culinam veterem, vetustate putridam et siccam, evagata jam summum tectum domus lambere, attingere, coeperat.

56) Sensus et ordo: vidisses tum avidos seu famelicos convivas et servos territos coenam paratam raptim auferre, omnesque satagentes, ut restinguerent ignem.

Incipit [57]) ex illo montes Apulia notos [58])
Ostentare mihi, quos torret Atabulus [59]), et quos
Numquam erepsemus [60]), nisi nos vicina Trivici [61])
Villa recepisset, lacrymoso [62]) non sine fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino.
Quatuor [63]) hinc rapimur viginti et millia rhedis,
Mansuri oppidulo [64]), quod versu dicere non [65]) est;
Signis [66]) perfacile est. Venit vilissima rerum
Hic aqua; sed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus [67]) ut soleat humeris portare viator;
Nam Canusî [68]) lapidosus, aquae non ditior urna;
Qui locus a forti Diomede [69]) est conditus olim.
Flentibus hic Varius discedit [70]) moestus amicis.
Inde Rubos [71]) fessi pervenimus, utpote longum
Carpentes [72]) iter, et factum corruptius imbri.

57) Sensus et ordo: ex illo loco incipiunt mihi adparere dudum noti Apuliae montes, qui Atabulo vento torrentur, et quos nunquam rependo superassemus, nisi in Trivici villa fuissemus excepti, non sine lacrymis fumo expressis, ob ramos humore perfusos, et udas frondes, quae in camino urebantur, ardebant.

58) Montes notos adpellat, quia Horatius ex Apulia oriundus erat.

59) Atabulus ventus septemtrionalis frigidissimus, et propterea Apuliae infestus; frigus enim adurit, torret, exsiccat res perinde, ac si essent ustae.

60) Erepsemus, pro, erepsissemus.

61) Trivicum, oppidum in Campaniae finibus.

62) Lacrymoso, quia fumus lacrymas exprimit.

63) Quatuor: sensus est: e Trivici villa celeriter vecti sumus rhedis, confecimusque quatuor et viginti millia passuum.

64) Oppidulo, quod Equotutium vocabatur, nunc Scottuccio.

65) Non est, id est, non licet; Equotutium enim propter mediam syllabam longam in hexametro versu locum habere non potest.

66) Facile est autem illud oppidum signis, id est, indiciis quibusdam indicare. Nempe ibi venit, hoc est, venditur aqua, quae rerum omnium est alibi vilissima, minimo aut nullo pretio parabilis.

67) Sensus est: adeo, ut viatores callidi seu providi, qui per Equotutium iter habent, soleant inde panes auferre, et imponere humeris.

68) Canusium est oppidum Apuliae. Ordo est: Canusii enim, quod oppidum fundavit olim fortis Diomedes, panis est lapidosus, id est, durus et stomacho gravis, ut lapides; et urna ibidem, qua hauritur aqua, etiam non est ditior seu plenior, id est, eadem Canusii, quae Equotutii aquae est penuria.

69) Diomedes, rex Aetoliae, Tydei filius, qui ad Trojam perpetuus comes Ulyssis fuit, incensa Troja, cum rediens delatus esset in Apuliam tempestate, multas urbes ibi condidit.

70) Discedit, id est, reliquit Varius moerens lacrymantes amicos.

71) Rubi, urbs distans Canusio Brundusium versus viginti tria milliaria.

72) Iter carpentes, pro, iter facientes.

Postera [73]) tempestas melior, via pejor ad usque
Barî moenia piscosi. Dehinc Gnatia [74]), lymphis
Iratis exstructa dedit [75]) risusque jocosque,
Dum flamma sine tura liquescere limine sacro
Persuadere cupit. Credat Judaeus Apella [76]),
Non ego; namque Deos didici [77]) securum agere aevum,
Nec, si quid miri faciat natura, Deos id
Tristes [78]) ex alto caeli demittere tecto.
Brundusium [79]) longae finis chartaeque, viaeque.

Satyra VI.

Argumentum et occasio.

Post pugnam Philippensem, in qua Horatius sub Bruto tribunus erat, domum redux mox ad versus faciendos animum contulit, tantamque nominis famam sibi peperit, ut etiam a Maecenate in gratiam receptus sit. Vide vitam Horatii. Hac re certe multorum et praecipue nobilium invidiam, incurrit poëta humili loco natus. Contra hos invidos scripsisse videtur satyram hanc, cujus summa eo redit, ut ostenderet: in homine non nobilitatem generis, sed virtutem solam esse spectandam. Incipit autem a Maecenatis laude, qui homines

73) Sensus: postride laetiorem habuimus caeli temperiem, sed viam pejorem, donec ad Barii piscibus abundantis muros devenimus. Barium est urbs Apuliae ad mare.

74) Gnatia, civitas inter Barium et Brundusium, ubi est magna dulcis aquae penuria, unde iratis lymphis exstructa dicitur, quasi lymphae, id est aquae dulces illi loco infensae, ab eo procul fugissent.

75) Dedit, id est, obtulit nobis materiam ridendi, jocandique, dum Gnatia persuadere nobis cupit, id est, quia persuadere nobis cupiebant ejus incolae, thura in sacro limine, seu in templi aditu posita absque omni igne accendi et liquescere.

76) Apella, nomen cujusdam Judaei Romae tunc noti. In Judaeorum porro libris leguntur ejusmodi prodigia, de victimis et sacrificiis, ignem sua sponte concipientibus; quae causa fuit, cur hoc Judaeis persuaderi posse, diceret Horatius, non sibi.

77) Didici id est, doctus enim sum, Deos in caelo talium rerum securos vivere.

78) Tristes, id est, sollicitos aut iratos hominibus.

79) Brundusium, urbs ampla Calabriae, et maritima, in extrema Italia, qua spectat Graeciam et Orientem. Sensus est: Brundusium tandem, ut viae finis fuit, ita et hujus carminis longioris finis fit oportet.

humili loco natos, et in specie se Horatium, quippe libertinum, non vituperet, et tantum virtutes in quolibet spectandas esse recte censeat; quum multi saepe ignobiles sicut Tullius, ad maximos honores evecti; et contra nobiles non raro, sicut Laevinus, nullius valoris aestimati sint, etiam e plebis sententia; quae tamen vulgo contrarium facit, indignos nobiles provehit ad honores, et titulos miratur ac imagines; hinc sapientiores qui haberi volunt, eo magis hos titulos et honores, quos tamen ignobiles aeque ac nobiles nimium sectantur, parvi pendere deberent, quum utique nil, nisi curas et invidiam pariant. Haec omnia dein ad se ipsum adplicat poëta dicendo: sibi quidem invideri potuisse quondam tribunatum, quem praeter meritum suum obtinuerit, non autem amicitiam et favorem Maecenatis, a quo nonnisi cognitis meritis suis probatus sit. Modeste porro merita sua et virtutes non sibi, sed curae parentis adscribit, qui ipsum liberaliter educandum Romam deduxit. In hunc tandem etiam gratum suum animum exprimit dicendo: se hoc parente sorteque sua adeo contentum esse, ut neque alium honoribus et titulis praeditum, potestate sibi concessa, eligere vellet; sic enim multo felicius se vivere, quam si loco sublimi natus fuisset.

Non [1]), quia, Maecenas [2]), Lydorum quicquid Etruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te,
Nec, quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus [3]) imperitarent,

1) Sensus: Quamvis, Maecenas, te nobilitate prosapiae nemo eorum superet, qui ex Lydia in Etruriam venerunt, cum avi tui, paternus maternusque magnis legionibus, id est, exercitibus praefuerint: tu tamen ritu quam plurimorum, naso quod ajunt adunco, non irrides aut spernis homines ignotos, h. e. obscuro loco natos, qualis sum ego, patre libertino progenitus. — Sequitur hic Horatius eos, qui veteres Etruriae in Italia colonos Lydos fuisse tradunt. Atys nimirum Lydiae, quae est Asiae minoris provincia, rex, Herenle genitus, cum cerneret regni angustias frequenti populo alendo non sufficere, sorte jacta Lydum majorem filium sibi successorem nominavit Tyrrhenum vero natu minorem cum magna parte subditorem abire alio jussit. Hi considentes in Etruria eam de sui ducis regisque nomine Tyrrheniam adpellarunt.

2) In 12 urbibus Etruriae Lucumones erant, quod patricii Romae; ex iis sacerdotes et duces in bello legebantur; inter hos Lucumones gens quoque Cilnia, Aretii dives et potens, numerabatur, e qua Maecenas originem suam duxit. Vide L. I. od. 1. not. 1.

3) Legio proprie erat pars exercitus, Romanos milites complectens ad summum 6000, interdum pauciores. Cohortes in ea fuerant decem, manipuli triginta. Vide Antiquit.

Ut plerique solent, naso suspendis adunco [4])
Ignotos, ut me libertino [5]) patre natum.
Cum [6]) referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus [7]); persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem [8]) Tulli, atque ignobile regnum,
Multos saepe viros nullis majoribus ortos
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos:
Contra [9]), Laevinum [10]), Valerî genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fuit, unius assis
Non umquam pretio pluris licuisse [11]), notante
Judice, quo nosti, populo; qui stultus honores
Saepe dat indignis, et famae servit ineptus;
Qui stupet [12]) in titulis et imaginibus. Quid [13]) oportet

4) Suspendere naso adunco, lepide dictum est, pro vulgari: ridere aliquem cum amaritudine; qui enim aliquem irrident solent nasum attollere, acutum reddere, eundem distorquere, ad animi acerbitatem exprimendam.

5) Libertinus est filius liberti; libertus autem servus libertate donatus.

6) Sensus: quia adfirmas, nihil interesse, quocunque sit quis patre progenitus, dummodo ipse moribus sit ingenuis, habes hoc persuasum, idque recte; nam multi omnino fuerunt ignobiles, et probi, multi vero nobiles, ast scelesti. Hoc probat exemplis.

7) Ingenuus est interdum, qui patre libero, non servo natus est; in hoc loco autem is, qui honestis et probis moribus est.

8) Ante potestatem atque ignobile regnum, id est: antequam Tullius, homo ignobilissimus, Romae regnaret, persuasum habes, credis certe, multis aliis quoque contigisse, ut nullis h. e. ignotis orti majoribus, probi tamen vixissent, essentque amplos honores consequuti. Servius hic Tullius est, sextus rex Romae, cujus quod regnum ignobile vocatur, ad solam regis ex serva nati originem est referendum; alioquin enim princeps fuit egregius.

9) Sensus et ordo: contra vero, persuasum habes vere, Laevinum Valerium, genus, id est, filium Publii Valerii, unde seu a quo Tarquinius Superbus regno ejectus fuerat, nunquam pluris, quam unius assis h. e. minimi aestimatum esse, ipso populo judicante, qui tamen saepe, ut scis, indignis ob solam eorum famam vel nobilitatem stulte honores deferre solet. Inde concludendum: cum ne populus quidem aliquid tribuerit Laevini nobilitati, eum hominem indignum plane amplis honoribus fuisse.

10) Laevinus Valerius, P. Valerii cognomento Publicolae filius, fuit patri valde dissimilis; iste enim, consul communi consilio factus, cum Junio Bruto Tarquinium Superbum regno ejecit, magnoque ideo in pretio habitus Romae est: ille autem ob foedos mores nunquam provehi potuit ultra quaesturam.

11) Licuisse, hic sonat, valuisse.

12) Qui stupet in titulis et imag. pro vulgari: apud quem sola valet hominum nobilitas; nobilitatem scilicet cujusque designabant et confirmabant majorum imagines, quae adjectis titulis, hoc est, adjecta rerum a majoribus gestarum memoria cera effictae conspiciebantur in atrio.

13) Sensus est: quod si populus tam sapienter de Laevino judicavit

Nos facere, a vulgo longe lateque remotos?
Namque [14]) esto: populus Laevino mallet honorem,
Quam Decio [15]) mandare novo; censorque moveret
Appius [16]), ingenuo si non essem patre natus;
Vel merito, quoniam in propria [17]) non pelle quiessem.
Sed [18]) fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minus ignotos generosis. Quo tibi, Tulli,
Sumere depositum clavum, fierique tribuno [19])?

nonne nos, qui a vulgo longe distamus, qui longe rectius vulgo sentire videmur, magis id facere decet, ac nobilitatem in sola virtute ponere?

14) Contextus: namque esto, fingamus, populum malle Laevino, quam Decio Muri, qui homo novus erat, id est, nullis majorum honoribus insignis, honorem seu consulatum deferre; vel severum censorem Appium me ideo, quia non essem patre ingenuo, id est, libero natus, senatu movere. Subaudi: quid nam judicandum esset? equidem judicarem; id vel merito factum esse, quoniam noluissem in sorte mea et vitae meae conditione adquiescere. Sensus est: quid tum, si populus stulte judicaret, oportet nos facere? quid hoc ad nos philosophantes? Plus dicam: quid si censor nobilitatis studiosus me senatu excluderet? quid tum? an ideo deterior essem? hic vero colligit se et retractat, ac merito hoc facturum censorem adfirmat, ut stultam superbiam reprimat.

15) P. Decius Mus consul factus bello Latino a. u. 314, cum T. Manlio Posthumo multa praeclare gessit. Fuit hic Decius etiam, ut Cicero, homo novus, id est, primus, qui e familia sua ad magistratum pervenerit.

16) P. Appius Claudius censor insigni severitate fuit; erat autem censorum munus, moribus civitatis invigilare et facultates civium aestimare. Vide Antiquit. Moveret, subintellige, senatu, hoc est: in recitatione cathalogi senatorii silentio praeteriret, qua re censor talem pro senatore non amplius se habere innuebat; eratque haec poena data ob mores minus probatos.

17) In propria non pelle quiessem; hic intellige sortem cuique propriam, sortem, in qua quis natus est. Ex proverbio sumtum est in eos, qui mediocritatis suae obliti majora se ipsis adpetunt, quos non contineri intra pelliculam dicimus; deducta vero est haec metaphora ab Asino Aesopico, qui leonina pelle indutus leo haberi voluit.

18) Sensus est: ast vero ea est hominum indoles et natura, ut ignobiles aeque ac nobiles sint gloriae cupidissimi, et hi stulti non perpendant, gloriae hac ambitione se nequaquam felices fieri, nihilque aliud adsequi, quam invidiam, odium, etc. Gloria hic personificata, et curru triumphali vecta, servosque, ignotos pariter ac generosos, secum trahens repraesentatur; totum autem exemplo Tulli cujusdam (non autem Ciceronis) qui senatu motus est, quod Pompejanus putaretur, a Caesare; occiso vero Caesare recepit iterum latum clavum, insigne senatorum, h. e. senatoriam dignitatem et Tribunus militum factus est. De tunica laticlavia vide Antiquit.

19) Tribuno, Graeca constructio, pro: tribunum. Alii erant tribuni plebis, qui magistratus urbanus erat, rationibus populi consulens: alii tribuni militum, qui jus militi dicebant, sex in una quaque legione. Vide Antiquit.

Invidia accrevit, privato [20]) quae minor esset.
Nam [21]) ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, et latum demisit pectore clavum;
Audit continuo: Quis homo hic, aut quo patre natus?
Ut [22]), si qui aegrotet, quo morbo Barrus, haberi
Et cupiat formosus; eat quacumque, puellis
Injiciat curam quaerendi singula; quali
Sit facie, sura [23]), quali pede, dente, capillo:
Sic, qui promittit, cives, urbem sibi curae [24]),
Imperium fore, et Italiam, et delubra Deorum;
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus [25]),
Omnes mortales curare et quaerere cogit.
Tune Syri [26]), Damae, aut Dionysî filius, audes
Dejicere e saxo cives, aut tradere Cadmo?
At [27]) Novius collega gradu post me sedet uno;

20) Privato quae minor esset, h. e. qua invidia minus laborares, si privatus fores.

21) Sensus: nam quamprimum insanus h. e. stulte ambitiosus, qui stulte sibi placet in externis insignibus, nigras alutas ad medium crus sustulit, et laticlaviam induit vestem, statim audit, qui hunc in modum de ipso sciscitantur etc. Calcei senatorum enim erant ex aluta nigra seu pelle haedina confecti, et ad medium usque crus loris revinciebantur.

22) Sensus: quemadmodum, si quis eadem teneatur, laboret insania, qua Barrus, et formosus atque pulcher velit existimari, quacunque transit, injicere et adferre solet curam puellis, ut scire cupiant singula: quem vultum habeat, quales pedes, dentes, capillos: sic is, qui summis honoribus ornatus rerumpublicarum defensorem, vel rerum divinarum curatorem se profitetur, unumquemque de ejus origine, utrum nobilis an ignobilis sit, quaerere cogit.

23) Sura pars posterior cruris est, anterior tibia dicitur.

24) Per curam civium urbis, Italiae et imperii designantur summorum magistratuum honores, quibus res publicae curabantur; per curam vero templorum sive Deorum summus pontificatus seu summi sacerdotii munus intelligendum est.

25) Num inhonestus, scilicet, sit; seu an sit natus matre ignota, non libera, serva?

26) Syrus, Dama, Dionysius sunt nomina nota et vulgaria servorum. Cadmus nomen est carnificis ea tempestate noti. Inducit poëta aliquem de populo indignantem, quod quidam abscuro loco natus ad tribuniciam potestatem, h. e. ad honores in genere evectus sit. Nam tribuni plebis damnatos de saxo Capitolino seu Tarpejo praecipitari, aut carnifici tradi jubebant. Sensus est: an tu inquiunt, qui loco natus es humili, non erubescis cives Romanos mortis poenae de illis sumendae tradere?

27) Respondere hic fingitur ille tribunus ignobilis. Sensus: atqui ego non unus sum, qui ex humili loco ad tribunatum adscendi, imo Novius, collega meus uno gradu post me sedet, id est, ignobilior est, quam ego;

= quia nemo, si forsan quidem honorem mihi invideant, mihi hoc invidet me tuum amicum esse

Namque est ille, pater quod erat meus. Hoc [28]) tibi Paullus,
Et Messala videris? At [29]) hic, si plostra ducenta,
Concurrantque foro tria funera, magna sonabit,
Cornua quod vincatque tubas: saltem tenet hoc nos.
Nunc [30]) ad me redeo libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum;
Nunc quia sum tibi, Maecenas, convictor; at olim
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.
Dissimile [31]) hoc illi est: quia [32]) non, ut forsit honorem
Jure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum,
Praesertim cautum dignos adsumere, prava
Ambitione procul. Felicem dicere non [33]) hoc
Me possunt, casu quod te sortitus amicum:
Nulla etenim mihi te fors obtulit; optimus olim

quia nimirum libertus est, ego vero sum libertinus. Libertini autem dicebantur filii libertorum, seu servorum manu missorum.

28) Respondet hic iterum poëta, vel aliquis de populo: num idcirco quia tuus collega ignobilior te uno gradu est, videris tibi tantum esse, ac Paullus vel Messala? fuerunt enim hi cives apud Romanos nobilissimi, et omnes honores adepti. Hoc, stat pro: ob hoc, ideo.

29) Sensus: sed hic Novius, collega tuus, si ducenti currus, et pompae trium funerum concurrant, eodem tempore per forum ducantur, adeo sonoram emittet vocem, ut tubas omnes et cornua superet, saltem tenet hoc nos, id est, saltem hoc habet, quo nos delectet; pro vulgari: at hic in concionibus insignis est concionator. Magna: neutrum plurale pro adverbio, alte clamabit. Tubae et cornua in funeribus adhibita sunt cum tibiis, cantu etc.

30) Nunc redeo ad etc. sensus: me pariter humili loco, libertino scilicet patre natum, quem nunc ideo rodunt, mordent, carpunt omnes, cui generis ignobilitatem objiciunt, quia mihi tecum, Maecenas, in quotidiana societate vivere licet, quia tibi sum familiaris; at olim me carpebant, quod ego tribunus legioni Romanae praeessem, quod fuerim tribunus militum. Militabat enim Horatius sub Bruto et Cassio qua tribunus. Vide od. 5. Lib. II. et Vitam Horatii.

31) Dissimile: hoc videlicet, fuisse tribunum militarem, non est idem, atque illud, scilicet tibi nunc esse familiarem et amicum.

32) Sensus: quoniam, etsi mihi aliquis jure honorem hunc invidere possit, non tamen amicitiam tuam, invidebit, maxime, cum tu sis valde cautus et prudens in deligendis, qui ea digni sint, et nullum locum des ambitioni, h. e. adulationi. Amicitia scilicet sola virtute apud Maecenatem comparari potest. Rectius autem invidemus iis, quibus solo fortunae favore aliquid obtingit, quam iis, qui felicitatem suam virtuti et meritis suis debent. Forsit, positum est pro: forsitan; dignos, scil. amicitia tua.

33) Non hoc, pro: non ideo. Sensus: non adscribo tuam amicitiam fortuitae felicitati: non enim casus me aliquis in tuum conspectum adduxit Virgilius et Varius exposuere tibi, quid, h. e. quis essem, nempe poëta.

Virgilius, post hunc Varius [34]), dixere, quid essem.
Ut veni [35]) coram, singultim [36]) pauca locutus,
(Infans namque pudor [37]) prohibebat plura profari)
Non [38]) ego me claro natum patre, non ego circum [39])
Me Saturejano vectari rura caballo,
Sed, quod eram, narro: respondes, ut tuus est mos,
Pauca; abeo: sed revocas nono post mense, jubesque [40])
Esse in amicorum numero. Magnum [41]) hoc ego duco
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre praeclaro, sed vita et pectore puro.
Atqui [42]) si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura, alioqui recta (velut si
Egregio inspersos reprendas corpore naevos)
Si neque avaritiam, neque sordes [43]), aut mala lustra [44])

34) De Vario poëta vide L. I. od. 5. not. 2.

35) Ut veni coram, id est, ut tibi sum oblatus, ubi tuum in conspectum prodii.

36) Singultim, id est, haesitanti sermone, propter verecundiam pauca loquutus sum.

37) Pudor suaviter dicitur infans, quia pudibundi pauca fari solent; infans igitur tantum ac, non fans, mutus.

38) Non narro, id est, non narravi, non dixi tibi, me etc.

39) Circumvectari Saturejano caballo: h. e. aut in equo Satureiano solitum me vehi circa praedia mea rustica, et amplas possessiones. Per Satureianum caballum, optimus intelligi debet equus; Satureiana pascua erant enim in Apuliae et Calabriae finibus ad oppidum Saturejum, Tarento vicinum, ubi equi generosi alebantur.

40) Jubes esse in amicorum numero, id est, in amicitiam tuam me recepisti.

41) Sensus est: magnum ego hoc facio, quod tibi placui, quod a te sim probatus, qui, quod honestum est, secernis ab eo, quod est turpe; qui me probas, non propter stirpis nobilitatem, sed propter vitae animique puritatem.

42) Atqui si etc. Sensus brevis est: quod si vero dotibus quibusdam instructus sum, quae mihi favorem tuum et amicitiam pepererunt; cui illas in acceptis refero, nisi patri meo libertino, qui me tam praeclare educavit, et propter quem tamen toties carpor? Fusius haec poëta sic tractat: atqui si paucis et mediocribus tantum vitiis mea natura et indoles, in ceteris recta et bona, praedita est, quemadmodum v. g. si in pulchro corpore raros tantum naevos, paucas maculas conspicimus, reprehendimus, et vituperamus; si neque mihi possunt vere a quoquam objici, aut avaritia, aut sordida parcitas, aut libidines flagitiosae; si, ut me ipsum laudem, criminis expers, et amicis carus, h. e. dilectus ab amicis vivo, fecit hoc pater meus, qui etc.

43) Per sordes intelligitur sordida tenacitas; hinc avari dicuntur homines sordidi.

44) Per mala lustra intellige loca latebrosa, lupanaria, ubi flagitia turpia committi solent.

Objiciet vere quisquam mihi; purus et insons,
(Ut me collaudem) si et vivo carus amicis;
Causa fuit pater his, qui [45]) macro pauper agello
Noluit in Flavî [46]) ludum me mittere, magni [47])
Quo pueri, magnis e centurionibus orti,
Laevo suspensi loculos [48]), tabulamque lacerto,
Ibant octonis referentes Idibus aera;
Sed [49]) puerum est ausus Romam portare docendum
Artes, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos. Vestem [50]) servosque sequentes,
In magno ut populo, si qui vidisset, avita
Ex re praeberi sumtus mihi crederet illos.
Ipse [51]) mihi custos incorruptissimus omnes

45) Sensus est: qui exiguis licet possesionibus et re tenui, macro agello esset, noluit tamen me Flavii scholam frequentare, ad quam ibant divites pueri, e sinistro brachio suspensos loculos, et tabulas gerentes, in quibus scriptum continebatur, quid quaevis proposita summa idibus, singulis dies octo complexis, deberet usurae.

46) Flavius fuit ludimagister, qui Venusii pueros in subducendis calculis instituebat. Ludus idem ac, schola.

47) Magni: lepide et salse Horatius centuriones cum filiis suis magnos vocat, quamvis magni illi viri filios suos vulgaris tantum ludimagistri disciplinae tradebant. Centuriones centum peditibus praeerant in exercitu, et sexaginta erant in singulis legionibus. Hic autem divites parentes intelligi debent, qui nihil minus quam centuriones fuerant.

48) Loculos, in quibus calculi et alia, quibus opus erat, in ludis vulgaribus portabantur; tabulam, in qua et characteres arithmeticos notabant, et calculos ordinare discebant. Referentes aera; cum Heindorfio explicandum videtur, de exemplo arithmetico, quid aeris usurarii quaelibet summa mutuo data efficeret, quibusvis idibus persolvendum foeneratori, quod exemplum pueri pensi loco in tabula comparatum adferebant ludimagistro. Aliqui etiam explicant de mercede persolvi solita ludimagistro, quam pueri idibus adferrent. Idus octonae dicuntur, quia inter Nonas et Idus dies octo semper intercedebant; dies a Nonis octava enim dies Iduum erat.

49) Sensus est: sed me cum adhuc puer essem, ausus est pater Romam portare, deducere, quod non facile alius in re tenui constitutus suscipere ausus fuisset; ubi discerem artes, quas senator quivis aut eques ex se genitos, filios suos, doceri velit. Per artes intelligendae sunt litterae Graecae et alia, in quibus doctrina censebatur.

50) Sensus: vestem autem et servos me comitantes (ut in magno populo, h. e. licet in frequenti turba, ubi multa conspiciuntur, et ideo vilia ne observantur quidem) quisquis vidisset, putasset ab avita, antiqua domo, et pridem divite familia tantos mihi sumtus suppeditari.

51) Sensus: ipse custodiae meae diligentissime invigilans discenti ubique adstabat. Circum doctores; hoc est: mihi operam danti magistris aderat praesens.

Circum doctores aderat. Quid [52]) multa? pudicum,
(Qui primus virtutis honos) servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi;
Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim
Si praeco [53]) parvas; aut, ut fuit ipse, coactor [54])
Mercedes sequerer; neque ego essem questus. At [55]) hoc nunc
Laus illi debetur, et a me gratia major.
Nil [56]) me poeniteat sanum patris hujus: eoque [57])
Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
Quod non ingenuos habeat clarosque parentes,
Sic me defendam. Longe [58]) mea discrepat istis
Et vox, et ratio. Nam [59]) si natura juberet
A certis annis aevum remeare peractum,
Atque alios legere ad fastum [60]) quoscumque parentes:

52) Quid multa? sensus: non ideo tam laute me pater educavit, quod timeret, ne essem, ut ipse erat, praeco vel coactor; quod me vellet aliud insignius vitae genus et institutum sequi: sed id spectabat unum, ut essem aliquando vir probus. Pro hoc dicit poëta: ut paucis dicam: pudicitiae decus, quod praecipuum est virtutis ornamentum, mihi servavit integrum non modo ab omni flagitio, verum et a flagitii suspicione, turpi fama; neque timuit, veritus est, ab hac educandi ratione se deterreri passus est timore, ne quis eam sibi exprobret, si quando pro exiguo stipendio, parva mercede praeconis, aut coactoris, ut pater ipse fuit, munere fungerer; neque ego id improbassem, me poenituisset hujus muneris.

53) Praeco is erat, qui in auctione res vendendas adpellabat, qui leges ferendas, aut edicta in concione recitabat etc.

54) Coactores dicebantur ii, quibus id officii erat, ut factis auctionibus, pretia rerum venditarum reciperent, erant praeterea etiam publicanorum administri, qui pecunias, publice pendi solitas, colligebant; cogere enim idem est, ac colligere.

55) At hoc, id est, ob hoc, ob hanc ipsam educandi rationem plus laudis meretur, et a me grati animi majorem testificationem.

56) Nil me poeniteat, id est: nunquam dolebo, quamdiu quidem sana mente ero, quod talem habuerim patrem.

57) Eoque, pro, et ideo, idcirco. Sensus et ordo est: non sic me excusabo ac defendam, ut magna pars hominum, qui adfirmant: sine suo dolo, id est, sine sua culpa et vitio factum esse, quod non ingenuos parentes et nobiles habeant.

58) Id est: longe ab his discrepant sensus mei, atque sermones.

59) Sensus est: nam si natura juberet, sineret nos aevum remeare, id est, renasci, ad initium vitae et originem primam redire etc.

60) Ad fastum, id est, ambitionis causa tam nobiles et claros parentes, quam cujusque fastus et ambitio ferret, eligere.

Optaret [61]) sibi quisque: meis [62]) contentus, honestos
Fascibus et sellis nollem mihi sumere, demens [63])
Judicio vulgi, sanus fortasse tuo: quod
Nollem onus haud umquam solitus portare molestum.
Nam [64]) mihi continuo major quaerenda foret res,
Atque salutandi plures; ducendus et unus,
Et comes alter, uti ne solus rusve peregere
Exirem; plures calones atque caballi
Pascendi; ducenda petorrita. Nunc [65]) mihi curto
Ire licet mulo, vel, si libet, usque Tarentum,
Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos.
Objiciet nemo sordes [66]) mihi, quas tibi, Tulli [67]),
Quum Tiburte via praetorem quinque sequuntur,

61) Optaret, h. e. eligeret sibi quisque, per me licet, alios parentes amplissimos.

62) Sensus: ego certe meis contentus nollem mihi accipere claros fascibus et curulibus sellis, id est, consulari vel praetoria dignitate praeditos. Consulibus enim et praetoribus fasces a lictoribus praeferebantur, his sex, illis duodecim. Erant fasces virgarum seu bacillorum fasciculus, cujus in medio securis exstabat. Virgis minora delicta, securi graviora plectebantur; itaque fasces potestatis erant insigne. Majoribus magistratibus quoque licebat uti sella curuli eburnea. Vide Antiquit.

63) Demens, id est, insipiens, amens habendus propterea plebi; sed tuo fortasse judicio sapiens existimabor, quod recusem, onus insolitum et incommodum, molestum ferre, portare.

64) Res: opes, supellex, adparatus. Sensus: majores enim mihi statim conquirendae, parandae essent opes; plures multo officii causa salutandi, id est: salutatores plures accipiendi summo mane; habendus unus et alter comes, ne rus h. e. suburbanam in villam, aut peregre, procul iter longinquum suscepturus solus prodirem; plures servi, atque plures equi necessario alendi, et currus ducendi. Calones, viliores servi domestici, qui ligno ferendo et aliis ministeriis humilioribus adhibebantur, adpellati sunt. Petorrita, vehicula, sive carpenta, rhedae Gallicae.

65) Sensus: nunc, in hac mea vitae conditione, decurtato meo mulo, mantica seu sarcina lumbos h. e. dorsum ei premente, et me equite armis illius insistente, si lubet, si placet mihi, usque Tarentum proficiscor. Tarenti, urbis in extrema Italia, a Tarante Neptuni filio aedificatae, mentio nominatim est facta, quod distaret longissime Roma, nec fas Magistratibus esset, quod privatis licebat, tam procul abire, et a Republica diutius abesse.

66) Sordes id est, sordidam avaritiam. Sensus: nemo vituperabit me ob factum sordidissimum, quemadmodum te, o Tulli, cum Tiburtina via pueri tantum quinque te Praetorem subsequuntur, sellam et vas vinarium portantes. Mercatores enim et ad quaestum attentiores homines, ne quid a cauponibus et hospitibus sumi necesse haberent, et ut minore sumtu

Te pueri, lasanum [68]) portantes oenophorumque.
Hoc [69]) ego commodius, quam tu, praeclare senator,
Multis atque aliis vivo. Quacumque libido est
Incedo solus; percontor [70]), quanti olus, ac far:
Fallacem Circum [71]), vespertinumque pererro
Saepe forum [72]); adsisto [73]) divinis: inde domum me
Ad porri, et ciceris refero, laganique [74]) catinum.
Coena ministratur pueris tribus [75]); et lapis [76]) albus
Pocula [77]) cum cyatho [78]) duo sustinet [79]): adstat echinus [80])
Vilis, cum patera guttus [81]), Campana [82]) supellex.
Deinde eo dormitum; non sollicitus, mihi quod cras

peregrinarentur, vasa necessaria servorum suorum humeris imponebant; hoc nimis sordidum habebatur pro Praetore.

67) Tullius, videtur esse nomen fictum Praetoris. Aliqui eundem esse putant, de quo supra mentio facta est. Vide supra not. 18.

68) Lasanum, vas, in quo exoneratur venter. Oenophorum, corbis vel cista, vini amphoris portandis inserviens.

69) Hoc, id est, ideo, ob hoc simplex vitae genus ego commodius vitam dego, quam tu, et multi alii.

70) Percontor, sciscitor, quanti olus et far vendatur.

71) Circus maximus intelligendus est Romae, ubi cursus agitabantur exercitationis et spectaculi causa. In eum locum impostores, conjectores, harioli et sortilegi confluebant, qui ad metas spectatores circumstabant et imperitos sortibus et nugis fallebant, unde fallax adpellatur.

72) Forum vespertinum, id est, vesperi spatior in foro.

73) Adsisto divinis, id est: adtendo sortilegis, mathematicis, interpretibus somniorum etc. Altiores autem homines erubescebant sero in his vulgi circulis consistere.

74) Lagana sunt placentulae quaedam vulgares, quasi membranulae compositae, quae cum pipere et liquamine conditae depromi solebant ad coenam moderatam et parabilem. Porrum et cicer etiam erant cibi pauperum.

75) Pueris h. e. a servis tribus.

76) Lapis albus est mensa marmorea, seu basis vasorum collocandorum causa parata.

77) Pocula duo; par poculorum, quod singulis coenantibus adponi solebat.

78) Cyathus erat vasculum exiguum, quo ex illis poculis majoribus, quantum placeret, hauriretur.

79) Sustinet, id est, pocula cum cyatho stant in mensa marmorea.

80) Echinus vilis: vas quoddam rotundum instar echini ad manus abluendas aut cyathos. Patera utebantur, ut libarent Diis in mensa.

81) Guttus vasculi genus, id nomen ex eo habens, quod ob colli angustias oleum aut unguenta, quae continebat, guttatim instillaret.

82) Campana supellex, id est, haec vasa omnia erant e terra fictili, quae Campana dicitur ob argillae copiam et bonitatem in Campania. Divites habebant haec vasa ex argento caelata.

Surgendum sit mane, obeundus Marsya [83]), qui se
Vultum ferre negat Noviorum [84]) posse minoris.
Ad [85]) quartam jaceo: post hanc vagor, aut ego lecto [86]),
Aut scripto, quod me tacitum juvet; ungor [87]) olivo,
Non [88]) quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Ast ubi me fessum sol [89]) acrior ire lavatum
Admonuit, fugio Campum [90]), lusumque trigonem.
Pransus [91]) non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. Haec est
Vita solutorum [92]) misera ambitione gravique.
His [93]) me consolor victurum suavius, ac si
Quaestor avus, pater atque meus, patruusque fuisset.

83) Obeundus Marsya, id est, visendus Marsya. Fuit Marsyas vel Marsya tibicen Phryx, qui tibia cum Apolline ausus contendere, et ab eo victus in poenam temeritatis excoriatus est. Ejus statua Romae in prima fori parte visebatur, ad quam solebant convenire causidici, qui lites et negotia tractabant et componebant. Marsya itaque sonat hic primam fori partem, ubi erant rostra.

84) Noviorum minor: minor enim natu Noviorum ad hanc statuam turpissime foenerabatur summo mane; quare jocatur Horatius inquiens: Marsyam habere alteram manum erectam ad depellendos Novios, quod eorum foeneratorum impudentiam non posset sustinere.

85) Ad quartam, id est, usque ad horam sole orto quartam.

86) Lecto, h. e. lego vel scribo, quod tacite mecum agitatum, me delectet.

87) Ungor. Ad vires firmandas et valetudinem saepe ungebantur oleo Romani.

88) Sed non oleo vili, quale est illud, quod Natta, vir quidam insignis avaritiae, adhibet e lucernis suis subductum. Oleum enim, quod lucernis inditur, graveolens et sordidum est.

89) Sol acrior, id est, meridianus, calidior.

90) Campum Martium lusumque trigonem: pilae ludus, in balneis praecipue corporis exercendi causa institutus, ideo, quod tres ludentes, quorum alter ab altero pilam excipiebat, in trianguli figuram dispositi, stabant, trigon adpellabatur.

91) Pransus; sensus est: levi et parco contentus prandio, et quantum sufficit ad impediendam inediam diei integrae; ad interpellandum, ne tota die inani ventre, seu jejunus perdurem, h. e. ne esuriendo diem exigam, domesticus otior, h. e. domi me contineo.

92) Solutorum, hoc est, qui liberi sunt ab infelici et misera ambitione; ab honorum consequendorum studio, quod cum miseris et gravibus curis conjunctum est.

93) Sensus: has ego meas delicias reputo, victurus jucundius multo, quam si Quaestores habuissem avum patrem et patruum. Quaestores aera-

Satyra VII.

Argumentum et occasio.

Publius Rupilius Rex Praenestinus, postquam a Praenestinis in exilium missus esset, in Attica militavit sub Attio Varo; deinde cum praeturam gereret, in triumviratu proscriptus ab Augusto confugit ad Brutum, in cujus castris cum Horatio fecit stipendia, qui nescio quid ab eo contumeliae passus, ei per hanc satyram refert, quae post a. u. 711 scripta censeri debet. In ea Rupilius cum quodam Persio, negotiatore Clazomenis repraesentatur litigans coram Marco Bruto, qui a. u. 711 senatus auctoritate propraetoris munere fungebatur in Asia. Causa litis non est exposita; dum autem convicia in alterum ab altero conjecta enarrat, eos deridet Horatius. Rixatur Rupilius plenus viro et felle, Persius autem insuper ut adulator insulsus erga Brutum ejusque comites.

Proscripti [1]) Regis Rupili [2]) pus [3]), atque venenum,
Hybrida [4]) quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus et lippis [5]) notum et tonsoribus esse.
Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis [6]), etiam lites cum Rege molestas;
Durus homo, atque odio qui posset vincere Regem,
Confidens tumidusque, adeo sermonis amari,

rii curam habebant; et quia etiam divitiarum congerendarum cupiditate infames erant, non raro exempla exstabant, de quorum nobilitate parum se jactare possent nepotes.

1) Proscripti, id est, proscriptione damnati, inter proscriptos relati.

2) Rupilius. Vide arg.

3) Pus atque venenum: intellige convicia plena quasi puris, id est, sordium et rei spurcae; plena improbitatis et maledicentiae.

4) Persius hybrida, id est, semiromanus. Canes ex imparibus nati, puta ex venatico et vulgari, dicuntur hybridae; quia vero Persius patre Graeco et Romana genitus erat matre, hybridam eum tanto lubentius vocat, quod ob caninam mordacitatem maledicam cani similis videretur.

5) Lippis: lippi sunt admodum curiosi; quanto minus oculis, tanto plus auribus utuntur: apud tonsores autem convenire homines otiosi et gerrones solent. Itaque res pervulgata dicitur nota esse lippis et tonsoribus, quasi eos nihil fugiat. Sensus est: opinor notum esse omnibus lippis et tonsoribus, quo pacto Persius semiromanus sit ultus maledicentiam Rupilii.

6) Clazomenae urbs erat Asiae minoris ampla et dives, in ea parte,

Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis [7]).
Ad Regem redeo postquam [8]) nil inter utrumque
Convenit, hoc etenim sunt omnes jure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit: inter
Hectora [9]), Priamiden, animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors;
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit; duo si discordia vexet inertes,
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio [10]) Glauco, discedet pigrior, ultro
Muneribus missis. Bruto [11]) praetore tenente
Ditem Asiam, Rupilî et Persî par pugnat; uti non
Compositus melius cum Bitho Bacchius. In jus

quae Jonia Asiatica dicebatur. Sensus: Persius iste, cum opulentus esset, multa apud urbem Clazomenas negotiabatur; litigabat etiam cum Rupilio Rege multis gravibusque de causis; durus, id est, asper imprimis, et qui odii pertinacia posset Regem superare; confidens tumidusque h. e. audax et arrogans superbiaque inflatus, et acerbitate sermonis tanta, ut ea longo intervallo superaret, ac si equis candidis veheretur, molestissimos quosque obtrectatores, vel ipsos Sisennas et Barros, qui erant famosi conviciatores.

7) Albis: ducitur metaphora a Circensibus ludis, in quibus aemulos ii superant, qui equis velocioribus uterentur; equi autem albi vulgo putabantur omnium celerrimi.

8) Sensus et ordo: cum lites suas componere non possent, et inter se convenire; omnes enim molesti sibi mutuis litibus, h. e. acres et pugnaces litigatores hoc sunt jure, id est, eadem ratione se gerunt, ac fortes (intellige magnanimos duces) qui inter se bellum gerunt, qui alter alteri nolunt concedere: sic ira, quae fuit inter Hectorem, Priami filium et generosum Achillem, ita capitalis fuit, exarsit adeo saeva, ut nonnisi morte controversia dirimi posset; quia nempe uterque bellica virtute et gloria praestabat; contra vero si duo inertes et ignavi, aut certe duo dispares, quorum alter altero fortior sit, bello certent, quales fuere Glaucus et Diomedes, qui amborum est pigrior, h. e. inertior, is litem et pugnam statim componet, missis aemulo muneribus ad eum placandum. Non sic nostri dimicantes, rex et Persius, sed instar Hectoris et Achillis pugnant, Bruto divitem Asiam obtinente, ibique jus dicente, ut Bitho et Bacchius gladiatores duo famosi non sint magis compositi, h. e. inter se pares viribus.

9) Hector fortissimus dux Trojanorum; Achilles vero fortissimus dux Graecorum in Bello Trojano.

10) Lycius Glaucus, juvenis ignavus, regis Lyciae filius, cum Trojanis auxilio venisset, commisso pugnelio, in Diomedem, virum fortissimum, Graecorum ducem incidit, cujus adspectu ita territus est, ut de pace statim egerit, ac Diomedi arma sua aurea, sumtis illius aereis, dono dederit.

11) Praetor magistratus erat juri dicendo praepositus. Brutus et Cassius eodem anno, quo Caesar interfectus est, praetores erant in urbe. Brutus

Acres procurrunt [12]), magnum spectaculum uterque.
Persius exponit [13]) causam, ridetur ab omni
Conventu [14]); laudat Brutum, laudatque cohortem [15]);
Solem [16]) Asiae Brutum appellat, stellasque salubres
Appellat comites, excepto [17]) Rege; canem illum,
Invisum agricolis sidus, venisse. Ruebat [18]),
Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.
Tum Praenestinus [19]) salso multoque fluenti
Expressa arbusto [20]) regerit convicia, durus
Vindemiator [21]) et invictus, cui saepe viator
Cessisset, magna compellans voce cucullum [22]).

a Senatu paullo post missus in Macedoniam est, ut ibi praetura fungeretur; qui enim Romae Consules aut praetores fuerant, finito magistratus urbani tempore, discedebant in provincias, ut illas pro consule aut pro praetore administrarent. E Macedonia Brutus in Asiam excurrit ad colligendas contra Octavium Caesarem copias. Ibi cum esset, multa pro arbitrio gessit, adeo, ut dominari videretur regioni, et, quod ait Horatius, illam tenere, hoc tempore illum etiam adierunt Rex et Persius.

12) Procurrunt, id est, prodeunt animose ambo, tamquam gladiatores, in arenam, litemque defendunt, egregium omnibus facti spectaculum.

13) Exponit causam, h. e. explicat, quid in disceptatione versetur.

14) Ab omni conventu, id est, ab omnibus, qui hujus causae actioni aderant.

15) Cohortem, intellige, amicos, comites, scribas, praefectos, medicos etc. qui proconsulem aut propraetorem sponte in provinciam sequebantur.

16) Solem Asiae, quasi cuncta in provincia splendore suo collustret.

17) Excepto Rege, qui, proscriptus ab Octavio, se Bruto adjunxerat, et inter ejus comites ac milites versabatur. Ceteros igitur comites Bruti stellas salutares adpellat; Regem vero stellam exitialem, nempe Canem, id est: venisse illum Rupilium ait cani caelesti, Sirio, astro exitiali et agricolis inviso similem, ut omnia perderet. Sirius enim, ut Virgilius dicit, exurit agros.

18) Sensus est: tam praecipiti, vehementique oratione dicebat, ut videretur torrenti similis, hibernis aquis tumido, qui fertur eo, quo raro venit securis, id est, per abrupta loca, praecipitat, quo adire non possunt frondatores, cum suis securibus ad arbores exscindendas.

19) Praenestinus. Praeneste urbs est in Italia. Sensus est: Rupilius regerit h. e. reponit, reddit Persio convicia, eaque salsissima et vino simillima, quod ex arbusto, id est, vite exprimitur, sed recenti et viridi vite, ac proinde amaro vino, quod versu post quarto acetum vocat, simillima.

20) Arbusto: vitis adplicabatur arbustis, quibus niteretur; hic arbustum pro tota vite sumitur.

21) Durus vindemiator, id est, similis vindemiatori molesto, et pertinaci, quia viatores conviciis adflictos, et alia regerentes, silere tamen victos et abire cogit.

22) Cucullum. Metri causa pro, cuculum. Est autem avis haec hieme tota latens et silens, neque nisi calente vere canere incipiens. Quodsi igitur vernali tempore justo serius, ubi jam cuculus vocem edit, vites putandas et arboribus adplicandas curabat vindemiator; ejus inertiae exprobrandae causa praetereuntes, cuculum, vocare solebant; unde ille exacerbari et virus acerbitatis in praetereuntes victor evomere solebat. Sensus est ergo: qui saepe antea conviciando superasset viatores, eum cuculi instar pigrum clamantes.

At Graecus, postquam est Italo [23]) perfusus aceto,
Persius exclamat: per magnos, Brute, Deos te
Oro, qui reges [24]) consueris tollere, cur non
Hunc Regem [25]) jugulas? operum hoc mihi crede tuorum est.

Satyra VIII.

Argumentum.

Directa est haec satyra ad eandem Canidiam, in quam ob veneficia et incantationes ejus magicas omne acerbitatis virus evomuit Horatius Epod. V. et XII. Inducit poëta Priapum, cujus statua in angulo quodam hortorum Esquilinorum Maecenatis erecta stabat, nocturna veneficia Canidiae, in Campo Esquilino exercita, observantem, eaque in hunc modum narrantem: ego, inquit, ex quo Deus factus sum e ligno, fures et aves arceo molestas ab his hortis noviter institutis, ubi prius sepulcretum servorum et pauperum exstitit, nunc vero locus est saluberrimus, qui habitatur. Omnium autem molestissimae mihi sunt incantationes magicae vetularum, quae huc noctu, luna surgente, veniunt, neque se abigi sinunt. Vidi enim Canidiam cum Sagana nigram occidere agnam, e scrobe facta manes mortuorum evocare, aliaque tractare adhuc, ad magicam superstitionem spectantia, quae singillatim describere longum foret; tandem ego casu diffissus strepitum edidi, quo illae perterrefactae diffugientes, omnemque supellectilem magicam relinquentes, ridiculum omnino visu spectaculum praebuerunt.

23) Italo perfusus aceto: intellige, acriora convicia Regis, quibus obrutus est Persius. Vide supra not. 19.

24) Qui reges: Junius Brutus, Tarquinio rege Romanorum expulso, consul primus factus est. Ab eo ducebat originem iste Brutus, qui Caesarem, regnum adfectantem, in senatu peremerat. Consueris, pro: consueveris.

25) Regem, id est, Rupilium.

26) Operum; sensus: certe hoc quoque facinus tua dignum est manu; hoc quoque ad res praeclare a te gestas pertinet.

Olim [1]) truncus eram ficulnus, inutile [2]) lignum,
Quum faber, incertus, scamnum faceretne Priapum,
Maluit [3]) esse Deum. Deus inde [4]) ego, furum aviumque
Maxima formido; nam fures dextra [5]) coërcet,
Ast importunas volucres in vertice arundo [6])
Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.
Huc [7]) prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca:
Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo [8]) scurrae, Nomentanoque [9]) nepoti.
Mille [10]) pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: heredes monumentum ne sequeretur.

1) Loquitur Priapus, Deus hortorum turpissimus, cujus statua in hortis e ligno ficulneo h. e. e ligno ficus arboris effecta ponebatur, ut deformitate sua abigat fures et aves.

2) Inutile, ad nihil aptum, nam materia ejus arboris propter fragilitatem nullis fabricis est idonea.

3) Maluit. Salse ridet inanes Deos, eorumque simulacra.

4) Inde, id est, ex illo tempore ego Deus sum, et timor maximus furum et volucrum.

5) Sensus: nam fures dextra arceo; habebat enim falcem ligneam in manibus.

6) Arundo, intellige, coronam ex arundine, vel fasciculum arundinis in capitis vertice, quae vento agitata crepat strepitque, et aves terret ac abigit; ne audeant in novis hortis, descriptis hoc loco, considere. Horti autem novi dicuntur, quia Maecenas nuper noviter eos instituit; nam regionem Esquilinam Romae, antea sepulcris servorum et miserorum dedicatam, emit in hunc finem, ut hortos e sepulcreto faceret.

7) Sensus est: ante haec tempora, antequam hortos hic adornaverat Maecenas, solebant servi, demortuorum conservorum cadavera ex angustis cellis et tuguriis suis huc adferre, arcis inclusa vilibus: erat enim hic locus sepulcri communis plebis et hominum egentium, quales sunt scurrae sicut Pantolabus, et nepotes seu ganeones, qui patris bona decoxerunt, sicut Nomentanus.

8) Fuit Mallius Verna trans Tiberim ingenuis parentibus natus, qui quia pecuniam a multis mutuam rogabat Pantolabus est cognominatus.

9) De Nomentano nepote vide L. I. Sat. I. not. 68.

10) Mille pedes: erat cippus, id est, lapis erectus in agri limite, in quo scriptum erat, mille pedes datos esse (nempe a cive aliquo, qui hoc sepulcrum egenae plebi testamento reliquerat) in fronte, id est, in ea parte agri, quae viam tangebat, ac proinde: mille pedes latitudinis; alios trecentos in agrum, id est, in agri longitudinem extensos. Cippus autem ideo erat positus, ut heredes hoc sepulcretum intelligerent ad se non pertinere, illud esse divulsum et exceptum a reliqua hereditate; quando enim locum aliquem seu rem aliquam publice legabant Romani, semper addebant haec

Nunc [11]) licet Esquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum;
Cum [12]) mihi non tantum furesque feraeque suëtae
Hunc vexare locum, curae sunt, atque labori,
Quantum, carminibus quae versant atque venenis
Humanos animos; has [13]) nullo perdere possum,
Nec prohibere modo, simul ac vaga Luna decorum
Protulit os, quin ossa legant, herbasque nocentes.
Vidi egomet nigra succinctam [14]) vadere palla
Canidiam [15]), pedibus nudis, passoque [16]) capillo,
Cum Sagana majore [17]) ululantem (pallor utrasque
Fecerat horrendas adspectu) scalpere [18]) terram

verba monumento: hoc monumentum heredes non sequitur, et istis compendiariis notis utebantur: H. M. H. N. S. Sensus est igitur: stabat hic columella addicens huic sepulturae pauperum mille pedes agri quoad latitudinem, qua viam publicam anteriori parte tangebat; trecentos vero pedes quoad longitudinem, inscriptione addita, qua vetabatur, ne sepulcretum istud ad heredes transiret.

11) Sensus: nunc iste locus sepulcretum amplius non est, revulsus est cippus; jamque ut saluberrimus Esquiliarum locus habitatur; sunt enim ibi horti salubres, et apricus, soli expositus collis seu agger, ubi deambulare licet nunc; ast paulo ante tristi spectaculo defunctorum ossibus albens ager cernebatur. Modo, id est, paulo ante. Spectabant, intellige, tristes cives ob defunctum aliquem amicorum, ibique sepultum.

12) Sensus: nunc mihi non tantum negotii facessunt, non tantos causant labores et curas fures et ferae, adsuetae in hunc hortum venire illumque vexare, h. e. illi incommodare; quantum curae mihi praebent vetulae, quaedam, incantationibus suis atque veneficiis defunctorum animas divexantes. Suëtae, per licentiam poëticam, pro, suetae, id est; adsuetae. Feminae, quae versant, hoc est agitant, divexant. Carminibus, h. e. formulis magicis et incantationibus. Venenis, intellige, quae spargunt in re magica venefici et veneficae. De Veneficis vide Epod. V.

13) Sensus est: has neque ullo modo possum perdere, exterminare, neque impedire, quo minus statim, atque errabunda Luna pulcherrimum extulit vultum, colligant ossa et plantas noxias. Luna vaga, quia dum cursum suum peragit, vagari et errare dicitur a poëta. Decorum protulit os, id est, nocte surgente luna; veneficia enim noctu fieri solebant.

14) Succinctam palla, h. e. veste longiori indutam.

15) De Canidia venefica ejusque administra Sagana vide Epod. V et XII.

16) Passo, h. e. soluto, diffuso capillo.

17) Sagana major dicitur, quia superaret Canidiam annis.

18) Scalpere terram: scilicet, scrobem vel fossam, terra unguibus egesta, fecerunt, ut cruorem divulsae agnae, ut ex sequentibus intelligitur, cum aliis rebus in eam infunderent.

Unguibus, et pullam [19]) divellere [20]) mordicus agnam
Coeperunt; cruor in fossam confusus, ut [21]) inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.
Lanea [22]) et effigies erat, altera cerea; major
Lanea, quae poenis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat, servilibus, utque
Jam peritura, modis. Hecaten [23]) vocat altera [25]), saevam
Altera Tisiphonem [24]): serpentes atque videres
Infernas errare canes, Lunamque [26]) rubentem,
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
Mentior [27]) at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum, atque in me veniat mictum atque cacatum
Julius et fragilis Pediatia [28]), furque Voranus [29]).

19) Pullam, h. e. nigram, nam Diis inferis nigri coloris hostiae offerebantur.

20) Mordicus divellere, id est, dentibus dilaniare.

21) Ut inde, id est, ut his magicis artibus animas mortuorum evocarent, quae interrogantibus veneficis responderent de futuro rerum eventu.

22) Lanea. Sensus et ordo: effigies seu imago erat una ex lana, et altera ex cera; major lanea minorem alteram verberibus male habebat; cerea, supplicis speciem praeseferens, stabat tamquam mancipium a lanea mox interficiendum, h. e. quae servili modo jamjam poenas datura sit. Solent nimirum magi et venefici ejusmodi, e cera vel lana, imagines condere, et in illis ea experiri omnia, quae vivis hominibus, quos illae imagines repraesentant, volunt evenire, v. g. cum urunt ejusmodi imaginem, uritur etiam homo etc.

23) Hecate, est cognomen Proserpinae et Lunae. Hic autem Proserpina intelligenda est, quia canes infernae, de quibus hic mentio fit, hanc Deam et Furias comitari solent. Vide Mythol.

24) Tisiphone, est una e Furiis. Furiae autem pinguntur cum serpentibus. Vide Mythol.

25) Altera, scilicet, Canidia; et altera, scilicet, Sagana.

26) Lunam rubentem; prae pudore nempe ob tanta scelera abscondit se Luna in nubibus; pro hoc autem dicit poëta, illam se abscondere post magna sepulcra, quorum quaedam adhuc exstabant in eo loco. Per magna non divitum sepulcra, quae hic non exstabant, sed recentia intelligenda sunt, quorum tumuli majores ceteris esse solent. Sensus est: una invocabat Hecaten, altera autem immitem Tisiphonem; et conspicere licebat nunc serpentes et tartareas canes circumerrantes; Lunamque rubore suffusam magnis sepulcris interpositis se abscondentem, ne ista cerneret.

27) Sensus est: si quid autem mentiendo addam, si haec omnia non sint vera, quae dico, mala cuncta in me veniant! et pro hoc dicit peëta: velim corvorum excrementis mihi caput dealbetur; et sua quoque omnia in me conferant Julius mollis Pediatia et fur Voranus! Priapus hic adposite jurat per ea ferenda, quibus maxime exposita fuit ejus statua.

28) Pediatius, eques Romanus, patrimonio consumto, se prostituit, quare Horatius mutato genere Pediatiam nominavit propter mollitiem.

Singula [30]) quid memorem, quo pacto, alterna loquentes
Umbrae cum Sagana resonarent triste et acutum?
Utque lupi [31]) barbam variae cum dente colubrae
Abdiderint furtim terris; et imagine cerea [32]),
Largior arserit ignis; et ut, non testis inultus,
Horruerim voces Furiarum, et facta duarum?
Nam [33]), displosa sonat quantum vesica, pepedi,
Diffissa nate, ficus; at illae currere in urbem.
Canidiae [34]) dentes, altum Saganae caliendrum [35])
Excidere, atque herbas [36]), atque incantata [37]) lacertis
Vincula, cum magno risuque jocoque videres [38]).

29) Voranus, libertus Q. Lutatii Catuli fuit, adeo furax, ut nummos subreptos a nummulario in calceos demiserit. Arripit Horatius occasionem hanc duos homines istos, aeque abominabiles atque illa, quae de ipsis modo dixit traducendi.

30) Sensus est: quid autem opus est singula minutatim narrare? quomodo alternatim loquentes umbrae et sagana, illae gravem ac tristem, altera acutum ederent sonum? quomodo etiam lupi barbam cum dentibus variorum serpentium terrae furtim infoderint; et, imagine cerea ignem concipiente, ingens flamma exarserit? et quo pacto ego me ultus sim de furiis istis magicis, Canidia et Sagana, quae nefariis vocibus, factisque adhuc sceleratioribus mihi praesenti atque spectanti tantum incusserant horrorem?

31) Lupi barbam et dentes versicoloris colubrae furtim sub terra occultare, pertinebat etiam ad superstitionem magicam.

32) Cerea, duabus syllabis pronunciandum est.

33) Sensus est: quantum solet edere strepitum vesica seu lagena disrupta discussa vento, in ea compresso; tantum ego diducta mea nate ficulnea pepedi crepitum edidi; illae vero in urbem cursu fugere. Currere, intellige, caeperunt. Nate, derivandum a natis, is.

34) Canidiae dentes. Intellige, dentes emtos et adpositos, quibus vetulae uti solent, ut reparent amissos.

35) Saganae, in re magica occupatae, caput obvolutum fuit tegumento aliquo altiore, sive ex crinibus fictitiis, sive ex velis laneis, sive ex alia re confecto; hoc tegumentum capitis vocabatur caliendrum, quaecunque demum ejus forma et materies fuerit. Intelligitur ergo hic capillamentum, seu tegumentum capitis, alienis et adscititiis capillis constans.

36) Herbas, scilicet, magicas, vi magica praeditas.

37) Incantata, id est, vincula, quibus usae erant incantando, quaeve, mentes hominum vinciendi et attrahendi causa, brachiis adnectebant.

38) Videres, id est: haec omnia, quae ad supellectilem magicam pertinent, dissipata et disjecta videre, omnino ridiculum et jocosum praebebat spectaculum.

Satyra IX.

Argumentum et occasio.

Horatius in suis operibus saepius mentionem facit de semidoctis ejusmodi hominibus, qui, omni profunda eruditione expertes, magna jactantia ingenium suum efferre solebant. Tales omnino multi erant tunc temporis Romae, quorum plerique Horatii et Virgilii, qui ob eximias ingenii sui dotes, solidamque doctrinam a Maecenate in gratias recepti ejusque familiaritate usi sunt, exemplo vehementer incitati, quavis data occasione, eundem favorem clarissimi hujus viri ambierunt. In talem etiam forte inciderat poëta noster, cujus importunam et pertinacem garrulitatem in hac satyra non sine summa sermonis faceti elegantia dramatice describit. Omnia tentat, ut ab hoc importuno se liberet: dicit se visere aliquem amicorum illi plane ignotum trans Tiberim, quo nimis longa duceret via; persuadet illi, ne vadimonium, quod constituta hora obire debebat, deserat; per Aristium etiam amicum suum obvium sperat se deliberari, quem datis signis ad id quodammodo urget; sed frustra, donec tandem adversarius importuni hujus, qui casu illis objicitur, in jus vocasset hominem.

Ibam forte via [1]) sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum [2]), totus [3]) in illis:
Accurrit quidam, notus mihi nomine tantum,
Arreptaque manu: Quid [4]) agis dulcissime rerum?
Suaviter [5]), ut nunc est, inquam; et cupio [6]) omnia, quae vis.
Cum adsectaretur [7]): Numquid vis? occupo [8]); at ille:

1) Via Sacra. Ducebat haec via e foro Romano in Capitolium. Vide Epod. IV. not. 7.

2) Nugarum, intellige, versus seu carmen, quod secum meditabatur Horatius; versus enim suos poëtae nugas vocant.

3) Totus, id est, animo toto et cogitatione defixus in illis nugis.

4) Quid agis, quomodo te habes, o suavissime omnium rerum in toto mundo, idem ac, carissime amice? supple: ajebat.

5) Suaviter, subaudi, ago, vivo, valeo, ut nunc est, h. e. in praesentia inquam h. e. respondeo.

6) Et cupio omnia, quae vis, id est, optoque tibi, quaecunque amas saluberrima. Hac formula salutandi usi praecipue videntur discedentes ab aliquo, eique valedicentes; sed frustra Horatius hac formula ab homine importuno se dissolvere tentabat.

7) Adsectaretur, id est, cum se mihi adjungeret, et abeuntem subsequeretur.

Noris [9]) nos, inquit, docti sumus. Hic [10]) ego: Pluris
Hoc, inquam, mihi eris. Misere [11]) discedere quaerens,
Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero: cum sudor ad imos
Manaret talos. O te, Bolane [12]), cerebri
Felicem! ajebam tacitus, Cum quidlibet ille
Garriret; vicos, urbem laudaret; ut [13]) illi
Nil respondebam: Misere cupis, inquit, abire,
Jam dudum video; sed nil agis: usque tenebo,
Prosequar. Hinc quo nunc iter est tibi? Nil [14]) opus est te
Circumagi: quemdam volo visere non tibi notum;
Trans Tiberim longe cubat [15]) is prope Caesaris [16]) hortos.
Nil [17]) habeo, quod agam; et non sum piger; usque sequar te.
Demitto [18]) auriculas, ut iniquae mentis asellus,
Cum gravius dorso subiit [19]) onus. Incipit ille:

8) Occupo, h. e. prior interrogo: numquid vis adhuc a me aliquid? an indiges aliqua mea opera?

9) Noris, hoc est, velim, ut me cognoscas, nam etiam doctus, et literarum, ut tu, amans sum.

10) Hic ego: pro: ego vero repono: tanto majori mihi eris in pretio, tanto pluris te faciam.

11) Sensus est: anxie, vehementer discedere, ab eo me liberare cupiens, coepi nunc citius, nunc lentius incedere; insusurrare in aurem servo, nescio quid, cum toto corpore sudarem adeo, ut sudor usque ad talos mihi defluceret.

12) Bolanus fuit homo, qui nullius ineptias ferebat, sed statim vel in faciem quemvis reprehendebat, vel, de eo quid sentiret, non dissimulate dicebat. Sensus est: dicebam apud me: quam felix es, o Bolane, qui, homo cerebrosus, ferventioris et calidioris es ingenii, ut hunc abire jussisses. Vide supra Sat. V. not. 19.

13) Sensus: cum ille sermonis materiam undique captans, vicos et urbem ornaret laudibus, egoque interim silerem; agnosco, inquit, dudum mihi elabi quaeris, sed nihil agis, id est, frustra, nam tenebo, a tuo latere non discedam, et te sequar quocunque.

14) Sensus est: ego autem respondebam: noli quaeso te vexare, me prosequendo, et huc illuc frustra circumcursare mecum etc.

15) Cubat, pro: habitat.

16) Caesaris horti erant citra Tiberim, in urbis regione decima quarta, ac proinde procul remoti a Via sacra. A Jul. Caesare testamento publice legati fuerant populo.

17) Nil habeo etc. sunt verba Garruli. Non sum piger, h. e. expedite ambulo.

18) Demitto auriculas: id est, omnem animum perdidi nunc. Desumta est metaphora ab animalibus, apud quae inditia animi praeferunt aures; demissae eorum aures autem indicant tristitiam vel aegritudinem et lassitudinem.

19) Subiit, hoc est: cum gravius onus dorso illius impositum est. Mentis

Si bene me novi, non Viscum [20]) pluris amicum,
Non Varium facies: nam quis me scribere plures,
Aut citius [21]) possit versus? quis membra [22]) movere
Mollius? invideat quod et Hermogenes [23]), ego canto.
Interpellandi [24]) locus hic erat: Est tibi mater,
Cognati, queis te salvo est opus? Haud mihi quisquam;
Omnes composui. Felices [25])! Nunc ego resto.
Confice; namque instat fatum mihi triste, Sabella [26])
Quod puero cecinit, divina mota anus urna [27]):
„Hunc [28]) neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,
„Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra;
„Garrulus hunc quando consumet cunque; loquaces,

iniquae, hoc est: qui animo est demisso, fracto, moesto; contrarium est, mens aequa.

20) Viscus et Varius erant insignes poëtae, Horatii amici. Visci autem duo fratres fuerunt. Pater eorum Vibius Viscus, quamvis et divitiis et amicitia Augusti clarus esset, in equestri tamen ordine perduravit, cum filios suos senatores fecisset. Hinc, Viscorum uterque, infra Sat. 10. L. I. not. 50. Hos, inquit, amicos tuos, si bene mihi ipse perspectus sum, non pluris habebis, non magis amabis, quam me.

21) Citius, id est, brevioris temporis spatio.

22) Membra movere, id est, quis saltet agilius, quam ego?

23) Hermogenes Tigellius erat insigni voce, et musica peritissimus; hunc Horatius quavis arrepta occasione carpit. Vide supra Sat. II. not. 8. Sensus est: Adeo belle quoque canto, ut Hermogenes ipse mihi jure invidere possit.

24) Sensus est: hic erat occasio garrulum interrumpendi, ejusque sermones, quos jactanter adeo de se protulit, ad alia deflectendi. Interrogat ergo Horatius: an neminem habeat, qui ex tantis ejus virtutibus fructus capiat? matremne an cognatos, quorum multum interesse debeat, salvum et incolumen florere virum tam egregium? ille respondet: neminem habeo, omnes jam composui, id est, sepeliendos curavi.

25) Felices! Sunt verba Horatii, quae secum ipso reputabat. Sensus est: o illos felices! ego nunc solus resto, supersum de illius amicis (talem enim prius Horatio se obtulit) etiam me confice, compone, perime; nam, ut video, imminet tempus illud fatale, quod vetula sabella, post agitatam urnam divinatricem, puero mihi olim praedixit in haec verba.

26) Sabella anus: id est, sortilega et divinandi perita; Sabinos enim gentem superstitiosam fuisse constat; et apud eos, sicut apud Marsos, incantandi et vaticinandi ars exercebatur.

27) Urna mota: in urnam enim conjiciebantur sortes fatidicae, e quibus eductis futura praesagiebantur.

28) Hunc auferet, e medio tollet, occidet. Sensus est: iste nec veneno peribit, neque hostili gladio, nec laterum dolore, tussi aut lenta podagra; verum hunc garrulus necabit quandocunque, id est, aliquando, quocunque tandem tempore id accidat, serius ocius; sapienter itaque garrulorum occursum vitabit, ubi aetate provectior fuerit.

„Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas."
Ventum erat ad Vestae [29]), quarta [30]) jam parte diei
Praeterita; et casu tum respondere [31]) vadato
Debebat; quod ni fecisset, perdere litem.
Si me [32]) amas, inquit, paulum hic ades. Interream, si
Aut valeo stare, aut novi civilia jura;
Et propero, quo scis. Dubius sum, quid faciam, inquit;
Te ne relinquam, an rem [33]). Me sodes [34]). Non faciam [35]), ille;
Et praecedere coepit. Ego (ut [36]) contendere durum est
Cum victore) sequor. Maecenas, quomodo tecum [37])?
Hinc [38]) repetit; paucorum hominum, et mentis bene sanae;
Nemo dexterius fortuna est usus. Haberes
Magnum adjutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere: dispeream, ni

29) Vestae, subaudi, templum, quod erat in foro Romano.

30) Quarta: designatur his verbis initium horae quartae post solis ortum, a quo Romani auspicabantur diem suum, duodecim horis constantem. Sic enim tres priores horae erant quarta diei pars.

31) Respondere vadato, id est, obire vadimonium, stare in judicio ad respondendum cuidam, qui ipsum vadatus erat, id est, legitime citaverat. Vide sat I. not. 13.

32) Me, haec vocula non eleditur, et fit brevis ob sequentem vocalem. Sensus est: si me, inquit, diligis, mecum in jus veni, adsis mecum coram judicio, ut meam tua saltem adjuves praesentia causam. Ego vero, respondet Horatius, dispeream, si arrectus in pedes durare, id est, stare valeo etc. Stare enim debebant coram judice causam suam perorantes. Interream seu peream, est formula pervulgaris adfirmandi aliquid apud Latinos.

33) An rem, id est, causam litem.

34) Me sodes, scilicet, relinque, ait Horatius. Sodes est vox rogantis quidpiam et blandientis, facta ex si, et audis, idem ac, quaeso.

35) Ille, scilicet, respondet.

36) Ut, id est, durum enim et inutile est, cum victore certare seu contendere.

37) Tecum, subaudi, agit, versatur.

38) Hinc repetit, id est, ab hoc exordio sermonem intermissum repetit ac resumit nempe garrulus: paucorum hominum est, id est, versatur sane Maecenas cum paucis, et quidem cum ejusmodi tantum hominibus, qui bene sanae mentis, h. e. qui bene animo exculti sunt; nemo callidius bona fortuna sua usus est, quam tu Horati, qui Maecenatem ita tibi devincire potuisti. Si hunc hominem, id est, me (seipsum enim indicat) velles tradere, h. e. Maecenati offerre, commendare, ut essem inter ejus familiares domesticos; certe haberes me magnum adjutorem, id est: adjuvarem te egregie, et secundas in Maecenatis amicitia partes ferre possem. Ne vivam, ni brevi omnes alios a Maecenate per me summovisses, id est, ni ex eo quem alii obtinent in ejus gratia, loco omnes facile deturbasses, me juvante.

Summosses omnes. Non [39]) isto vivimus illic,
Quo tu rere, modo. Domus hac nec purior ulla est,
Nec magis his aliena malis: nil mi officit unquam,
Ditior hic aut est quia doctior; est locus uni-
Cuique suus. Magnum [40]) narras, vix credibile. Atqui [41])
Sic habet. Accendis [42]), quare cupiam magis illi
Proximus esse. Velis [43]) tantummodo, quae tua virtus,
Expugnabis. Et est, qui vinci possit; eoque
Difficiles aditus primos habet. Haud [44]) mihi deero:
Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuero, desistam: tempora [45]) quaeram;
Occurram in triviis, deducam. Nil [46]) sine magno
Vita labore dedit mortalibus. Haec [47]) dum agit, ecce,
Fuscus [48]) Aristius occurrit, mihi carus, et illum
Qui pulchre [49]) nosset. Consistimus: Unde venis? et
Quo tendis? rogat [50]), et respondet. Vellere coepi

39) Non isto. Nunc respondet Horatius: Haec se gerendi ratio, qua alter alterum pellere et submovere studet, apud nos, qui cum Maecenate versamur, haud locum habet, uti tu reris, opinaris; malorum istiusmodi, invidiae nimirum et ambitionis, nulla domus magis est expers, quam haec: mihi nequaquam officit aut nocet, quod alter aliquis me opulentior sit aut eruditior; suus cuique locus servatur.

40) Magnum aliquid dicis et vix credibile; sunt haec verba Garruli.

41) Atqui sic se res habet, ita est tamen, respondet Horatius.

42) Accendis. Verba Garruli: Facis, accendis animum meum, ut eo magis cupiam familiaris esse viro huic tanto.

43) Horatius respondet: Sufficit velle, eris voti compos, modo tantum velis; qua tu virtute es, facile obtinebis, id est, tu homo egregiis dotibus, praestans facile expugnabis et impetrabis a Maecenate, ut te in suorum numero esse velit. Et est sane vir hic pro mitioris animi indole non inexpugnabilis, seu talis, qui facile vinci possit; eoque, id est, atque ob id ipsum, quia se facile vinci posse Maecenas intelligit, primi aditus tantum apud eum sunt difficiles; ubi autem quis aditum ad eum reperit, cetera prona illi sunt et facilia.

44) Verba Garruli: Haud mihi deero, nihil negligam etc.

45) Tempora, opportuna nempe, et idoneas occasiones quaeram, obviam illi per vicos ibo, et deducam, id est, comitabor ipsum.

46) Adducit in rem suam Garrulus sententiam gravem, cujus sensus est: nihil in vita magnum haberi ab hominibus potest, sine magno labore.

47) Haec dum agit, id est, dum ita loquitur.

48) Fuscus Aristius, Grammaticus, poëta et orator, Horatio familiarissimus.

49) Pulchre nosset, id est, qui hunc garrulum egregie novit.

50) Rogat et respondet, id est, interrogat, et mihi eadem interroganti respondet Aristius, ut in salutando fit.

Et prensare manu lentissima [51]) brachia; nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet [52]). Male [53]) salsus
Ridens dissimulare; meum jecur urere bilis.
Certe [54]), nescio quid, secreto velle loqui te
Ajebas mecum. Memini [55]) bene; sed meliori
Tempore dicam: hodie tricesima [56]) sabbata: vin' tu
Curtis Judaeis oppedere? Nulla [57]) mihi, inquam,
Religio est. At [58]) mî: sum paulo infirmior; unus
Multorum. Ignosces; alias loquar. Hunccine [59]) solem
Tam nigrum surrexe mihi! Fugit improbus [60]), ac me
Sub cultro [61]) linquit. Casu venit obvius illi [62])

51) Lentissima brachia, quae tractari se, pungi, velli paterentur, quasi sensu carentia. Intellige hoc de Aristio, qui, licet vellicaretur, se id non sentire simulabat.

52) Eriperet, id est, liberaret.

53) Male salsus, id est, Aristius inopportuno tempore ludens ridere coepit ac dissimulare, h. e. ita se gerere, quasi non caperet, quid vellem; dum meum jecur interim fervente intus bile seu ira arderet.

54) Verba Horatii ad Aristium: At enim dicebas, aliquid te habere, quod mecum sine arbitris, secreto tractare velis.

55) Memini, respondet Aristius, recordor sane, verum opportuniore tempore de his loquar tecum; hodie enim celebrantur tricesima sabbata: tunc curtorum, id est, circumcisorum Judaeorum religionem contemnere, violare, velles, de profanis negotiis mecum agendo?

56) Tricesima sabbata est festum, quod Judaeis Neomenia vocabatur, et erat primus dies mensis, qui post dies fere triginta nempe singulis Calendis occurrit. Vocat illum diem sabbatum, quia festi dies Judaeorum vulgo sabbata dicebantur, et noto apud Romanos nomine usus Horatius est. Tricesimum illud sabbatum quidam volunt esse ipsum pascha, quod hoc inciderit in medium aprilem; a mense autem septembri, unde suum annum Judaei ducebant, usque ad aprilem medium numerantur ipsae triginta hebdomadae. Sed quaecunque tandem hac tricesima Judaeorum sabbata fuerint, certe, diem festum per ea designari, quo nihil rei Judaeis gerere liceret, ex hoc ipso loco adparet.

57) Horatius respondet: Nullum haec res mihi scrupulum injicit; vel, mihi quidem ejusmodi res religiosa haud curae est.

58) At est mihi religio, inquit Aristius; sum enim paulo infirmioris animi, sum religiosior, superstitiosior; adeoque unus de multis, id est, de plebe, quae semper est superstitiosa et religiosa. Ignosce nunc, alio die loquar tecum de hoc negotio.

59) Hunccine. Horatius secum loquitur: Siccine diem mihi tam nigram, tam infaustam illuxisse! surrexe, pro, surrexisse.

60) Improbus, id est, maligne salsus, jocosus Aristius.

61) Sub cultro, tamquam mactandam hostiam. Linquit, id est, deserit. Inepti enim homines importuna garrulitate sua enecare vel occidere aliquem dicuntur.

62) Illi garrulo.

Adversarius[63]), et: Quo[64]) tu turpissime? magna
Exclamat voce, et: Licet[65]) antestari? Ego[66]) vero
Oppono auriculam. Rapit in jus, clamor utrinque;
Undique concursus. Sic me servavit Apollo[67]).

S a t y r a X.

Argumentum et occasio.

Horatius satyra hujus Libri 4ª Lucilium redarguerat, cujus fautores Hermogenes et Demetrius cum aliis sui generis poëtam nostrum inique ac invidiose de Lucilii satyris judicasse criminabantur. Contra hos se defendit in hac satyra, ingenue simul laudans, quae jure merito in Lucilii satyris laudanda sint. Ceterum vitia bonis scriptoribus vitanda tamquam in speculo repraesentantur in hunc fere modum: Dixi omnino, Lucilii versus, quibus urbis vitia mordaciter insectatus est, non esse satis comtos beneque fluentes; et merito, nam ad poëma non sufficit, tantum risum lectorum et auditorum movere, brevitate quoque, et varietate styli, pro diversitate materiae, excellere debet. In eo quoque, quod Graeca sermoni Latino immiscuerit, non minus reprehensione dignus mihi videtur, quia nos Romanos exemplo clarissimorum virorum, patrio sermone scribere decet. Licet igitur ego, scribentibus aliis alia, viles satyras scribens inventori hujus generis scribendi Lucilio libenter cedam, hoc tamen non impedit, quominus versus illius male fluentes reprehendam; quemadmodum et ipse optimorum poëtarum menda dijudicat. Iterum iterumque dehinc dico: demus sane laudem

---

63) Adversarius is, qui litem illi intendebat, qui garrulum vadatus erat.

64) Quo tu, subaudi, pergis, tendis, improbissime!

65) Licet antestari. Sensus est: licetne te testem facere? his verbis petitor convertit se ad Horatium. Nam haec erat consuetudo: si quis vadato non paruisset, adversarius aliquem de praesentibus antestabatur, h. e. tangebat ejus aurem et dicebat: Licetne antestari? si respondisset ille: Licet, tunc injiciebat vadatus manum in eum, qui non paruisset, et ducebat in judicium; aliter si injecisset manum, injuriarum poterat adcusari.

66) Ego vero statim aurem praebeo, id est, ego vero libens testis ero; tange auriculam, et me testem habeto.

67) Apollo. Is a periclitantibus invocari solebat, ut malorum depulsor; adde, quod Deus est poëtarum praeses. Juxta alios ideo se ab Apolline servatum dicit poëta, quod res, de qua agitur contigit in foro Augusti, in quo erat eburnea Apollinis statua.

suam Lucilio, multa tamen e versibus ejus delenda et emendanda sunt. Qui proinde scribere vult, quod placeat, et denuo legatur, menda corrigat paucisque lectoribus sit contentus oportet; et, sicut ego, imperitorum judicium vituperans, laudem tantum cultiorum quaerat. Vos itaque Demetri et Tigelli, valete! Scriptam esse hanc satyram ante a. u. 724 patet ex eo, quia hoc anno demum Virgilius de epico poëmate suo, Aeneide, cogitare coepit. Et Horatius certe, resciens, Virgilium suum moliri epopoeiam, nunquam ei Varium praetulisset. Vide infra not. 34.

Nempe[1]) incomposito dixi pede currere versus
Lucilî. Quis tam Lucilî fautor inepte[2]) est,
Ut non hoc fateatur? At[2]) idem, quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec[3]) tamen hoc tribuens, dederim quoque cetera; nam sic
Et Laberî[4]) mimos, ut pulchra poëmata, mirer.
Ergo non satis est, risu diducere rictum[5])
Auditoris; et est quaedam tamen hic quoque virtus.
Est brevitate opus, ut[6]) currat sententia; neu se

---

1) Nempe. Sensus est: Omnino dixi, inquit Horatius, parum adcuratum esse Lucilium in componendis versibus; ejus carmina non satis bene compositis versibus ire. Dicit enim de hoc Satyrico Romanorum sat. 4ta: durus componere versus. Vide supra Sat. IV. not. 6.

2) At idem. Sensus: laudatur Lucilius eadem charta, id est, satyra mea 4ta, quod urbis vitia insectatus sit mordacissimis jocis. Salis enim acrimonia notat styli mordacitatem. Porro vulnera putrida et vestes sordidae defricari et lavari, ut purgentur, solent.

3) Sensus: quamvis autem hanc laudem illi tribuo, nimirum quod satyricus, quod salsus sit; non tamen ceteras illi dotes concesserim, quas inesse optimis poëtis oporteat.

4) Decimus Laberius scriptor versuum scenicorum dicacissimus et facetus, sed parum accuratus in scribendo; per mimos enim intelliguntur poëmata scenica e comoediarum genere, facta ad ciendum populo risum; in iis multa petulantioris joci plena occurrebant. Sensus est: si enim Lucilium eam ob causam, quod sit adprime dicax, numeris omnibus obsolutum poëtam putarem; idem mihi esset existimandum de Laberio; hujus etiam poëmata ut pulchra et perfecta admirari deberem.

5) Rictum, id est, risum movere auditoribus; quamquam etiam ad hanc rem, scilicet ad movendum risum, virtus, facultas quaedam laude digna requiratur.

6) Ut curret, id est, ut sententia paucis verbis absolvatur, et non superfluis, abundantibus, onerantibus vocabulis ejusdem cursus impediatur, retardetur, auresque auditorum fatigentur.

Impediat verbis lassas onerantibus aures;
Et sermone opus est modo tristi[7]), saepe jocoso,
Defendente vicem modo rhetoris, atque poëtae;
Interdum urbani, parcentis viribus, atque
Extenuantis eas consulto. Ridiculum[8]) acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res.
Illi[9]), scripta quibus comoedia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi, quos neque pulcher
Hermogenes[10]) unquam legit, neque simius[11]) iste,
Nil praeter Calvum[12]) et doctus cantare Catullum.
At[13]) magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
Miscuit. O[14]) seri studiorum! quine putetis

7) Tristi, id est, severo, serio. Jocoso, id est, jocis jucundo, comico. Defendente vicem rhetoris, id est: talis esse debet, ut nunc vices rhetoris agere videatur, nimirum ornate, splendide, vehementer dicendo; nunc obire vices poëtae, hoc est, jocando, delicias quasdem verborum et amoenitates quibus poëtae gaudent, adhibendo; interdum iterum urbani et comis alicujus viri, qui de industria viribus parcit, eloquentiam cohibens, id est, ea, quae gravius et acerbius dici possint temperat et consulto extenuat; per vires enim intellige dicendi vim et gravitatem. Ceterum haec omnia de oratione satyrica, de hac enim loquitur, sumenda sunt.

8) Sensus est: saepe joco et ridiculis salibus citius et validius atque melius res maximae secantur et conficiuntur, quam acri sermone, id est, vi et pondere rationum.

9) Illi, quibus — viris. Pro vulgari: illi viri, quibus scripta est comoedia prisca, id est: poëtae, auctores veteris comoediae (de quibus mentionem fecerat Horatius initio satyrae quartae) hoc stabant h. e. propter eas, quas dixi, virtutes magni erant et placebant, atque in his solum imitatione nostra digni sunt; sed eos nunquam legit Hermogenes, neque etiam simius iste, qui nihil praeter Calvi et Catulli amatorios versus doctus est, canere scit. De comoedia prisca vide Sat. IV. not. 4.

10) Hermogenes Tigellius, Lucilii contra Horatium fautor, pulcher videri voluit, vel pulchri speciem ridicule adfectabat. Reliqua vide supra Sat. II. not. 8.

11) Simius. Demetrius poëta, fabularum scriptor, qui, quod esset insigniter deformis; vel potius quod poëtas elegiacos praestantes, Licinium Calvum et Catullum, imitari vitiose soleret, simius hic adpellatur.

12) Calvus et Catullus, poëtae tunc celebres. Hujus exstant carmina, bene Latina quidem, sed parum saepe casta.

13) Sensus: at enim, inquiunt adversarii, Lucilius tamen aliquid magno poëta dignum fecit, quod vocabula Graeca eleganter inseruerit versibus suis Latinis.

14) Respondet Horatius: O vos tardi ad res praeclaras condiscendas! vel: o vos leviter adhuc doctrinae studiis, ad quae sero accessistis, imbuti! quippe qui difficile factu et admirabile existimetis, quod fecit Rhodius Pi-

Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? At sermo[15]) lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.
Cum[16]) versus facias, te ipsum percontor, an et cum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli[17]),
Scilicet oblitus patriaeque patrisque Latini;
Cum Pedius[18]) causas exsudet Poplicola, atque
Corvinus; patriis intermiscere petita
Verba[19]) foris malis, Canusini[20]) more bilinguis?
Atqui[21]), ego cum Graecos facerem, natus mare citra,
Versiculos, vetuit tali me voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, cum somnia vera:
In[22]) silvam non ligna feras insanius, ac si
Magnas Graecorum malis implere catervas.
Turgidus[23]) Alpinus[24]) jugulat dum Memnona[26]), dumque

tholeon. Particula, ne, idem hic sonat, ac nempe, utique. Dicitur Pitholeon epigrammata ridicula scripsisse et inepta, in quibus Graeca verba mixta erant cum Latinis.

15) At sermo. Est alia objectio: at enim suavior est oratio, in qua concinne voces utriusque linguae, Graecae et Latinae, misceantur; sicut suavius est vinum Chium, advectum e Chio, insula Graeca, si misceatur illi Falernum, vinum natum in Campania Italica. Nota Falerni: nota scilicet amphorae vel cado addita docebat ubi, et quo anno vinum natum esset. Vide Odar. Lib. II. od. 3. not 6.

16) Sensus est: quando quidem tu versus scribis, te ipsum interrogo, tune, si defendendam haberes causam difficilem Petillii, quasi nimirum oblitus esses, non recordareris, tibi Latium patriam, et patre te natum esse Latino, interim, dum Pedius Poplicola et Messala Corvinus sudant, ut orationes quam castigatissimas in forum adferant, tune, inquam, peregrinas voces quaeres Latinis permiscere, lingua duplici utens, ut solent nostri Canusini?

17) Petillius, furti false adcusatus et ab judicibus in gratiam Augusti absolutus est. Vide supra Sat. IV. not. 63.

18) Pedius Poplicola et Messala Corvinus fuerunt ambo oratores clarissimi.

19) Petita verba foris, id est, aliunde ex alia gente et lingua desumta.

20) Canusium oppidum erat Italiae, a Graecis conditum in Apulia, unde in eo Graeca lingua et Latina promiscue cives utebantur, hinc illos bilingues vocat Horatius.

21) Sententia haec est: ego certe, cum homo cis mare, id est, in Italia, quam a Graecia separat mare, natus versus Graecos coepissem scribere, prohibitus sum his verbis a Romulo, post noctis medium mihi se ostendente, quando somniamus vera. Somnia enim putabant ea veriora, quae sub auroram obvenirent. Quirinus, cognomen Romuli.

22) Sensus: non magis faceres insipienter, si ligna in silvam inferres, quam si poëtarum Graecorum numerum augere velis, Graecos versiculos scribendo. Verba haec sunt Romuli.

23) Sensus: dum Alpinus inaniter tumens poëta tragoedias, forte Graecas

Defingit[25]) Rheni luteum caput; haec ego ludo,
Quae nec in aede[27]) sonent certantia, judice Tarpa;
Nec redeant[28]) iterum atque iterum spectanda theatris.
Arguta[29]) meretrice potes, Davoque[30]) Chremeta
Eludente senem, comis garrire libellos,
Unus vivorum, Fundani[31]); Pollio[32]) regum
Facta canit, pede[33]) ter percusso; forte epos[34]) acer,

totas, operose scribit, et Memnonem ab Achille jugulatum narrat; dumque de Rheno flumine nobilissimo agens caput illi ex luto defingit, id est, deformat; ego haec jocor, id est, tenuia ista carmina ludo vel scribo, non digna, quae recitentur magna voce, ac sonent in aede Apollinis, et certent cum aliorum poëtarum carminibus, judice Tarpa; aut iterum ac saepius poscantur in theatris repraesentanda.

24) Quis fuerit Alpinus ignoratur; quidam dicunt, illum esse Furium, propterea dictum Alpinum, quia e Gallia oriundus erat. Quidquid autem sit, certum est tamen, illum tamquam inflato stylo inaniter tumentem poëtam reprehendi ab Horatio.

25) Defingit, deformat, non quia luteum caput habet Rhenus, sed quod luteum fecit ipse, male describendo et fingendo.

26) Memnon filius Aurorae, qui Trojanis ex Oriente ferens auxilia et fortiter pugnans ab Achille occisus est.

27) In aede: poëtae clari sua carmina coram certis judicibus recitabant, cum aliorum carminibus comparanda; hoc fieri solebat in templo Apollinis seu Musarum, quo poëtae conveniebant. Fuit Tarpa inter illos judices insignis, et carmina, nisi a Tarpa aut alio critico probarentur, in scenam non deferebantur.

28) Nec redeant: tragoediae quae placebant saepius in scenam dabantur, ac proinde rediverunt in scenam quodammodo.

29) Sensus et ordo: tu solus, o Fundani, inter eos qui hodie vivunt, potes garrire comis libellos, id est, habes facultatem scribendi comoedias stylo tam fluente ac facili, quam si garrires ac fabulareris; in quibus libellis seu comoediis meretrix arguta, callida, astuta, et Davus servus senem Chremetem jucunde fallant. Pollio regum ac principum virorum facinora canit et celebrat jambis trimetris, ad quorum mensuras terra ter pede feriatur. Epos forte, seu Epopaeiam, quod fortes et generosos spiritus desiderat, nemo tam perfecte ducit seu scribit, ac Varius, ingenio acri magnoque praeditus; et tenerum, tersum atque facetum seu suave genus versuum ruris amantes Musae Virgilio annuerunt, concesserunt, attribuerunt.

30) Davus nomen est solitum servis tribui in comoedia Romanorum. Chremes autem nomen est alicujus senis in comoedia Terentii.

31) Fundanius, poëta comicus, Augusto carus, et Horatii amicus fuit.

32) Asinius Pollio fuit nobilissimus scriptor tragoediarum. Vide L. II. od. 1.

33) Pede: in recitandis versibus senariis seu trimetris solebant ad binos quosque pedes, qui metrum unum conficiunt, pede terram percutere.

34) Varius, poëta epicus et tragicus, Horatii et Virgilii amicus. Vide

Ut nemo, Varius[35]) ducit; molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camoenae[36]).
Hoc[37]) erat, experto frustra Varrone[38]) Atacino
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
Inventore minor: neque ego illi detrahere ausim
Haerentem capiti multam cum laude coronam.
At[39]) dixi, fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. Age quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprêndis[40]) Homero?
Nil comis Tragici mutat Lucilius Accî[41])?
Non ridet versus Ennî gravitate minores,
Cum de se loquitur, non ut majore reprensis?
Quid[42]) vetat et nosmet Lucilî scripta legentes,

L. I. od. 5. Ex hoc loco conficitur, hanc satyram scriptam esse, antequam Virgilius Aeneidem suam edidisset. Vide supra argum.

35) Epos, Graeca vox est, significans verbum seu narrationem: sumitur pro eo genere carminis, in quo res narrantur, et eatenus opponitur dramatico, in quo res personis adhibitis repraesentantur. Epicum poëma complectitur bucolicum sive pastoritium, quas eclogas vocant, georgicum etc. denique illud omne, quod sola narratione continetur; quo in genere primas obtinet sedes carmen heroicum, sive epopoeia, in quo describitur actio praeclara quaedam herois alicujus v. g. Aeneae adventus in Italiam et victoria de Turno.

36) Camoenae, cognomen Musarum. Myth. Intellige hic bucolica Virgilii, quae jam edita fuere, et fortasse etiam Georgica.

37) Sensus est: satyricum carmen itaque unum supererat, in quo ego melius, quam Varro Atacinus et quidam alii, qui frustra in eo se tentarunt, experti sunt, versari et scribere possem; Lucilio tamen, qui ejus carminis auctor fuit, minorem et inferiorem multo me esse fateor; neque tam audax sum, ut velim fronti ejus jure impositam coronam ab eo tollere.

38) P. Terentius Varro, Narbonnensis, a fluvio Atace Atacinus adpellatus, fuit quidem poëta bonus, sed in scribendi genere satyrico infelix.

39) Sensus est: ast adcusavi, istum limosos, impolitos et incomtos fundere, proferre versus, in quibus plura essent, quae tolli, quam quae relinqui deberent.

40) Tu nihil reprêndis, pro, reprehendis, id est: nihilne tibi, qui tam docte de poëtarum pretio judicare didicisti, in Homero displicet? nihilne ipsemet Lucilius comis, urbanus, facetus (cum irrisione ita adpellatur) sublatum aut mutatum vult in Acci tragoediis? an non reprehendit Ennii versus, tamquam ab ejus gravitate alienos, cum de se ipso sic loquitur et agit, ut non tamen iis se praeponat, quos arguit et reprehendit? Per quae cum irrisione vult intelligi Horatius, et sese Lucilii versus ita reprehendisse, ut non tamen ei se anteponat. Vide supra not. 37.

41) Accius fuit poëta, qui plures tragoedias scripserat. Ennius etiam poëta Latinus antiquus erat, de quo vide L. IV. od. 7. not. 20. Homerus princeps poëtarum Graecorum.

42) Sensus: quodsi igitur optimi quique scriptores reprehenduntur, cur

Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos et euntes
Mollius? At[43]) si quis pedibus quid claudere senis,
Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem coenatus; Etrusci
Quale fuit Cassi[44]) rapido ferventius amni
Ingenium, capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus; fuerit limatior idem,
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor,
Quamque poëtarum seniorum turba; sed ille,
Si foret hoc nostrum fato delatus in aevum,
Detereret sibi multa; recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur; et in versu faciendo
Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.
Saepe[45]) stylum vertas, iterum quae digna legi sint,

non mihi quoque liceat quaerere, num Lucilio ingenium, vel difficilis materies, quam tractavit, denegarit versiculos magis factos, id est, elegantiores et fluentes mollius?

43) Sensus est: sed si quis hoc tantum amat, rem sex pedibus comprehendere, et si contentus sit, gratuletur sibi, quod ante coenam ducentos versus, totidemque post coenam, quales illi cunque sint, scribat et fundat; quemadmodum et Cassius Etruscus, ingenio adeo vehementi, ut non sit vehementior rapidus fluvius et torrens, praeditus, poëta fecerat, quem narrant, cum suis scriniis chartisque conflagrasse: ego sane illi homini concedam, comem et urbanum et facetum fuisse Lucilium; limatiorem fuisse, quam Ennius fuerit, qui auctor exstitit carminis, adhuc rudis suo tempore et inculti, quale non scripserunt Graeci poëtae, et fuisse etiam politiorem omnibus poëtis senioribus et superioris aevi; sed tamen, si ille hac aetate nostra natus esset, si illum in hanc aetatem nostram rejecissent fata, eximeret, detereret sibi ipse quam plurima, amputeretque omnia supervacanea, quae nimirum trahuntur et accedunt ad ea, quae jam perfecta sunt, tanquam inania ornamenta; et versum faciens saepe scaberet, id est, fricaret, salperet caput, et ungues ad vivum usque morderet. Breviter res eo fere redit: non est satis multos versus fundere, ut fecit Lucilius, qui si nunc viveret, plerosque ex illis deleturus esset, ac diligentius scriberet.

44) Cassius Etruscus, quis fuerit, ignoratur, id solum constat, ex hoc loco, eum fuisse poëtam nullius valoris, cujus versus digni fuerant, ut mortuo illo comburerentur. Non est ergo ille Cassius Parmensis, quem Horatius L. I. Epist. 4. vers. 3. plurimum ob poësim laudat, ut quidam volunt, hic intelligendus.

45) Sensus est: saepe delere, ac mutare debes, quod scripseris, si velis ea scribere, quae digna sint iterum legi, ac saepius; nec cures, ut te stupeat vulgus, exiguo potius lectorum numero contentus esto. Stylus erat apud veteres instrumentum scribendi, ex una parte acutum, qua scribebant in tabulis cera obductis; et ex altera planum, qua scripta delebant aequata

Scripturus; neque, te ut miretur turba, labores:
Contentus paucis lectoribus. An[46]) tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non[47]) ego: nam satis est, equitem mihi plaudere, ut audax,
Contemtis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men' moveat[48]) cimex Pantilius[49])? aut crucier, quod
Vellicet absentem Demetrius? aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli?
Plotius[50]) et Varius, Maecenas Virgiliusque,
Valgius, et probet haec Octavius optimus, atque
Fuscus; et haec utinam Viscorum laudet uterque!

cera et complanata. Hoc vocabatur stylum vertere, seu invertere, utendo plana ejus parte ad delendum, quod acumine scriptum erat.

46) Sensus: tune tam parum sapias, ut praeoptes tua poëmata in puerorum miseris et vilibus ludis seu scholis dictari, atque ab his edisci? ob defectum exemplarium magister in scholis poëmata praelegere debebat discipulis suis.

47) Sensus: ego certe hoc nolim, sed satis est, si plausorem habuero Equitem, id est, homines lectos et nobiles; quemadmodum Arbuscula, mulier in comoediis personam agere solita, cum exploderetur a populo, audax spernendo hunc dixit, sibi satis esse, si Equitibus probaretur. Per Equitem fortasse adsentatur Horatius Maecenati suo, qui in equestri loco et ordine constiterat.

48) Men' moveat. Jam Horatius nominatim quatuor adversarios, Pantilium, Demetrium, Fannium et Tigellium, ut homines ineptos et dignos, quos contemnat, producit. Sententia haec est: mene moveat, egone curem, quid de me cimex Pantilius judicet? aut me discruciem, quod Demetrius me absentem vellicet, id est, mihi detrahat? aut quod ineptus et insulsus Fannius Hermogenis Tigellii conviva et compotor me laedat et conviciis adficiat?

49) Pantilius poëta a cimice, insecto illo male olente, et dormientes praecipue vexante atque mordente, ut homo, quem quivis aversetur, dignus designatur. Demetrius et Fannius etiam fuere poëtae ignobiles. De Hermogene vide supr. L. I. sat. 2. not. 8.

50) Sensus: o utinam probent et laudent haec mea carmina viri nobilitate poëseos et doctrinae gloria conspicui! Eosque nominatim adducit: de Plotio poëta vide L. 1. sat. 5. not. 32.; de Vario L. I. od. 5.; de Valgio L. II. od. 6.; de Fusco Aristio L. I. od. 19.; de Viscis L. I. sat. 9. not. 20. Octavius, poëta insignis et historicus; omnes autem fuere amici Horatii.

51) Ambitione: continuat adhuc virorum talium seriem. Sensus est: omni ambitione seposita, relegata; citra fastum et adulationem et Pollionem etc. et complures alios, virosque doctissimos, quos consulto praeteireo, dicere seu numerare possum inter amicos meos. Asinius Pollio, poëta et historicus. Vide L. II. od. 1. et supra not. 32. De Messala Corvino vide supra not. 18. Tuo cum fratre, hinc patet Messalam Corvinum habuisse quoque fratrem, artis poëticae gnarum et amicum Horatii. Bibulus e gente Calpurnia, et Servius e gente Sulpicia, qui non nobilitate generis tantum, sed etiam doctrinae laude

Ambitione [51]) relegata, te dicere possum,
Pollio, te, Messala, tuo cum fratre: simulque
Vos, Bibuli et Servi: simul his te, candide Furni:
Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens praetereo: quibus [52]) haec, sunt qualiacunque,
Arridere velim, doliturus, si placeant spe
Deterius nostra. Demetri [53]), teque, Tigelli,
Discipulorum inter jubeo plorare cathedras.
I, puer [54]), atque meo citus haec subscribe libello.

insignes fuisse videntur. Simul his, id est, una cum his. Furnius historiarum fide et elegantia claruit.

52) Quibus haec, id est, his omnibus haec mea carmina, qualiacunque demum sint, ut arrideant, placeant, vehementer cupio, aegre omnino laturus, si minus, quam speravi, placuerint.

53) Postquam Horatius contra eos, qui Lucilium defenderent, rem suam perorasset, finem carmini impositurus, Demetrium et Tigellium missos facit, eosque, non ut alias a nobis discedentes, valere, sed salsissime inter cathedras discipularum plorare jubet; plorare enim dicitur de quaerelis, quas quis de misera sua sorte fundit. Videntur autem Tigellius et Demetrius scholas habuisse, quibus intererant tantum puellae, sedentes in cathedris, id est, feminarum sedilibus commodioribus et mollioribus. Sensus est: ite nunc, Demetri et Tigelli et narrate sortem vestram miseram puellis in schola.

54) Jubet puerum amanuensem suum, qui scripta et dictata exciperet, dictatae satyrae statim adjicere verba, quibus valedixit Tigellio atque Demetrio.

Q. Horatii Flacci

Satyrarum

sive Sermonum

Liber II.

Satyra I.

Argumentum et occasio.

Post collectum primum satyrarum librum, lascivius ab adversariis petitus Horatius, II^dum^ Librum in lucem emissurus, hanc satyram praefixerat, qua iterum hoc carminum genus contra adversarios suos defendere conatur. Est ea, ut e carmine ipso patet (vide not. 12.) ante a. u. 727 scripta, ita quidem, ut Trebatium, virum venerabilem et juris consultum, de satyris imposterum scribendis, suaviter secum disputantem inducat. Res redit eo: melius quidem esset, incipit poëta, ut tu, Trebati, consulis, aut versus satyricos, qui multis displicent, non scribere; aut facta tantum Caesaris laudare. Hac occasione Caesari artificiose blanditur, cum modeste ingenii sui debilitatem incusans dicat, vires sibi ad tantas res scribendas deficere. Prosequitur porro: quilibet sua sectatur studia; igitur ego quoque, exemplum Lucilii, qui me nobilior longe fuerat et ditior, imitans, satyras scribam, sed nonnisi lacessitus ad me defendendum; quivis enim armis suis utitur. Ut autem etiam contra omnem potentium amicorum reprehensionem se tueatur, exempla Laelii et Scipionis adducit, qui Lucilii versibus tam parum exacerbati sunt, ut eum adhuc familiarius colere viderentur. In fine tandem, ut omnem adversariorum impetum removeat, qui probabilius ex lege, in satyricos lata, illum adcusare volebant, Caesaris ipsius judicium de versibus suis commemorat.

Sunt, quibus in satyra videor nimis acer [1]), et ultra

1) Acer, asper, severus, vehemens.

Legem tendere [2]) opus; sine nervis [3]) altera, quidquid
Composui, pars esse putat; similesque meorum
Mille die versus deduci [4]) posse. Trebati [5]),
Quid faciam, praescribe [6]). Quiescas [7]). Ne faciam, inquis,
Omnino versus. Ajo [8]). Peream [9]) male, si non
Optimum erat; verum nequeo dormire. Ter uncti [10])
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
Irriguumque [11]) mero sub noctem corpus habento.
Aut, si tantus amor scribendi te rapit, aude [12])
Caesaris invicti res dicere, multa laborum

---

2) Tendere, pro, extendere, id est, ultra modum extendere satyras; excedere modum in scribendis satyris; progredi ulterius, acerbius scribere, quam lex satyrae sinat.

3) Nervis, id est, altera pars putat, quod compono, scribo, esse sine sermonis et sententiarum gravitate.

4) Deduci, pro, scribi, id est, meis versibus similes; tales, quales ego facio versus, una die mille scribi posse. Metaphora sumitur a lana, quae sine labore ducitur e colo.

5) Trebatius Cajus Testa vocabatur, vir optimus, et juris scientissimus, amicissimus etiam Ciceronis, cujus plures exstant ad eum epistolae. Ad Fam. Lib. VII.

6) Praescribe, id est: consilium da.

7) Respondet Trebatius: auctor tibi sum, ut quiescas, abstineas penitus a scribendo.

8) Ajo, ita censeo, inquit Trebatius.

9) Peream. Formula fortius adfirmandi aliquid. Sensus est: sane verum dicis, et praestaret, optimum esset, omnino versus non facere; verum, cum dormire non possum, in versibus faciendis noctem pono. Heindorfius ita explicat: non possum otiosus esse, cessare; Trebatius vero hanc jocosam dilogiam sensu proprio sumit, et respondet. Erat, pro, esset.

10) Respondet Trebatius, non tam faciendis versibus, quam exercitatione corporis, ac praecipue crebra sub vesperam natatione, et vini potu somnum conciliandum esse. Quod autem dicit, uncti, respicit ad consuetudinem, qua exercitationes gymnasticae, quae in Campo Martio a juvenibus oleo unctis instituebantur, ad eorum corpora recreanda, natatione finiri solebant. Ceterum etiam oleum ante natationem illinebant corpori, ut, poris oleo clausis, contra frigus aquae muniretur.

11) Irriguum mero, nam, qui vino madent, facile a somno opprimi solent. Hoc autem datum Horatio consilium bene respondet ingenio Trebatii, quem et natandi studiosissimum, et bonum vini potorem fuisse ex Cic. L. VII. Ep. 10. et 22. discimus.

12) Aude dicere, id est, adgredere ad Caesaris Magni res gestas scribendas, grandem mercedem laboris tui reportaturus. Caesaris Augusti nempe, sic enim Octavianus ab Horatio in satyris, epod. et Lib. I. od. vocatur; nam Augusti nomen anno demum 727 assumsit. Per praemium non est

Praemia laturus. Cupidum [13]), pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina [14]), nec fracta pereuntes cuspide Gallos [15]),
Aut labentis equo describit vulnera Parthi [16]). —
Attamen [17]) et justum poteras et scribere fortem;
Scipiadam ut sapiens Lucilius. Haud [18]) mihi deero,
Cum res ipsa feret. Nisi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem:
Cui [19]) male si palpere, recalcitret undique tutus.

---

intelligenda merces ab Augusto pendenda; sed potius illa, quam poëta ex ipsa materia laboris sui adeo nobili et facunda percipit.

13) Cupidum: licet etiam cupide vellem scribere, respondet Horatius, tantis tamen rebus condigne describendis vires meae non sufficiunt. Trebatium vero patrem adpellat honoris causa, ut seniorem et juris consultum.

14) Agmina horrentia pilis, id est, exercitus pilis erectis rigentes, ac proinde, horridos. Pilum est hasta brevior apud Romanos usitata. Vide Antiquitates

15) Gallos, id est: fractis in ipso vulnere telorum cuspidibus Gallos, animam exhalantes. Narrat Plut. excogitasse Marium jaculi genus, quod infixum corporibus, avelli non poterat integrum; tum ut curatio esset difficilior, tum ne eo uti posset, qui laesus erat.

16) Parthi, id est, Parthos saucios ex equis decidentes, scilicet: non quilibet describere valet tantas res bellicas, quas Caesar jam peregit, et adhuc peracturus est. E Nota 12. patet satyram hanc jam ante a. u. 727 scriptam esse, circa hoc tempus autem neque cum Gallis neque cum Parthis bellum gestum erat; Parthi enim signa Romana anno demum 734 reddiderunt. (Vide Argum. Od. 5. L. III.) De veris proinde factis hic locus non est intelligendus: sed poëta tales victorias de Gallis, et in specie de Parthis, infensissimis tunc temporis Romanorum hostibus, invicto Caesari, juveni huic imperatori, praesagiens exoptat Majoris.

17) Sensus est: esto, inquit Trebatius, non satis habeas nervorum ad res bellicas Augusti describendas; posses tamen illius justitiam et animi magnitudinem laudare: ut sapiens Lucilius laudavit Scipiadam, id est, Scipionem Aemilianum, sive Africanum Minorem. Lucilius dicitur sapiens, quia sapienter vitam Scipionis privatam describendam sibi sumsit. Ennius poëta scripsit autem bella Scipionis.

18) Sensus est; faciam enim vero, respondet Horatius, ast cum opportuna se dabit occasio: Flacci enim, id est, mea verba et laudes Caesaris non audientur attente ac libenter ab eo, nisi dicantur in loco, et dextro, id est, opportuno tempore.

19) Cui male. Haec allegoria desumta est ab equo generoso, qui undique tutus, (h. e. a nemine sibi timens) si quis ei male, id est, importuno tempore blandiatur palpando vel mulcendo, recalcitrat. Sensus est ergo: qui undique tutus, id est, ab omni parte contra aditum adulatorum munitus, adulationem importunam et laudes molestas rejicit.

Quanto [20]) rectius hoc, quam tristi laedere versu
Pantolabum scurram, Nomentanumque nepotem,
Cum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit.
Quid [21]) faciam? saltat Milonius [22]), ut semel icto
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.
Castor gaudet equis, ovo [23]) prognatus eodem
Pugnis; quot capitum vivunt, totidem studiorum
Millia. Me pedibus [24]) delectat claudere verba
Lucili ritu, nostrum melioris [25]) utroque.
Ille [26]) velut fidis [27]) arcana sodalibus olim
Credebat libris: neque [28]), si male cesserat, unquam

20) Sunt verba Trebatii. Sensus: quanto tamen melius est hoc, nempe laudes Caesaris dicere, quam tristi seu satyrico versu mordere parasitum Pantolabum et prodigum Nomentanum; ubi quisque intactus, h. e. nondum satyra laesus causam habet sibi timendi, et propterea etiam versus hos tristes odit, eorumque auctores. De Pantolabo vide L. I. sat. 8. not. 8. et de Nomentano vide L. I. sat. I. not. 68.

21) Respondet Horatius. Sensus et ordo est: quid ego aliud, quam versus faciam? quot enim sunt homines, totidem sua quisque sectantur studia: Milonius saltatione, Castor equorum domandorum studio, Pollux pugilatu gaudent; ego, ut Lucilius, delector scribendis satyris.

22) Milonius scurra illorum temporum, qui, semel percusso vini vaporibus capite, adeo, ut lucernis numerus accederet, seu ut lucernarum numerus augeretur, id est, cum semel ebrius esset ita, ut omnia duplicata videret, statim saltare incipiebat.

23) Ovo: Pollux Castoris frater, qui ambo geniti erant ab ovo eodem Ledae, quam Jupiter, in cygnum mutatus, adiit. Vide Myth.

24) Pedibus verba claudere, id est, versus sex pedum, seu hexametros facere; his enim versibus satyras suas scripserat Horatius.

25) Melioris, id est: qui melior fuit et me, et te, Trebati, censu et nobilitate. Fuit Lucilius vir dives et valde nobilis, utpote Magni Pompeji avunculus major; soror enim Lucilii Avia Pompeji fuerat.

26) Ille velut: vult hic poëta dicere: quod si igitur Lucilium, qui est homo nobilis, non puduit satyras scribere, cur me, qui homo sum ignobilis, nec utrum Lucanus, an Apulus dicendus sim, satis scio, hujus rei pudeat?

27) Fidis. Id est, ille Lucilius chartis suis tamquam fidelibus amicis, secreta sua committebat.

28) Sensus: neque, sive quid male, sive quid bene ei cesserat, usquam alio, nisi ad fidos suos sodales, ad libros, quibus id mandaret, decurrebat. Lucilius scilicet tam laeta, quam tristia, tam recte, quam minus recte facta, tam laudanda, quam carpenda, diligenter notabat, unde ejus vita tanquam in tabula votiva descripta dicitur. Qui morbos, naufragium, aliosque casus effugerant; aut aliquid ex animi sententia gesserant, in votivis, id est, in promissis ex voto tabulis ea depingi jubebant, hasque descriptas,

Decurrens alio, neque si bene: quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis. Sequor hunc, Lucanus [29]) an Apulus, anceps;
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus,
Missus ad hoc, pulsis (vetus est ut fama) Sabellis [30]):
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis;
Sive quod Apula [31]) gens, seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. Sed hic [32]) stylus haud petet ultro
Quemquam animantem; et me veluti custodiet ensis
Vagina tectus; quem cur destringere coner
Tutus ab infestis latronibus? O pater [33]), et rex
Jupiter, ut pereat positum robigine telum,
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! at ille,
Qui me commôrit (melius non tangere clamo)
Flebit, et insignis tota cantabitur urbe.

h. e. pictas tabulas circumferre solebant. Pateat, id est, conspiciendam praebeat, elegantius pro: sit.

29) Lucanus an Apulus. Venusia civitas, Horatii patria, sic in confinio Lucaniae et Apuliae posita erat ad fluvium Aufidum, ut dubium videri dicat, sit ne Apulus an Lucanus. Vide L. III. Od. 4. Sensus est: ego hunc imitor, homo ignobilis, cujus patria, utrum ad Lucaniam, an ad Apuliam referenda sit, in ambiguo est. Venusini enim agricolae intra utriusque populi terminos aratris suis terram vertunt, ideo, Sabellis seu Samnitibus pulsis, missi in hanc urbem Venusiam, ne per eam regionem, praesidio et milite Romano vacuam et destitutam, hostes facilem aditum et incursionem in Romanorum agros invenirent; sed ut essent, qui hanc urbem munirent ac defenderent; sive (ideo missi) quia Lucani et Apuli ipsi violenti et bellicosi bello Romanos exagitassent, essetque propterea opus hac urbe et colonia, tanquam freno, ad utrosque coërcendos.

30) Sabelli a Sabinis orti incolebant montes inter Sabinos et Marsos, olim etiam Samnites adpellabantur.

31) Apulia et Lucania sunt regiones in Italia inferiori.

32) Sed hic stylus. Ab hoc episodio redit iterum ad thema. Sensus est: sed hic stylus, haec carminum ad Lucilii exemplum scribendorum ratio mea, neminem animantem petet, id est, nemini viventium nocebit, et me tantum tuebitur, tanquam gladius in vagina reconditus; quem, quare hinc educam, quamdiu tutus fuero, seu quamdiu infesti latrones non me petent? id est: quem ego nunquam destringam, donec ipse non petar, pro: non scribam satyras nisi provocatus.

33) Sensus est: o Jupiter, qui omnium et rex et pater es, fac, ut hic ensis meus depositus et inutilis rubigine pereat, consumatur; ut nemo me cupidum pacis et amantem laedat, et cogat illum destringere! sed quisquis me commoverit, id est, petierit, adgredietur, mihi bilem moverit (moneo, consultius faciet, si me non tangat) plorabit, id est, gravi cum dolore poenitebit eum hujus stultitiae, et famosis versibus a me describetur, ut rumor de illo totam urbem pervagetur.

Cervius [34]) iratus leges minitatur et urnam;
Canidia, Albutî, quibus est inimica, venenum;
Grande malum Furius, si quid se judice certes.
Ut [35]), quo quisque valet, suspectos terreat, utque
Imperet hoc natura potens, sic collige mecum:
Dente [36]) lupus, cornu taurus petit: unde, nisi intus
Monstratum? Scaevae [37]) vivacem crede nepoti
Matrem; nil faciet sceleris pia dextera (mirum,
Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos)
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum [38]) faciam: seu me tranquilla senectus
Exspectat, seu mors atris circumvolat alis;
Dives, inops; Romae, seu, Fors ita jusserit, exul:

34) Brevis sententia est: sua quisque habet arma, quibus aut alios petat, aut ab aliis se defendat; me satyrarum, quibus in vitia hominum invehar, scribendarum facultate instruxit natura; ergo scribam. Et pro hoc dicit poëta: Cervius, ubi exarsit ira, intentat adcusationem et condemnationem ex legibus; Canidia Albutii filia, illis, quos odit, venenum, id est, veneficia minatur; Furius magnam demum perniciem illis, qui se arbitro contendunt, contra alios causam suam defendunt. Cervius, aliquis tunc temporis insignis adcusator. Urna, pro sententiis judicum; quia tabellae, in quibus perscriptae erant sententiae judicum, in urna condebantur, et inde depromebantur. De Canidia, vide Arg. ad Epod. V. Albutius veneno uxorem suam peremisse dicitur. Marcius Furius, judex aliquis improbus et venalis, qui accepta pecunia pro reis pronuntiare est solitus.

35) Sensus est: quomodo unus quisque iis, quibus valet, viribus suspectos terreat, et quomodo natura, cujus magna est vis et potentia, hoc, se defendere nempe contra suspectos et periculosos, imperet: de hac re ita mecum collige, cogita.

36) Eandem sententiam adhuc fusius tractat per similitudines: sic lupus dentibus, et taurus cornibus pro armis utitur; unde, id est, ex qua tandem causa alia, nisi quod interna naturae vis lupum et taurum armis his uti docuerit?

37) Ad confirmationem ejusdem sententiae adducit etiam adhuc exemplum Scaevae, qui fuit luxuriosus quidam juvenis, et matrem dato veneno necavit, propterea quod ei nimis diu viveret. Vivax: sumitur de eo, cui vita longior contingit. Sensus est: permitte Scaevae nepoti, et perdito adolescenti, ejus arbitrio et potestati matrem ipsius longaevam; nihil mali facinoris audebit in eam plena pietatis manus, id est, non trucidabit illam manibus suis, tantum ex ignavia piis (quod autem non est mirandum, quemadmodum nemo mirabitur, quod lupus pedibus et bos dentibus neminem feriat) sed utetur ad matrem tollendam veneno et cicutae succo, quem melli infundet.

38) Sequitur hic finis illius sententiae, quae initio notae 34 adposita est: ergo scribam, quod poëta pluribus ita tractat: ne longus sim; sive ad

Quisquis erit vitae, scribam, color. O puer [39]), ut sis
Vitalis, metuo et, majorum ne quis amicus
Frigore te feriat. Quid [40])? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis; num Laelius [41]) et, qui [42])
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi? aut laeso doluere Metello [43])?
Famosisque Lupo [44]) cooperto versibus? atqui
Primores populi arripuit, populumque tributim [45]);
Scilicet uni aequus virtuti, atque ejus amicis.
Quin [46]) ubi se a volgo, et scena in secreta remôrant

senectutis annos tranquille deducar, sive mors nigris alis suis mihi propinqua adsit; sive dives, sive pauper; sive Romae, aut, si voluerit fortuna, in exilio vitam degam; qualiscunque fuerit vitae meae color, ater an albus, id est, qualiscunque vitae meae ratio et status fuerit, adversus an prosper, satyras scribere pergam.

39) Loquitur Trebatius: Carissime Horati, precor quidem, ut diu sis vitalis, ut diu vivas; sed vereor, ne scribendis satyris gratiam amicorum potentium, ut Maecenatis etc. perdas. Fuerat Trebatius senex juris consultus, et Horatius adhuc vir circiter 30 annorum, propterea puerum hunc adpellat. Frigore, h. e. dum amicorum favor erga te frigere incipit, frigore te feriet, percutiet, vitam quasi tibi eripiet. Vita enim poëtarum, qua talium, a favore potentium amicorum potissimum dependebat.

40) Respondet Horatius: Quid? cum Lucilius ausus est carmina componere in hunc operis, id est, satyrae morem; cum ausus est tollere pellem, id est, externam speciem improborum, qua induti incedebant per ora hominum, h. e. adparebant palam, ut nitidi et virtute praediti, quamvis intus essent turpes et scelerati; num ejus carminibus, et hac indole satyrica sunt offensi Laelius et Scipio Africanus minor? Num doluere et aegre tulere, quod Metellum laederet, quod Lupum famosis versibus obrueret? Et tamen Lucilius nobiles aeque ac plebem corripuit, solis probis parcens et favens. Primus, dicitur Lucilius, quia primus inventor satyrae fuit apud Romanos. Vide Arg. Sat. 4. L. I.

41) Laelius C. sapiens dictus, quem Cicero loquentem inducit in sermone de amicitia, fuit etiam consul.

42) Qui duxit nomen, intelligi debet Scipio Africanus minor, qui Carthaginem delevit, et familiarissime vixit cum Laelio.

43) Q. Caecilius Metellus Macedonicus, Scipionis Africani minoris, quem Lucilius colebat, inimicus teste Plinio fuit, unde in illum Lucilius invectus est.

44) Lentulus Lupus Consul, damnatus repetundarum, post damnationem tamen censor factus.

45) Tributim, id est, per singulas tribus 35, in quas populus Romanus divisus fuerat, promiscue irruens in quemlibet.

46) Sensus est: imo, postquam se a vulgo et scena, id est, a theatro quasi rerum publicarum, a luce publica, in secreta, intra privatos parie-

Virtus Scipiadae, et mitis sapientia Laelî;
Nugari cum illo, et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti. Quidquid [47]) sum ego, quamvis
Infra Lucilî censum ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia; et fragili quaerens illidere dentem,
Offendet solido: nisi quid tu, docte Trebatî,
Dissentis. Equidem [48]) nihil hinc diffindere possum;
Sed [49]) tamen, ut monitus caveas, ne forte negotî
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, jus est
Judiciumque [50]). Esto [51]), si quis mala: sed bona si quis
Judice condiderit laudatus Caesare? Si quis
Opprobriis dignum latraverit, integer ipse?
Solventur [52]) risu tabulae; tu missus abibis.

---

tes recepissent, Scipio, maxima virtute praeditus, et Laelius sapientissimus, cum illo Lucilio discincti, id est, negligentius vestiti, dum interea coena frugalis pararetur, nugari, pueriles jocos miscere solebant. Olus, pro: coena frugalis, quia haec magnam partem ex oleribus constabat.

47) Quidquid, id est, quantuluscunque sum ego; quamvis Lucilio me esse opibus et ingenio inferiorem confiteor: tamen, me quoque familiariter maximis viris usum esse, invidi semper fateri delebunt; et quaerentes ac conati illidere dentes in aliquam fragilem et mollem materiam, in solidam et duram incident, sibique dentes oblaedent; nisi tu, erudite Trebati, aliud etiamnum consulis. Per, magnos, intellige: Augustum, Maecenatem etc. Usque, pro: semper. Invidia hic est personificata, et designantur per eam inimici Horatii: hi, inquit, mihi non poterunt nocere, quodsi etiam tale aliquid tentaverint, invenient me esse talem, qui possim resistere mordacibus et maledicis.

48) Trebatius respondet: Ego sane horum, quae dicis, nihil refellere possum; nihil possum hinc, seu, ex iis, quae dixeras, diffindere, tollere, mutare, abscindere.

49) Sed; sensus est: moneo tamen te, ut videas, ne sacrarum legum nostrarum ignoratio aliquod tibi periculum creet; id est: moneo te, legem esse in eos, qui famosa et maledica carmina condiderint in aliquem. Incutere aliquid negotii, id est, inferre, causare aliquid periculi.

50) Jus est judiciumque, id est, licet illum in jus et judicium vocare.

51) Esto. Sententia est: sit ita sane, valeat ea lex in eos, qui mala carmina scripserint; sed si quis Caesaris judicio bona carmina scripserit, si quis infamia dignum allatret, cum ipse sit expers opprobrii et probus? Haec sunt iterum verba Horatii sic interrogantis. Mala carmina: est hic lusus in vocabulo; sumit illud poëta pro carminibus ineptis; licet priori versu Trebatius de carminibus maledicis et satyricis intelligi voluerit.

52) Trebatius iterum respondet hoc sensu: Sane, si carmina, quae componis, bona sunt, et tu ipse integer opprobriis dignos tantum perstringis,

Satyra II.

Argumentum et occasio.

Frugalis vitae ratio, qua in prima republica Romana homines paucis contenti vivebant, temporibus Augusti locum dedit immoderatae luxuriae. Illam igitur frugalitatem commendans et laudans poëta docet, nec luxuriose nimis, nec etiam sordide vivendum, sed auream mediocritatem esse tenendam. Inducitur Ofellus, rusticus quidam prudentior, per totam satyram praecepta sua tradens: rem sana et incorrupta mente perpendentes, inveniemus, vilem victum et frugalem omnibus esse praeferendum; modo famem, optimum ciborum condimentum, labore nobis concitemus, verum illorum saporem cognituri; nunquam autem aut raritatis, aut caritatis, aut multitudinis specie ducti de valore patinarum judicemus. Quid? quod nec divites vilibus pauperum cibis plane carere possint; nec ita pridem malo quorumdam nepotum exemplo antiqua frugalitas illa exterminata sit? Verum et sordidam avaritiam Avieni aeque procul fugit sapiens, qui inter hanc et illam, immoderatam nempe luxuriam, nonnisi medium tenet. Transit nunc ad bona frugalitatis enumeranda, quae sunt: prospera valetudo, quam luxuria, una cum meliore parte nostri anima, deprimit; bona existimatio et fama; et tandem aequus in adversis casibus fortunae animus. Haec omnia confirmantur in fine ipsius Ofelli exemplo, qui nunc in tenui fortuna ita sanus ac contentus vivit, quemadmodum prius intactis adhuc opibus. Scripta est satyra aliquot annos post 720. Vide infra not. 79.

Quae [1]) virtus, et quanta, boni, sit vivere parvo,
(Nec meus hic sermo est, sed quae praecepit Ofellus [2])

---

leges in tabulis scriptae solventur illa vi, quam in maledicos et calumniatores habent; risu, id est, non sine risu, dum ipsi judices ridebunt homines, quorum vitia tu ridenda propinasti; et sic missus, id est, impune ex judicio abibis. Lege aliquis solvi dicitur, in quem lex aliqua non exercenda esse judicatur.

---

1) Sensus: quanta sit eorum, qui paucis contenti, parvo vivunt, virtus et felicitas, id non a me, sed sapiente rustico, Ofello, discite, o boni et amici; et hujus rei veritatem non inter laetas epulas, quibus animus facile in fraudem inducitur, sed impransi, jejuni, mecum disquirite.

2) Ofellus. Nomen rustici cujusdam, quem hic poëta loquentem inducit. Vide infra not. 70.

Rusticus, abnormis [3]) sapiens, crassaque Minerva [4])
Discite, non inter lances [5]) mensasque nitentes,
Cum stupet [6]) insanis acies fulgoribus, et cum
Adclinis [7]) falsis animus meliora recusat;
Verum hic impransi mecum disquirite. Cur hoc [8])?
Dicam [9]), si potero. Male verum examinat omnis
Corruptus judex. Leporem [10]) sectatus, equove [11])
Lassus ab indomito, vel, si Romana fatigat [12])
Militia, adsuetum graecari, seu [13]) pila velox,
Molliter austerum studio fallente laborem,
Seu te discus agit; pete cedentem aëra disco:

3) Abnormis sapiens, h. e. philosophus, qui nulli normae, seu nulli philosophorum disciplinae unice addictus, ipse, quae vera sunt, investigat.

4) Crassa Minerva, id est, absque ulla reconditiore doctrina. Minerva enim literatorum Dea eruditionem ipsam significat. Crassa autem et pinguia, cum de ingenio agitur, in deteriorem partem trahuntur.

5) Lances et mensae nitentes, sunt pocula argentea, et mensae opiparae et lautae.

6) Stupet, id est, cum oculi perstringuntur et hebescunt fulgore insigni vasorum, gemmis, auro et argento nitentium.

7) Adclinis, id est, quando, animo ad falsa proclives, meliora et vera respuimus.

8) Cur hoc? id est, cur non inter magnificas epulas hoc disquiri velim?

9) Sententia est: causam, quoad potero, adferam: animus scilicet ciborum copia et jucunditate captus, veluti judex auro corruptus, male veritatem perscrutatur.

10) Leporem sectatus — bene leniet. Sententia brevis: is tantum, qui sitit et esurit, non contemnit vulgares cibos. Pro quo poëta dicit: quodsi aut venando, aut equitando; vel, si magis tibi placent pueriles Graecorum exercitationes, aut pilam aut discum jaciendo, fastidia expuleris, tum sitiens esuriensque non spernes vilem cibum, non mulsum non pisces appetes, sed panis cum sale bene tibi sapiet. Leporem sectari idem ac, venari.

11) Ab equo indomito lassus, id est, ab equitando defatigatus. Venandi et equitandi studium autem pertinebat apud Romanos ad eas exercitationes, quibus corpora ad labores in bello ferendos corroborarentur.

12) Fatigat, id est: si haec militaris exercitatio molesta est tibi, qui adsuetus es graecari, seu, Graecorum more pilae et disci jactu exerceri. De disco vide L. I. od. VII. not. 13.

13) Seu pila velox, id est: sive lusus pilae, quae celeriter huc illuc pellitur non sine labore austero, fatigante; quem tamen laborem studium et amor hujus ludi molliter fallit, id est, leviorem multo facit; quia lusores quasi decipit, ut ne sentiant quidem graviorem virium intentionem; sive jactus disci te agit, exercet, delectat; pete, id est, lude disco; jacta discum in aërem, qui aër cedit gravioribus corporibus projectis.

Cum [14]) labor extuderit fastidia, siccus, inanis,
Sperne cibum vilem; nisi Hymettia [15]) mella Falerno
Ne biberis diluta. Foris [16]) est promus, et atrum
Defendens pisces hiemat mare; cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. Unde [17]) putas, aut
Quî partum? Non [18]) in caro nidore voluptas
Summa, sed in te ipso est. Tu [19]) pulmentaria quaere
Sudando; pinguem vitiis albumque nec ostrea
Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois.
Vix [20]) tamen eripiam, posito pavone, velis quin
Hoc potius, quam gallina tergere palatum,
Corruptus vanis rerum; quia veneat auro
Rara avis, et picta pandat spectacula cauda:

14) Cum labor, id est, et cum hic ludus et labor tibi fastidium e stomacho expulerit; sitiens, esuriensque sperne, si potes, vilem cibum; neque admitte, bibe, nisi Hymettium mel, vino Falerno dilutum, h. e. certe non vituperabis vulgares cibos et vilem potum.

15) Hymettia. Sicut vinum, in agro Falerno sub monte Massico natum, ad vina praestantiora, ita mel ab apibus in monte Hymetto in Attica collectum ad mella optima referebatur. Ac proinde hic intelligendus est optimus potus seu mulsum, e vino et melle optimo confectum.

16) Promus dicitur is, qui cibos e penu promit, id est, procurator peni. Nexus proinde sententiarum est: imo adeo parum spernes tunc cibos viliores, ut, si tuus promus non fuerit domi, et si mare procellosum et hibernum tuetur pisces, piscationem impedierit; frusto panis, nullo praeter salem adhibito condimento, contentus sis futurus, et famem placaturus cum voluptate.

17) Unde putas, id est: unde id fieri existimas, et qua ratione acquisitum esse putas?

18) Sensus: certe illa voluptas maxima, quae edendo, percipitur non est in caro nidore, seu in cibis magni pretii, sed in te ipso. Nidor est proprie fumus ille, quem tostae carnes emittunt, et odor.

19) Sensus: sudorem cibis adhibe pro condimento; nam pinguem vitiis et album, id est, obesum et pallidum ob vitam mollem, ignavam et luxuriosam nec ostrea, nec scarus, aut lagois peregrina et rara delectabit. De scaro pisce exquisito vide Epod. II. not. 53. Lagois est avis, quae carnem leporis habere perhibetur, Graece enim lepus vocatur λαγος; aut est genus piscis, quod in mari Italo non invenitur.

20) Sensus est: nihilominus tamen non evellam ex animo tuo vanam illam opinionem, qua pavonis carnem gallinae carni praeferendam existimas, unice propterea, quia ille carior est hac, et pulchrioribus coloribus distinctus: Hoc, subaudi, pavone. Palatum tergere, id est, permulcere palatum; idem ac, vesci. Corruptus, id est, deceptus vanis rebus, seu vana opinione. Veneat auro, id est, caro pretio ematur. Pandat, id est, cum caudam pulcherrimis coloribus distinctam pandit, jucundum spectaculum praebeat.

Tanquam [21]) ad rem adtineat quidquam. Num [22]) vesceris ista,
Quam laudas, pluma? cocto num adest honor idem?
Carne [23]) tamen, quamvis distat nihil, hac magis illa,
Imparibus formis deceptum te patet. Esto [24])!
Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet? pontesne interjactatus, an amnis
Ostia sub Tusci? Laudas [25]), insane, trilibrem
Mullum [26]), in singula quem minuas pulmenta necesse est.
Ducit te species, video; quo pertinet ergo
Proceros odisse lupos? Quia scilicet illis
Majorem natura modum dedit, his breve pondus.
Jejunus raro stomachus vulgaria temnit.
Porrectum [27]) magno magnum spectare catino

21) Tamquam haec pavonis raritas et pulchritudo ad rem, id est, ad saporem aliquid conferret.

22) Sensus: anne comedis illam pavonis plumam, quam tanti facis? et habet ne coctus pavo eandem pulchritudinem, qua prius gaudebat?

23) Sensus: cum ergo carne ista, gallinae scilicet, nihil haec, nempe pavonis, differat, constat certe delusum te esse dissimilitudine formae.

24) Sententia est: sed sit ita! Unde vero datum sentis, id est, unde edoctus hoc nosti, dignoscis, an lupus iste, quem ante te habes, in Tiberi captus sit, an in mari alto; an jactatus, captus, inter pontes; an in ipsis ejusdem Tiberis e Tuscia defluentis ostiis? Captus hiet, significantius, pro: captus sit, nam hiant et os diducunt quasi pisces in patina adpositi. Qui autem palati subtilitate gloriantur, melioris saporis ajunt pisces illos esse, qui rapidiore unda exercentur, quam qui languidiore torpescunt; idcirco dicuntur lupi esse meliores, qui inter duos pontes, Mulvium et Sublicium, ubi aqua concitatior est, quam qui in ostiis Tiberis capiuntur.

25) Poëta transit ad aliud genus insaniae, qua ab hominibus luxuriose et magnifice viventibus ciborum genera, quae rarius proveniunt, rariusque inveniuntur, in magno pretio ponuntur, et alia ejusdem saporis, quia sunt vulgaria, ab iisdem contemnuntur. Sensus est: o stulte magni facis mullum trium librarum, quem cogeris tamen, si vesceris illo, dividere in singula pulmenta, id est, in varias patinas. Video, adparet inde, quod hujus magnitudo te ducit, capit, delectat, quare ergo magnos rejicis lupos? Ofellus ipse sibi respondet: Quia nimirum lupos magnos fecit natura, illos mullos autem parvos et ponderis minoris. Displicent tibi scilicet pisces vulgares, et quales natura condidit; vis magnos, qui natura sunt breviores; vis breviores, qui natura magni sunt. Ast jejunus stomachus res, ut sunt, et cibos accipit.

26) Mullus apud nos, Rothbart, cui natura modicum corpus tribuit, si ad eam usque magnitudinem accreverat, ut esset trilibris, immenso pretio a Romanis emi solebat.

27) Sensus est: equidem vellem, cuperem in ingenti patina, in magno catino ingentem mullum videre porrectum, dicere solet homo gulosus, monstrosis et rapacibus Harpyiis aequiparandus.

Vellem, ait Harpyiis [28]) gula digna rapacibus. At [29]) vos
Praesentes, Austri, coquite horum obsonia! Quamquam [30])
Putet aper, rhombusque recens, mala copia quando
Aegrum sollicitat stomachum, cum rapula plenus
Atque acidas mavult inulas. Necdum [31]) omnis abacta
Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis
Nigrisque est oleis hodie locus. Haud [32]) ita pridem
Gallonî praeconis erat acipensere mensa
Infamis. Quid? tum rhombos minus aequora alebant?
Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido;
Donec vos auctor [33]) docuit praetorius. Ergo,

28) Fuere Harpyiae monstra ex variis formis conflata; foeda visu, et uncis manibus rapacia. Addunt eis poëtae vulturum alas, finguntque a Diis immissas ad polluendas dapes Phinei, regis Arcadiae, quod is filios interfecisset. Virgil. eas describit Aeneid. L. 3.

Virginei volucrum vultus, foedissima ventris
Ingluvies, uncaeque manus, et pallida semper
Ora fame. — — —

29) Sensus: sed vos, Austri, adeste, et vi vestra efficacissima horum hominum gulosorum obsonia, pulmenta concoquite corrumpendo, et putrefaciendo. Austri enim, venti a meridie flantes, aura sua aestuosa et tepida omnia putrefaciunt.

30) Quamquam. Festiva correctio prioris imprecationis: quamquam quid opus est rogare Austros, ut corrumpant horum obsonia gulosorum; siquidem aper et rhombus, etsi recentes, tamen jam putent, id est, fastidio sunt illis propter copiam, quae stomachum aegrum et nauseantem sollicitat, h. e. gravat, impellitque, ut plenus etiam viles cibos praeoptet, quales sunt: rapula, inulae, ova etc. Rapula, sunt radices quaedam, quae ad excitandum edendi desiderium sumebantur, apud nos, Radieschen. Inula, Alant, herba, quae non quidem acida est, sed cum aceto coquebatur. Rhombus et aper sunt pisces.

31) Sensus est: bene omnino factum, quod isti pauperum cibi nondum a mensis regum, id est, divitum regifico modo epulantium, abacti et expulsi sint; cum detur etiam hodie in his locus ovis vilissimis et oleis nigris.

32) Sensus: non ita pridem praeco Gallonius, quod praeter censum et disciplinam, tamquam esset homo dives et nobilior, magni pretii acipenserem in mensa adponi jusserat, notam sibi contraxit infamiae. An tunc pauciores rhombi in mari alebantur? et tamen nemo rhombo, nemo ciconiae pullis insidias struebat, donec Romanus quidam praetorius auctor fuit, ut in conviviis ponerentur, suaves esse pronunciavit, nomenque ac pretium iisdem addidit. Adeo verum est, pretium obsoniis non natura, sed opinione poni. Acipenser piscis, noster Stör, non amplius, ut olim ad lautiores epulas refertur.

33) Praetorius auctor: Asinius Sempronius Rufus instituisse creditur, ut ciconiarum pulli manducarentur, qui etiam in praetura petenda repulsam tulit. Salse igitur ob hanc repulsam praetorius dicitur.

Si quis nunc mergos suaves edixerit assos,
Parebit [34]) pravi docilis Romana juventus.
Sordidus [35]) a tenui victu distabit, Ofello
Judice; nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravum detorseris. Avidienus [36]),
Cui Canis, ex vero ductum, cognomen adhaeret,
Quinquennes oleas est et silvestria corna [37]),
Ac, nisi mutatum, parcit defundere vinum; et,
Cujus odorem olei nequeas perferre, (licebit [38])
Ille repotia [39]), natales, aliosve dierum
Festos albatus [40]) celebret) cornu [41]) ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur, et horum
Utrum [42]) imitabitur? Hac [43]) urget lupus, hac canis angit.

34) Parebit, id est, Romana statim juventus, ad prava quaeque facilis mergos etiam assabit. Mergus, Taucher, est avis macilenta et insipida.

35) Sensus est: Ofelli judicio, seu, juxta opinionem Ofelli victus sordide parcus longe diversus est a frugali; frustra enim est, nihil juvat, illud vitium, nempe luxum vitasse, si ex illo ad aliud vitium, nimirum sordide parcam vitae rationem, ad sordidam avaritiam deflexeris.

36) Avidienus, nomen, ut videtur, fictum. Sensus est: homo hic sordidae avaritiae, ideoque Canis merito adpellatus, est, seu, edit oleas quinquennes, id est, vetustate corruptas, cornaque silvestria; et vinum, nisi est vitio corruptum et in acetum fere mutatum non defundit, scilicet, e dolio in amphoram, vel ex amphora in cyathum; id est: non bibit vinum nisi fere mutatum in vappam; et oleum foetoris intolerabilis in caules instillat, id est: guttatim fundit e vase corneo, duas libras capiente, vetus acetum large adfundens; licet etiam nuptiales, natales, aliosque dies festos veste candida indutus celebret.

37) Corna, sunt fructus silvestres e cerasorum genere. Arbor vocatur cornus.

38) Licebit, positum est pro licet, quamvis.

39) Repotia, per haec designari videtur potionis repetitio, quae apud maritos postridie nuptiarum instaurari solebat.

40) Albatus. Color enim albus laetitiae convenit; quare in sacrificiis, spectaculis, et conviviis vestes coloris albi adhibebantur.

41) Cornu bilibri. Haec tam parva mensura bene demonstrat hominis sordes; foetebat praeterea oleum licet exiguum, quod diu in vase fuisset, ac de hoc guttas duntaxat paucas singulis vicibus in caules instillavit et quidem ipsemet, ne alius quivis liberalius forte, quam volebat, infunderet.

42) Utrum horum, id est, utrum ex his duobus, quos descripsi, Galloniumne, qui splendide, an Avidienum, qui sordide vivit?

43) Sensus est: neutrum imitabitur sapiens, luxuriosus enim lupo, et avarus cani est similis. Avidienum nempe, sordide avarum, supra jam, merito Canem adpellatum fuisse, dicit.

Mundus [44]) erit, qui non offendat sordibus; atque
In neutram partem cultus miser. Hic neque servis,
Albutî senis exemplo, dum munia didit,
Saevus erit, neque, sicut simplex Naevius, unctam
Convivis praebebit aquam: vitium hoc quoque magnum.
Accipe [45]) nunc, victus tenuis quae quantaque secum
Afferat. In [46]) primis valeas bene: nam variae res
Ut noceant homini, credas, memor illius escae,
Quae simplex olim tibi sederit; at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis:
Dulcia se in bilem [47]) vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita [48]). Vides [49]), ut pallidus omnis
Coena desurgat dubia? Quin [50]) corpus onustum

44) Mundus erit. Transit ad laudes victus tenuis, quo sapiens utitur. Sensus est: sapiens eatenus recte dicetur mundus, id est, frugalis, medius inter sordes et luxum, quatenus parcitate sordida non offendat, displiceat, atque in neutram partem cultus, id est, vitae rationis et victus, miser, h. e. immodicus, nimius et reprehendendus fuerit, id est: neque in mundiore cultu modum excedet, neque sordibus convivium inquinari patietur. Hic igitur sapiens neque in servos, dum sua cuique munia didit, id est, officia et ministeria dividit ac distribuit, ad Albutii exemplum, si quid peccaverint vel commaculaverint, saeviet; neque, sicut simplex, candidus et mitioris animi Naevius, indulgebit servis, si aquam impuram et sorde pollutam convivis praebuerint; haec quoque indulgentia pertinet ad vitia. Albutius et Naevius sunt nomina forte ficta. Quidam dicunt, Albutium fuisse avarum et elegantem conviviorum adparatorem, saevumque habitum in servos.

45) Accipe, id est, percipe, audi, quae, et quam magna sint bona frugalitatis.

46) In primis, id est: primum valetudinem adfert, variae enim res, h. e. diversi et multiplices cibi, quam noxii sint hominibus, persuasum tibi erit, si memineris illius cibi, qui simplex olim tibi sederit h. e. in stomachum demissus nihil ibi molestiae et taedii excitaverit. Tenuis enim et simplex victus quiete et sine molestia sedet in stomacho: ast quamprimum assis, seu tostis carnibus, elixa, seu coctas carnes, et turdis ostrea confuderis, immiscueris; quae dulcia sunt, in bilem mutabuntur, pituitaque iners et frigida bili resistens, excitato tumultu, stomachum evertet.

47) Bilis est humor siccus et calidus.

48) Pituita, humor frigidus et humidus; unde inter se pugnant et tumultum, id est, bellum intestinum stomacho adferunt. Est autem haec vox tribus syllabis pronuncianda.

49) Vides. Sensus est: an non vides, animadvertis, quomodo palleant omnes, qui discedunt a coenis sumtuosis. Coena dubia est illa, ubi ob magnam lautissimarum epularum copiam convivae dubitant, quid potissimum sumant.

50) Sensus est: quinimo, praeterea corpus vitiis hesternis, id est, gu-

Hesternis vitiis animum quoque praegravat una,
Atque affigit humo divinae particulam aurae.
Alter [51]), ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus praescripta ad munia surgit.
Hic tamen [52]) ad melius poterit transcurrere quondam
Sive diem festum rediens advexerit annus,
Seu recreare volet tenuatum [53]) corpus, ubive [54])
Accedent anni et tractari mollius aetas
Imbecilla volet. Tibi [55]) quidnam accedet ad istam,
Quam puer et validus praesumis, mollitiem, seu
Dura valetudo inciderit, seu tarda senectus?
Rancidum [56]) aprum antiqui laudabant [57]), non quia nasus
Illis nullus erat; sed, credo, hac mente [58]), quod hospes
Tardius adveniens vitiatum commodius, quam
Integrum edax dominus consumeret. Hos [59]) utinam inter
Heroas natum Tellus me prima tulisset!

---

lositate pridiana onustum atque adfectum praegravat et adficit una seu simul etiam animam; deprimit hanc divini aetheris particulam. Veterum enim quidam, hominum animos divinae mentis et animae mundi quasi particulas et semina esse, credebant; pro hac anima mundi nonnunquam etiam Aetherem, fluidum quoddam subtilissimum omnia permeans, usurparunt.

51) Alter, id est: qui parcus et frugalis est, ubi dicto citius membra curata, seu, corpus cibo tenui refectum sopori dedit, hoc est, somno curavit, recreavit, lecto se alacer ad solitos labores proripit Dicto citius. Hae voces ad curata membra, non ad vocem, sopori, referendae sunt. Sermo est enim de coena frugali, quae coenae dubiae opponitur; et post coenam frugalem, dicto citius peractam, somnus et placida quies capitur.

52) Tamen ad melius etc. id est, licebit tamen isti nonnunquam ad lautiorem victum transire; poterit interdum lautius vivere.

53) Tenuatum corpus, id est, attenuatum laboribus, et exhaustum viribus corpus.

54) Ubive, id est: et ubi, et quando senex erit.

55) Sensus est: quomodo autem ad molliorem vitam, quam jam puer et aetate validiore praecipis, seu praesumis, nova tibi in morbo aliquo vel in senectute accedere potest jucunditas? nam jucunditas illa jam praecepta est.

56) Rancidum. Commendat frugalitatem ab exemplo majorum.

57) Laudabant, ut indicium frugalitatis; quia signum erat, aprum saepius mensae adpositum fuisse, et frustatim diuque comesum.

58) Hac mente, id est: rati, frugalitati magis convenire, esse opportunius atque melius, apri carnem, quamvis vitiatam et rancidam, ab hospite tardius adveniente consumi, quam integram et recentem a Domino.

59) Sensus est: o utinam vixissem aetate illa heroica! Tellus prima, idem ac, antiqua aetas, prima saecula.

Das [60]) aliquid famae, quae carmine gratior aurem
Occupet humanam? grandes rhombi patinaeque
Grande ferunt una cum damno dedecus. Adde [61])
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum,
Et frustra mortis cupidum, cum deerit egenti
As [62]), laquei pretium. Jure [63]), inquit, Trausius istis
Jurgatur verbis; ego vectigalia magna
Divitiasque habeo tribus amplas regibus. Ergo [64])
Quod superat, non est melius, quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam te divite? quare
Templa ruunt antiqua Deûm? cur, improbe, carae
Non aliquid patriae tanto emetiris acervo?
Uni [65]) nimirum tibi recte semper erunt res!
O magnus [66]) posthac inimicis risus! Uterne [67])
Ad casus dubios fidet sibi certius? hic, qui
Pluribus assuerit mentem corpusque superbum?
An qui, contentus parvo, metuensque futuri,
In pace, ut sapiens, aptarit idonea bello?

---

60) Sensus est: quodsi aliquid publicae hominum existimationi tribuis, quae auribus jucundius sonat, quam quivis cantus, scito, magni rhombi, et amplae patinae non solum magno sunt detrimento, sed magnam insuper infamiam pariunt. Carmen positum est pro cantu. Rhombus piscis magni pretii tunc temporis. Vide Epod. 2. not. 52.

61) Sententia est: adjice his, patrui iram, vicinorum vituperationes, et te tibi ipsi irascentem, id est, inquieti animi tui morositatem, qua frustra mortem tibi optabis, quando propter inopiam, luxuria tibi contractam, non erit, unde laqueum emas, teque suspendas.

62) As erat apud Romanos parva moneta. Vide Antiq.

63) Contextus est: jure, inquit aliquis dives, qui luxuriose vivit, Trausius istis verbis objurgatur, quo ego sum longe ditior; habeo enim vectigalia magna, h. e. proventus magnos, et opes tantas, ut tribus sufficerent regibus. Trausius, aliquis lautus et luxui deditus, idemque pauper.

64) Sensus est: quid igitur? quod superfluum habes, non potes illud insumere, expendere melius, utilius? cur non tribuis de tuis divitiis tot pauperibus, qui merentur non egere, qui non deberent egestate premi? quare superfluis tuis ex opibus non impendis aliquid in Deorum templa, quae prae vetustate jam collabuntur? cur, sceleste, ex tanto cumulo divitiarum, non emetiris, praebes dilectae patriae, non confers in bonum publicum aliquid?

65) Sensus: tu certe unicus eris, scilicet, cui res perpetuo fluent feliciter! Contrarium hic est intelligendum: non semper ita felix eris.

66) Sensus: si tardius expertus fueris fortunae inconstantiam, magno omnino risui eris cunctis adversariis et inimicis tuis!

67) Sensus est: quis duorum certiorem de se habet constantiae spem

Quo [68]) magis his credas, puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latius usum,
Quam nunc accisis. Videas [69]) metato in agello [70])
Cum pecore et gnatis, fortem mercede colonum,
Non [71]) ego, narrantem, temere edi luce profesta
Quidquam, praeter olus fumosae cum pede pernae;
Ac [72]) mihi, seu longum post tempus venerat hospes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus, bene erat, non piscibus urbe petitis,
Sed pullo, atque haedo; tum pensilis [73]) uva secundas
Et nux ornabat mensas [74]) cum duplice [75]) ficu.

in casibus dubiis et adversis? an is, qui animum et corpus superbum, fastidiosum multis, id est, rerum abundantiae adsuefecit; an ille, qui in rebus secundis prudenter vitae paucis contentae assuefactus, ut sapiens ad res adversas perferendas se praeparaverit? Suaviter hic paucis contentus comparatur cum eo, qui ad hostem, qui forte contra se exsurgat, repellendum jam in pace idoneis armis se instruit.

68) Hucusque adducit poëta Ofelli praecepta, nunc ipse illi adstipulatur, ejusque axiomata confirmat. Sensus: ut vero major fides istis Ofelli dictis a te adhibeatur: ego illum ipsum, cum admodum juvenis essem, memini, intactis adhuc opibus divitem nihilo vixisse licentius, sumtuosius, quam nunc, accisis, diminutis ejus divitiis.

69) Sensus: videre tibi nunc eum licebit in agro dimenso cum gregibus et liberis suis, tamquam robustum et gnavum colonum, mercede conductum, et ita de se ipso narrantem atque commemorantem: sequuntur verba Ofelli.

70) Metato agello. Iste Ofellus proscriptus est, quia erat in parte Cassii, et possessio ejus tradita est militibus Augusti, quam Ofellus postea ab iis conduxit. Hinc, metato in agello; agri enim pertica metati, sive ad mensuram decempedarum veteranis tradebantur. Nunc opus faciebat miser Ofellus, ab eo, cui cedere debuerat agrum suum, mercede conductus.

71) Sensus: ego temere, id est, sine certa et gravi causa, nunquam diebus profestis, seu talibus, qui festi non essent, solitus fui aliud, quam olus et herbas, et pedem pernae fumatae edere, aut in cibum adhibere. Dies profesti, oppositi diebus festis, ac proinde tales, qui labori erant consecrati.

72) Sensus est: sed si quando, post longi temporis absentiam mihi hospes advenerat; aut vicinus amicus me otiosum, cui ob imbrem rusticis laboribus operam dare non licebat, conveniebat, apud me coenaturus, haud sane male nobis erat, id est, genio indulgebamus, non quidem ad piscium ex urbe petitorum, sed ad haedi atque pulli ferculum; tum interea pensili uva, id est, uva passa et siccata, nucibus, atque ficubus secunda mensa instruebatur.

73) Pensilis uva, pro, uvis passis et siccatis; uvae enim, quas diutius integras servare volumus, nunc quoque filis suspendi solent in aedibus.

74) De secunda mensa, in qua bellaria et fructus adponebantur vide L. IV. od. 4. not. 30. et Ant.

Post [76]) hoc ludus erat culpa potare magistra;
Ac [77]) venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractae seria frontis.
Saeviat [78]) atque novos moveat Fortuna tumultus:
Quantum hinc imminuet? quanto [79]) aut ego parcius, aut vos,
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?
Nam [80]) propriae telluris herum natura neque illum,
Nec me, nec quemquam statuit; nos expulit ille;
Illum aut nequities [81]), aut vafri [82]) inscitia juris,
Postremo expellet certe vivatior [83]) haeres.
Nunc [84]) ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli

75) Duplice ficu, intellige ficus bifidas; ficus enim in duas partes divisae siccabantur, et tunc aridae in mensa secunda adponebantur.

76) Sensus est: post illas epulas agrestes jucundum erat nobis colludere, non alius nobis ludus magis adridebat, quam potare, hac autem lege, ut ludentium culpa, tamquam vini regina et magistra, poculorum praescriberet numerum, hoc est: ut, qui quid inter ludendum peccaret, is vini cyathum haurire cogeretur. Solebant nimirum Romani, cum potarent, aliquem bibendi arbitrum et magistrum seu regem convivii, ut vocabant, constituere, qui praescriberet, quot quisque cyathos, quo tempore et pacto biberet. De rege convivii vide L. I. od. 4. not. 26. et Antiq.

77) Sensus est: tandem Cerere exorata, ut ita, scilicet libatione venerata, altis consurgeret culmis, h. e. segetem alte excrescere juberet, pleni spe bona messis uberioris, quam nobis venerata Ceres facere videbatur, largius nos invitabamus; et curas ac negotia seria, quae frontem contrahunt, discutiebamus, explicuimus vino, h. e. animos exhilarabamus.

78) Sensus: saeva sit, quantum volet, fortuna, et novas excitet procellas; quid hinc, ex angustis opibus nempe, quid mihi poterit auferre, qui parvo contentus sum?

79) Sensus et ordo: ut, seu ex quo in agrum istum novus successit incola, seu dominus Umbrenus; quanto parcius, id est, an ideo malignius, vos, o servi et liberi mei, nutriti fuistis? neutiquam certe. Novum possessorem fuisse Umbrenum militem Augusti, cui in distributione agrorum a. u. 720 ager Ofelli obvenerat, patet ex uno subsequentium versuum. Nituistis, suaviter positum est pro: nutriti estis; nam bene nutriti, praecipue rustici, nitent vultu et corpore.

80) Propriam tellurem vocat, cujus sit dominus quispiam, ut propria illi maneat et perpetua quasi possessio.

81) Nequities, id est, vita nefaria et flagitiosa, qua quis bona sua perdit.

82) Vafri juris, id est, callidi et ambigui juris ignoratio; refer autem ad vafritiem hominis, qui jus callida interpretatione in rem suam detorquet. Hinc etiam jurisconsultus Alfenus dicitur vafer. Vide L. I. Sat. 3. not. 87.

83) Vivacior, id est, diutius altero vivens.

84) Sensus est: ager itaque, qui non ita pridem ager Ofelli dicebatur, nunc vero Umbreni nominatur, nullius est proprius; sed mox ego, mox alter illo utimur. Quapropter estote forti animo, et generoso pectore fortunam adversantem excipite.

Dictus erat, nulli proprius, sed cedit in usum
Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes,
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

S a t y r a III.

Argumentum et occasio.

Hanc satyram Horatius, ut e carmine ipso clarum fit, scripsit in Sabino suo, in quod scribendi causa secesserat, a. u. 721, quo Agrippa Aedilis fuerat. Vide not. 122. Cum autem in praedio commorans longius tempus otio consumeret, tandem ad praesens carmen elucubrandum adjiciens animum, ab initio statim hanc suam in scribendis versibus negligentiam excusat, et dein ad praecipua aetatis vitia suae, quae Stoici adpellant insanias, transit carpenda tanto liberius, quod ea sub aliena persona et alieno quasi ore vituperet. En texturam carminis artificiosissimam. Loquentem in eo secum inducit Damasippum quemdam, qui ex mercatore, bonorum naufragio facto, factus est philosophus circumforaneus, putans, sapientiam sibi accrevisse cum barba: hic nimirum ad Horatium venit in villam, et praecepta, quae ex ore Stertinii imbiberat, exponens, cum eo de sententia Stoicorum: omnes homines, praeter sapientes, h. e. Stoicos ipsos, insanire, disputat. Incipit Damasippus Horatio exprobrare desidiam, qua tempus in villa, quin aliquid commemoratione dignum scribat, transigit; et huic, sapientiam mercatoris admiranti, primo propriarum insaniarum historiam et tum ordine exponit, qua ratione edoctus sit a Stertinio quodam philosopho et quidem: se nihilo magis insanire, quam omnes alios, excepto sapiente; hoc probat exemplis, Stertinium ipsum loquentem inducens. Carpit itaque primo timidos nimium ignavosque et temerarie audaces; post haec transit ad avarorum insaniam, quae comparatione iterata cum prodigorum dementia tanto magis elucescit; dehinc vanae gloriae cupidos insanire. Agamemnonis exemplo docet, et iterum redit ad prodigos, quorum vesaniam luxuriosam in Nomentano vivide depingit; amantes dein puerorum more desipere, superstitiososque haud sanioris mentis esse demonstrat Damasippus, quem, ex ore Stertinii omnia haec proferentem et narrantem, Horatius tandem interpellat, de se ipso sciscitans; respondens vero Damasippus: ipsum quoque insanire,

utpote qui magnificentiam Maecenatis in aedificando et amplificando Sabino imitari velit, a poëta, quasi propriorum vitiorum exaggerationem aegre ferret, silere jubetur.

Sic[1]) raro scribis, ut toto non quater anno
Membranam[2]) poscas, scriptorum quaeque retexens,
Iratus tibi, quod vini somnique benignus[3])
Nil dignum sermone canas. Quid[4]) fiet? At ipsis
Saturnalibus[5]) huc fugisti! Sobrius[6]) ergo
Dic aliquid dignum promissis: incipe[7]): nil est!
Culpantur frustra calami, immeritusque laborat[8])
Iratis natus paries dîs atque poëtis.
Atqui[9]) vultus erat multa et praeclara minantis,

---

1) Sensus: sic in scribendo, in componendis versibus, negligens es, inquit Horatio Damasippus, ut non quater in anno membranam petas, nonnisi ea perpetuo, quae jam scripsisti, retexens, emendans, et quae displicuerint, expungens, teque ipsum aegre ferens, quod vino et somno largius indulgeas, nihilque scribas dignum, quod in publicam lucem ederetur.

2) Charta seu papyrus fiebat proprie ex intimo et tenuissimo cortice papyri, fruticis Aegyptiaci; membrana vero e pelle detracta membris animantium. In ea porro membrana describebant Romani, quod servatum vellent, aut editum in vulgus: at si quid parum accurate scriptitarent, utebantur palimpsestis, id est, tabulis ligneis, cera obductis, in quibus deleri, quod scriptum erat, facile posset complanata cera. Membranam poscere, idem est ergo, ac, aliquid scribere, quod in lucem prodeat.

3) Id est, vino ac somno benignius, largius indulgens.

4) Id est: quorsum igitur evadet ista tua socordia? quid igitur facies? scribesne tandem, nec ne?

5) Saturnalia festa in honorem Saturni celebrabantur mense Decembri, in iis aequato omnium jure genium curabant. Vide Mythol. Sensus est: at videris certe ad scribendum adpulisse animum, quia ipsis Saturnalibus ex strepitu urbis, ubi nunc omnes laetitiae genioque suo indulgent, huc, in otiosam tuam villam Sabinam te recepisti.

6) Sensus: ergo in villa tua, ubi ab urbana luxuria remotus nunc sobrie vivis, cane, profer carmen, quod respondeat excitatae exspectationi.

7) Id est: fac tandem aliquando initium; et mox, quasi aliquamdiu, sed frustra exspectasset, addit: nil est! nihil in medium profers.

8) Paries laborat, id est, male se habet, male tractatur, scilicet a poëta, qui, se nihil versuum proferre posse, indignans in parietem innocentem, immeritum iram effundit, eumque vel capite, vel pedibus, vel manibus petit pulsatque; hinc jocose paries etiam iratis poëtis natus esse dicitur. Antiqui porro, quod sibi adversum execrari volebant, iratis Diis factum esse dicebant. Sensus est ergo: frustra calamos adcusas, et ex ira parietem feris.

9) Atqui promittebas tamen mira quaedam te scripturum esse. Minari enim interdum est, promittere.

Si vacuum [10]) tepido cepisset villula tecto.
Quorsum pertinuit stipare Platona [11]) Menandro?
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
Invidiam [12]) placare paras virtute relicta?
Contemnere, miser: vitanda [13]) est improba Siren,
Desidia: aut quicquid vita meliore parâsti,
Ponendum aequo animo. Dî [14]) te, Damasippe, Deaeque
Verum ob consilium donent [15]) tonsore: sed unde
Tam bene me nôsti. Postquam [16]) omnis res mea Janum [17])

10) Vacuum, id est: si te vacuum laboribus, otiosum, exceperit villa tecto sub tepido, hoc est, grato, jucundo, quia ibi in modico conclavi melius corpus fovere, et a frigore tueri poterat.

11) Plato fuit Atheniensis philosophus, ob sapientiam et eloquentiam divinus adpellatus. Menander, poëta comicus Graecus, vixit a. u. 461. Hujus plerasque fabulas Terentius vertit in Latinum sermonem. De Eupoli poëta vide L. I. sat. 4. not. 1. Archilochus Parius, carminis Jambici princeps erat; hunc imitatus est Horatius. Sensus est: quid opus fuit stipare, congerere Platonem, Menandrum, Eupolin et Archilochum; hos comites tanto numero tecum rus educere? Auctorum autem nomina posita hic sunt pro libris eorum.

12) Sensus est: tune, intermisso satyras scribendi studio, invidiam, quam eo tibi conflasti, placare studes? ast erras, contemnent illi te, qui prius invidebant tibi, ob pigritiam, quam praeprimis vitare debes. Satyras scribendi studium autem vocatur virtus, quia illud in carpendis hominum vitiis, et proinde in virtute commendanda versatur.

13) Id est: desidia, pigritia fugienda est, tanquam Siren nequissima; aut famam, quam bonis artibus et studiis collegisti, ultro perdes, h. e. bonae famae aequo animo renunciare debebis. Per vitam meliorem intelliguntur bonae artes et studia. Sirenes, monstra marina, virgines alatae in mari Tyrheno, praetereuntes nautas in scopulos pertrahebant cantus suavitate, et deinde occidebant.

14) Hic respondet Horatius.

15) Donent te tonsore Dii, pro vulgari: gratias tibi ago maximas pro consilio tuo. Optat vero Horatius, ut Damasippo Stoico philosopho (Stoici enim omnes barbati erant) tonsor contingat, qui squalidam barbam demetat; quia praeter barbam nihil philosophi habebat.

16) Postquam etc. Hic loquitur Damasippus. Sensus est: ex quo fortunarum omnium jacturam feci, cum negotia propria jam habeam nulla, curo aliena.

17) Erat in Foro Romano vicus Jani, a Jani bifrontis templo vel statua sic dictus. Prima hujus vici pars primus seu summus Janus, media medius Janus, infima infimus vel imus Janus dicebatur; media pars fuisse videtur frequentissima, et in ea feneratores ad mensas vel tabernas argentarias sedebant. Ibi igitur Damasippus in vasis antiquis, ut ipse paulo post narrat, et aliis rebus insano pretio coëmendis nimius bonorum naufragiam passus est, seu, fracta est omnis res ipsius.

Ad medium fracta est, aliena negotia curo,
Excussus [18]) propriis: olim [19]) nam quaerere amabam,
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus [20]) aere,
Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset:
Callidus huic signo ponebam millia centum:
Hortos egregiasque domos mercarier [21]) unus
Cum lucro nôram, unde [22]) frequentia Mercuriale
Imposuere mihi cognomen compita. Novi [23]),
Et morbi miror purgatum te illius. Atqui [24])
Emovit [25]) veterem mire novus, ut [26]) solet, in cor
Trajecto lateris miseri, capitisque dolore;
Ut lethargicus [27]) hic, cum fit pugil, et medicum urget.

18) Excussus propriis, id est: perditis propriis bonis; his enim pessumdatis nihil, quod ad ipsum spectabat, curandum habebat Damasippus.

19) Sensus: olim, cum floreret adhuc res mea familiaris, veteres statuas, et antiqua vasa studiose conquirebam. Pro hoc dicit poëta: conquirebam aereum vas, in quo astutus Sisyphus pedes lavare solebat; porro conquirendo etiam inquirebam, dijudicabam, quid infabre, id est, non ad artis fabrilis scientiam sculptum, excusum; quidve durius, non satis molle, minus purgatum esset ab asperitate; et ut callidus, subtilis judex, ut homo veteris artis, et veterum monumentorum recte aestimandorum bene peritus nonnunquam huic et illi statuae ponebam, constituebam pretium centum millium sestertiorum, seu nummorum. Sestertius fuit parva moneta, et mille ejusmodi sestertii efficiebant unum sestertium. Hic centum sestertia sunt intelligenda. Vide Antiquit.

20) Sisyphus, Aeoli filius, Corinthi rex astutus et vafer omnino fuit.

21) Mercarier, est Archaismus, pro vulgari, mercari, emere.

22) Sensus est: unde factum est, ut mercatores, qui in compitis frequentes convenire solebant, me alterum Mercurium, mercaturae praesidem vocarent. Compita dicuntur viae latae, ad quas ex multis regionibus convenitur.

23) Sensus: scio, respondet Horatius, et miror sane, eo te morbo fuisse liberatum. Morbi purgatum, Graeca constructio; ἀποκαθαίρειν enim cum genitivo construitur.

24) Atqui etc. Loquitur Damasippus. Sensus est: veteri morbo expulso novus successit, id est: novum studium nempe Stoicae philosophiae; novum igitur insaniae genus; nam Stoici quoque insaniunt.

25) Emovit mire, id est, mirabili modo expulit.

26) Sensus: ut solet fieri, cum dolor capitis aut lateris aegri in cor transmittitur; et ut, cum quis, lethargo oppressus, in pugilem mutatur, et pugnis medicum contundit; id est: sicut nonnunquam morbus ex una parte corporis in aliam transit; et sicut ex lethargico subinde phreneticus fit, qui pugilis instar in obstantes, et impetum in medicum facere minatur. Vult igitur Damasippus hujusmodi aegroti comparatione ostendere, novum, quo nunc agitetur, studium philosophiae Stoicae longe illo vetere esse ferventius.

27) Lethargus est morbus, qui veternum et somnum pene inexpugnabi-

Dum [28]) ne quid simile huic, esto, ut libet. O bone [29]), ne te
Frustrere; insanis et tu, stultique prope omnes [30]),
Si quid Stertinius [31]) veri crepat; unde [32]) ego mira
Descripsi docilis praecepta haec, tempore, quo me
Solatus jussit sapientem pascere barbam,
Atque a Fabricio [33]) non tristem ponte reverti.
Nam male [34]) re gesta, cum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter stetit, et: Cave [35]) faxis
Te quidquam indignum: pudor [36]), inquit, te malus angit,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.
Primum [37]) nam inquiram, quid sit furere; hoc si erit in te
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem [38]) mala stultitia, et quaecunque inscitia veri

lem adferre solet, oritur ex pituita frigidiore in cerebro; phrenesis vero ex calidiore bile.

28) Dum etc. Respondet Horatius: Sis, per me licet, quicunque esse cupis, labora, quo libuerit, morbo; modo ne quid facias simile huic phrenetico pugili, h. e. modo ne te furor in me agat.

29) O amice, inquit Damasippus, ne te frustrere, ne, quaeso, te ipsum decipias; insania enim laboras et tu, et omnes prope, si vera loquitur Stertinius, a quo ego mirabilia haec praecepta avidus didici tunc, dum me, solamine recreatum, jussit hanc barbam alere, more sapientum seu philosophorum, et a ponte Fabricio laetum reduxit.

30) Ajebant Stoici, omnes homines insanire, id est, aliqua vitiosa cupiditate impl catos esse.

31) Stertinius philosophus ducentos et viginti libros Stoicorum latine scripsit. Crepat, significanter, de hominibus verbosis et loquacibus.

32) Unde, id est, a quo. Sapientem barbam pascere, id est, suasit mihi, philosophus ut essem.

33) Fabricius pons, a Fabricio consule structus est e lapide, et insulam Tiberinam jungit ex ea parte, quae meridiem et montem Tarpejum respicit; ab altera vero parte, quae Janiculum spectat et Campum Martium, est pons Caestius. Ex illo autem voluerat Damasippus se praecipitare in Tiberim, prae dolore perditae rei familiaris.

34) Male re gesta, id est: amissis fortunis, perdita re familiari. Mittere: id est, praecipitare. Operto capite; nam qui se morti offerebant ex more antiquo caput velare et obvolvere solebant. Dexter stetit, id est, tamquam Deus aliquis, qui mihi faveret, adfuit.

35) Secunda syllaba in, Cave, non longa, sed brevis est per licentiam poëticam.

36) Id est: malus, stultus, imprudens pudor te divexat, cum verearis, timeas, durum putes, si parum sanus in media insanientium turba videaris.

37) Sensus est: quaeram etenim ante omnia, quid sit furere, insanire? hoc, id est, insania isthaec, si in te solo reperietur, non te pluribus verbis impediam, quo minus generosam oppetas mortem.

38) Haec, quae sequuntur, usque ad versum: Quo ne mala etc. Stertinius cum Damasippo loquutus olim fingitur. Sensus: quem mala, perniciosa stultitia, rationis expers vecordia, aut veri aliqua ignorantia errare facit; hunc Chrysippi familia philosophica tota insanum adpellat. Chrysippus, Stoicus fuit philosophus. Vide L. I. sat. 3. not. 85. Per porticum et gregem ejus intelliguntur omnes reliqui Stoici, qui sic adpellati sunt a Graeco vocabulo στοά quod porticum denotat, in quo Zeno, ejusque disciplinae addicti docebant. Autumat, idem ac, habet, declarat.

Caecum agit; insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat. Haec populos, haec magnos formula [39]) reges,
Excepto sapiente, tenet. Nunc accipe [40]), quare
Desipiant omnes aeque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut [41]) silvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit;
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit; unus utrique
Error, sed variis illudit partibus: hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam [42]) trahat. Est [43]) genus unum
Stultitiae nihilum metuenda timentis; ut ignes,
Ut rupes, fluviosque in campo obstare queratur:
Alterum [44]), et huic varium, et nihilo sapientius, ignes
Per medios, fluviosque ruentis; clamet amica,

39) Haec formula, id est: haec insani hominis definitio. Sententia est: Hujusmodi autem descriptio insaniae integros populos cum suis regibus tenet, complectitur; solumque sapientem excipit.

40) Accipe, id est, audi, percipe.

41) Sensus et ordo: quemadmodum fieri solet in silvis, ubi non raro palantes, id est, vagantes, circumerrantes a recta via deflectunt, hic sinistrorsum, ille dextrorsum; uterque errat, sed diverso modo: ita te quoque crede insanum; cum is, qui te deridet, nihilo te sapientior sit, et proinde, pariter, ac tu, ut insanus ab aliis derideatur.

42) Caudam trahat, hoc est, habeat ipse aliquid sibi incognitum, propter quod rideatur ab aliis. Modus iste loquendi ex eo ducitur, quod antiqui aeque ac nunc solent pueri; cum, ut aliquem ludibrio exponant, furtim illi a tergo, aut plumas, aut aliud quiddam simile adpendunt, quod, ille dum ignarus velut caudam circumfert, risum omnibus excitat.

43) Ordo est: unum insaniae genus eorum est, qui nullo modo timenda timent; quemadmodum, qui in aperto campo incendia, rupes, fluvios sibi objici dolet, queritur.

44) Sensus: alterum diversum quidem, sed non levius stultitiae genus est, se sic in medias flammas et fluminum rapidos fluctus conjicientium; ut admonentibus licet magno clamore, amica, matre, honesta sorore, patre, uxore atque cognatis: esse hic fossam ingentem, hic altissimam rupem, ut se servent, ut sibi caveant; nihilo magis audiant, quam olim Fufius vino obrutus, Ilionam repraesentando reipsa obdormiens, audierit Catienum ducentis mille vicibus iterantem magno clamore: Mater, te appello.

Mater, honesta soror cum cognatis, pater, uxor:
Hic fossa est ingens! hic rupes maxima! serva!
Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim,
Cum Ilionam[45]) edormit, Catienis mille ducentis,
„Mater te appello," clamantibus. Huic[46]) ego vulgus
Errori similem cunctum insanire docebo.
Insanit[47]) veteres statuas Damassippus emendo.
Integer est mentis Damasippi creditor? Esto[48]):

45) Iliona fuit maxima natarum Priami, quae Polymnestori regi Thracum nupta erat; huic Priamus minimum natu filium, Polydorum, initio belli Trojani, dubiam Martis aleam veritus, clam educandum tradidit. Genuit Iliona etiam filium Deiphilum ex Polymnestore, et ambos ut proprios educavit filios. Sed cum Achivi Troja capta prolem Priami exstirpare vellent, legatos miserunt ad Polymnestorem, praemio magno proposito petentes, ut Polydorum occidat; Polymnestor vero Deiphilum filium suum occcidit, arbitrans, se Polydorum interfecisse. In Euripidis autem tragoedia, qui eandem materiam tractavit, occisus supponitur Polydorus; quapropter et quidam in explicando hoc loco pro Deiphilo Polydorum sumendum esse putant. Vide Heindorf. ad h. l., Pacuvius ergo, cum tragoediam. Ilionam, scriberet, in qua Catienus quidam Deiphili personam agebat; Fufius vero alter actor, Ilionam repraesentabat, finxerat Fufium sive Ilionam dormientem in scena; hic autem revera obdormivit, ob vinum liberalius haustum, ut non audiret Catienum, hoc est, Deiphilum voce maxima clamantem:

Mater te appello, tu quae curam somno suspenso levas,
Neque te mei miseret: surge et sepeli natum.

Versus hi servati leguntur apud Ciceronem Quaest. Tusc. I. 44. Imago igitur hominis, per praecipitia ruentis nec ullam dehortantium vocem auscultantis, Stertinio in memoriam revocat facetam hanc historiam de Fufio histrione. Catienis mille ducentis, id est: Catieno histrione, qui qua umbra Deiphili prodibat, tanta vocis intentione clamante, ut mille ducenti Catieni clamare viderentur.

46) Ordo est: ego docebo, cunctum vulgus, id est, omnes homines errorem insanire similem huic, de quo dixi, errori. Sensus: ostendam ego, omnes homines simili modo insanire, eosque aut stulte timido, aut nimium audaci similes esse. Insanire errorem, idem ac: errorem errare, quemadmodum etiam dicimus: insanire insaniam, gaudium gaudere etc.

47) Sententiam Stoicorum: omnes homines insanire, veram esse, probat exemplis. Sensus est: homines ajunt Damasippum insanire, cum emit antiquas statuas. An vero is integra, sana, mente est, qui pecuniam illi ad emenda ea, quibus delectatur, credit?

48) Esto, sit ita, finge, hoc a me tibi dici: accipe, quod nunquam mihi restituas; certe non eris tu insanus, illud si accipias; esses autem profecto excors, vesanus, si id recusares, et praedam, id est, lucrum rejiceres, quod tibi propitius offert Mercurius. Supple: Ego potius insanirem, qui hac conditione, ut nunquam nempe mihi reddas, darem tibi. Mercurius Deus lucri. Vide Myth.

Accipe, quod nunquam reddas mihi, si tibi dicam,
Tune insanus eris, si acceperis? an magis excors
Rejecta praeda, quam praesens Mercurius fert?
Scribe[49]) decem a Nerio: non est satis; adde Cicutae
Nodosi tabulas centum; mille adde catenas:
Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.
Cum rapies in jus malis ridentem[50]) alienis,
Fiet aper, modo avis, modo saxum, et cum volet, arbor.
Si male[51]) rem gerere, insani est; contra bene, sani;
Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perillî,
Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.
Audire[52], atque togam jubeo componere, quisquis

49) Sensus est: idem faciunt etiam creditores; dant debitoribus, quod, licet summa circumspectione per scriptas tabulas sibi caveant, nunquam ab iis reddatur; unde sunt etiam multo illis insaniores. Hoc autem poëtice sic tractatur: Alloquitur Damasippus sordidum quemdam feneratorem, quem hortatur, ut in pecunia elocanda summa cura, ne decipiatur, sibi prospiciat. Scribe debitori decem tabulas, syngraphas, vel a Nerio, calidissimo feneratore conceptas, et contra omnem fraudem munitas; non est satis; adde centum tabulas Cicutae nodosi, id est, adde, ut tibi res sit tutior, tabulas Cicutae, alterius feneratoris peritissimi, qui mille modis et nodis solet debitores constringere, ne elabantur; adde mille catenas, id est, adde vincula omnium legum, mille cautionum genera, quibus tanquam catena creditori obstringitur debitor; instar Protei cujusdam tibi effugiet, fallendi causa omnes formas induet, debitum non reddet. Proteus enim fuit Deus marinus, pastor phocarum et vates; sed in diversissimas formas, sicut apri, avis, saxi arboris etc. se mutans, nulla, nisi coactus, dedit responsa. Vide Myth.

50) Malis alienis ridere, id est, ridere maxillis a risu alienis, gaudia tristi vultu ostendere et invito; debitores enim, cum in jus vocantur, speciem quidem hilaritatis prae se ferre conantur, ut hac specie creditores et judices fallant, sed vultum tamen a hilaritate alienum penitus celare non possunt. Quidam interpretantur: Alieno, id est, creditoris malo gaudere; ast distinguendum est, mala, id est, maxilla, a, malum, h. e. damnum.

51) Sensus: si proprium insanientis est, rem suam male procurare; et e contrario sani, eandem bene administrare; certe multo insanior est Perillius, creditor tuus, qui jubet te scribere, qui dictat tibi, ut scribas in syngrapha, mutuo sumtam esse a te pecuniae summam, quam tu nunquam possis rescribere, id est, expungere, solvere, rescribendo in iisdem tabulis, debitum a te fuisse persolutum. Putidum cerebrum, pingue, pigrum, pro homine tardae mentis. Perillius fenerator fuit avarissimus, qui pro nummis in fenore positis, usuras omnem modum superantes exigebat. Vide Lib. I. sat. 2. not. 19.

52) Hucusque narrata Stertinii praecepta pertinent ad ipsius, qui ea narrat, Damasippi insaniam; nunc transit ad ea Stertinii praecepta, quae ad omnes homines spectant; itaque omnes attente se audire, et toga modesta collecta, sibi dicenti adsidere jubet; nam qui toga, defluente, soluta,

Ambitione mala aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria tristive superstitione,
Aut alio mentis morbo calet; huc proprius me,
Dum doceo, insanire omnes vos, ordine adite.
Danda est hellebori [53]) multo pars maxima avaris:
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
Haeredes Staberî [54]) summam incidere sepulcro:
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arrî,
Frumenti quantum metit Africa. Sive ego prave,
Seu recte hoc volui; ne sis patruus [55]) mihi. Credo [56])
Hoc Staberî prudentem animum vidisse. Quid [57]) ergo
Sensit, cum summam patrimonî insculpere saxo
Haeredes voluit? Quoad [58]) vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium, et cavit nihil acrius; ut, si
Forte minus locuples uno quadrante [59]) perîsset,

male composita adsidet, videtur negligenter audire. Mala, id est, improba. Pallet, pro: agitatur, avari enim, qui habendi cupiditate curisque de iis, quae possident, cruciantur, pallere solent. Calet, aestuat, pro: laborat.

53) Helleborum, Nieswurz, herba, qua insania purgatur; nascebatur in insula Graeciae Anticyra optimum. Sensus est: nescio, an ratio, id est, gravioris morbi, quo avari laborant, scientia et cognitio omnem Anticyram, id est, quidquid ellebori in tota insula nascitur, dandum destinet avaris; an illorum stultitiae curandae sufficiat. Probat hoc exemplo Staberii.

54) Staberius, quidam avarus insignis, idemque ditissimus, jussit ab suis haeredibus notari et scribi in marmore, quo ejus tumulus tegebatur, quam eorum quisque summam in haereditate cernenda cepisset: quo testatum esset posteris, quam dives obiisset. Quodsi autem hoc non essent facturi, damnavit, jussit eos populo dare centum paria gladiatorum, id est, ludos in quibus centum paria gladiatorum inter se decertarent; praeterea epulum arbitrio, id est, ad exemplum Arrii cujusdam hominis luxuriosi; et frumentum, quantum in Africa colligeretur. Hoc ego sive male, sive bene volui, imperavi, ne sis hujus voluntatis meae patruorum more severus censor. Haec omnia loquitur Steberius; interposito enim hujus sermone narratiuncula suavior fit.

55) Patruorum in immorigeros nepotes ira et objurgatio, si cum paterna comparetur, aspera esse consuevit, quod immodico patrum amore obcaecari non soleant, aut in peccatis juvenum perinde connivere; hinc fit, ut saepe patruus ponatur pro acerbo, severo censore. Vide L. II. sat. 2. not. 61.

56) Stertinius hic interpretatur Staberium: Arbitror praevidisse Staberium, scilicet fore, ut haeredes summam patrimonii saxo insculpere recusent, prave id jussum esse judicantes.

57) Damasippus Stertinium interpellans interrogat: Quid ergo menti praepositum habuit, quando patrimonii summam incidi jussit tumulo ab haeredibus suis? saxo, pro: monumento sepulcrali

58) Respondet Stertinius

59) Quadrans est quarta pars assis.

Ipse videretur sibi nequior: omnis enim res,
Virtus, fama, decus [60]), divina humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui construxerit [61]), ille
Clarus erit, fortis, justus. Sapiens ne [62])? Etiam! et rex,
Et quidquid volet. Hoc [63]), veluti virtute paratum,
Speravit magnae laudi fore. Quid [64] simile isti
Graecus Aristippus [65]), qui servos projicere aurum
In media jussit Libya, quia tardius irent
Propter onus segnes? Uter est insanior horum?
Nil [66]) agit exemplum, litem quod lite resolvit.
Si [67]) quis emat citharas, emtas comportet in unum,
Nec studio citharae, nec musae deditus ulli;
Si scalpra et formas non sutor; nautica vela
Aversus mercaturis: delirus et amens
Undique dicatur merito. Qui [68]) discrepat istis,

60) Decus, idem ac, externus splendor.

61) Construxerit, coacervaverit, adcumulaverit.

62) An etiam sapiens reputabitur? interrogat Damasippus; ad quod statim respondet Stertinius: Etiam! etc.

63) Hoc, divitias habere, id est, has opes et divitias, quasi essent virtute comparatae, putavit magno sibi fore honori.

64) Sensus: quid fecit Aristippus, quod simile sit isti Staberio, vel Staberii hujus facto? pro vulgari: quam dissimilis est Aristippus Staberio! vel: contrarium plane Staberio fecit Aristippus, opum contemtu parum moderato insignis.

65) Aristippus, Socratis discipulus, Cyrene in Libya natus, unde ejus philosophia Cyrenaïca dicta est. Graecus ab Horatio asseritur propterea, quod, qui Cyrenem fundarunt, Graeci fuerint. Origine igitur Graecus fuit; patria vero Afer.

66) Sensus est: ast nihil, ait Damasippus, agit, dirimit exemplum, quod litem, id est, rem in litem vocatam, lite, id est, alia re pariter in litem vocata resolvit, vel: nihil prodest exemplum, quod rem difficilem alia aeque difficili exponit, vel: ad rem aliquam reprehendendam nihil valet alius re pariter reprehendendae exemplum, hoc est: Staberii nimius divitiarum amor non carpi debet Aristippi nimium pecuniam contemnentis exemplo.

67) Continuat iterum Stertinius. Contextus et sensus: aliis ergo argumentis rem clarius exponentibus utar: si quis v. g. pretio comparet sibi citharas, et comparatas in locum aliquem deferat, seponat, nec studium citharae nec alius artis musicae curans, id est, homo ab artis musicae studio plane alienus; si emat scalpra et formas, qui non est sutor; et demum navium vela, qui mercaturam odit: delirare certo ab omnibus et insanire jure merito judicabitur. Scalpra sunt gladioli sutorii, quibus corium scinditur. Formae ligneae sunt, quas sutores in calceos conficiendos induunt et immittunt. Undique, pro, ab omnibus.

68) Qui discrepat, id est, quid autem differt ab istis ille, qui etc.

Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
Compositis [69]), metuensque velut contingere sacrum?
Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus [70]) vigilet cum longo fuste; neque illinc
Audeat esuriens [71]) dominus contingere granum,
Ac potius foliis [72]) parcus vescatur amaris;
Si, positis intus [73]) Chii veterisque Falerni
Mille cadis, nihil [75]) est, ter centum millibus, acre
Potet acetum [76]); age [77]), si et stramentis incubet, unde
Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum et tinearum epulae, putrescat in arca;
Nimirum [78]) insanus paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.
Filius [79]), aut etiam haec libertus ut ebibat haeres,
Dîs inimice senex, custodis? ne tibi desit?
Quantulum enim summae curtabit quisque dierum,
Ungere si caules oleo meliore, caputque

69) Compositis, comparatis, partis, collectis.

70) Porrectus, id est, prostratus, jacens, adcumbens.

71) Esuriens dominus, id est, quamvis sit acervi dominus, et fame prematur.

72) Foliis, id est, herbis amaris, insipidis.

73) Intus, h. e. in cella vinaria positis, adservatis.

74) Chios insula in Aegaeo mari, una Cycladum, in qua nascitur optimum vinum. De vino autem Falerno in Campania nobili jam saepius dictum est.

75) Nihil est, est correctio, pro: quid dico, mille, immo tercentum millibus.

76) Acetum, id est, vappam, vinum corruptum.

77) Age, id est, adde, audi porro; si in stramentis, seu palea cubet, dormiat senex undeoctoginta, id est, 79 annos natus, qui vestem stragulam plurimam habet, quae autem in arca putrescit, ut inde epulentur interim blattae ac tineae. Stragula vestis est, quae lecto insternitur. Blattae ac tineae vermiculi sunt vestem arrodentes.

78) Sensus est: pauci scilicet insanum illum existimabunt, quia maxima pars hominum eodem morbo jactatur, laborat.

79) Ordo est: o senex, Diis inimice, invise, an custodis haec, ut a prodigo tuo filio haerede, aut liberto consumantur? eaque id mente facis, quasi metuas, ne quid tibi desit, ne aliquando egeas? bono sis animo! nihil tibi deerit; quantulum enim de summa tot nummorum, de tot rerum copia imminuet unusquisque dies, si coeperis ungere meliore oleo caules et caput, quod foedum est impexis porrigine crinibus, seu, quod foedum est crinibus, qui propter porriginem pecti nequeunt. Curabant enim antiqui caput oleo odorato sive unguentis. Porrigo autem morbus quidam capitis est, cum inter pilos enascuntur squamulae quaedam, quod impexis fere accidit; furfures adpellant istas squamulas.

Coeperis impexa foedum porrigine? Quare [80]),
Si quidvis satis est, perjuras, surripis, aufers
Undique? tun' sanus [81])? Populum si caedere [82]) saxis
Incipias servosve, tuo quos aere parâris,
Insanum te omnes pueri clamentque puellae:
Cum [83]) laqueo uxorem interimis, matremque veneno,
Incolumi capite es? Quid [84]) enim? Neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro, ut demens genitricem occidit Orestes.
An [85]) tu reris eum occisa insanisse parente,
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
In matris jugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin [86]) ex quo habitus male tutae mentis Orestes,

80) Sensus: quare, si quidvis, id est, exiguum quidpiam sufficit ad victum, pejeras, rapis, et tollis undique; en avari descriptionem gravissime tribus verbis expressam!

81) Tune sanus, mentis compos es?

82) Caedere, id est, petere, adoriri lapidibus. Parâris pro, paraveris, id est, quos pecunia tua emeris.

83) Cum autem suffocas laqueo uxorem, ut ejus dotem possideas, et matrem veneno interficis, ut haereditate fruaris, anne incolumi capite, sana es mente? Alludit ad caedes ejusmodi, quae tunc temporis ex cupiditate habendi patratae frequentes Romae fuisse videntur.

84) Quid enim? Cur enim non sis incolumi capite, vel sana mente? Stertinius scilicet simulat, se causam matricidae agere velle, et sic cum irrisione per, quid enim? concedit, quod pro maximo scelere habet. Tu namque hanc caedem non patras Argis, nec etiam ferro, sicut demens Orestes matrem suam occidit. Ac si diceret (ironice scilicet) tu, qui ad occidendam matrem uteris veneno, non committis insanum scelus; hoc enim Argis tantum non Romae tale reputatur; idem etiam ironice confirmat Orestis exemplo.

85) Sensus: putasne hunc, nempe Orestem, occisa matre primo, sicut fabula narrat, insanum factum, et non ante jam in furorem actum esse, quam gladii mucronem jugulo materno infixit? Tepefecit, poëtice, quia gladius sanguine hominis, qui occiditur illo, calefit.

86) Sensus est: imo, ex eo tempore, quo male tutae mentis, id est, insanae mentis habitus palam est Orestes, nihil profecto fecit, quod a te reprehendi possit; non Pylades ferro adgredi aut sororem Electram est ausus, solum verbis utrumque est insectatus, vocans hanc Furiam; hunc autem aliud, quod ardens ira suggessit. Ex quo habitus: hic neglecta est elisio. Splendida, idem ac, ardens, vehemens bilis, ira. Orestes Agamemnonis et Clytemnestrae filius, qui matrem ferro occidit, ut mortem patris, quem illa de medio sustulerat, ulciscaretur. Hoc tamen facinus Orestis Dii non probarunt; sed poenas de eo sumserunt immissis Furiis, quibus tamdiu agitaretur, donec ad Tauricae Dianae aras scelus expiasset. Horatius autem ironice fabulam invertit, adserendo, Orestis furorem desiisse occisa matre; de his enim, quae ironice dicuntur, contrarium semper intelligendum est. Pylades, Strophii Phocensis filius, amicus fidelissimus Orestis, quem furiosum factum non deseruit, sed eum usque

Nil sane fecit, quod tu reprendere possis;
Non Pyladen ferro violare aususve sororem
Electram; tantum maledicit utrique, vocando
Hanc Furiam, hunc aliud, jussit quod splendida bilis.
Pauper Opimius [87]) argenti positi intus et auri,
Qui Vejentanum [88]) festis potare diebus
Campana solitus trulla [89]), vappamque profestis [90]),
Quondam lethargo [91]) grandi est oppressus, ut haeres
Jam circum loculos et claves laetus ovansque
Curreret. Hunc [92]) medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni jubet, atque
Effundi saccos nummorum; accedere plures
Ad numerandum: hominem sic erigit [93]): addit [94]) et illud;
Ni tua custodis, avidus jam hoc auferet haeres.
Men' [95]) vivo? Ut [96] vivas igitur, vigila: hoc age. Quid [97]) vis?
Deficient [98]) inopem venae te, ni cibus atque

in Tauricam regionem sequutus, pro ipso mori voluit. Electra fuit soror Orestis, quam hic in furiis conviciis adfecit.

87) Opimius, homo avarus quidam, qui quamvis aurum argentumve intus, id est, domi in arca positum et reconditum haberet, ejus tamen erat pauper, quia illo non utebatur.

88) Vejentanum vinum, vile, in agro Etruriae Vejentano natum.

89) Trulla Campana, id est, vase fictili in Campania facto, vili patera.

90) Diebus profestis, h. e. diebus, quibus operi vacare solemus, bibere solebat vappam, hoc est vinum corruptum et aceto simile.

91) Lethargus, morbus est, quo, qui laborant, somno gravi et perpetuo obruuntur. Vide supra not. 27. Sensus est: aliquando tam profundo oppressus est lethargo, ut haeres jam sibi plaudens circum loculos, seu arcas, et claves, quibus erant Opimii thesauri conclusi, discurreret et saltaret.

92) Hunc, id est, Opimium medicus celer, hoc est, solers in consilio capiendo, vel remedio aliquo excogitando, atque fidelis sequenti modo e somno lethargico excitat.

93) Erigit, id est, hac re efficit, ut homo e lethargo excitatus, caput e lecto exserat.

94) Addit, id est, tum dicit adhuc medicus: nisi thesauros tuos melius custodiveris, haeres illos avidus occupabit.

95) Men' vivo? Verba sunt Opimii: Mene adhuc vivente et superstite meos mihi nummos haeres auferet?

96) Medicus: Evigila ergo, somnum excute, ut vivas; hoc age, id est, in hoc unum incumbe; hoc tibi vel maxime sit curae; nam in eo, quo nunc es statu, lethargo scilicet opressus, vix vivere videris.

97) Opimius: Quid vis igitur, quid imperas, suades, ut faciam?

98) Medicus: Vires te miserum, jejunum et opis egentem deserent, nisi optimo cibo sumto sustentes stomachum deficientem etc. Venae positae pro sanguine, defectus autem sanguinis etiam virium defectum post se trahit. Stomachi jejuni fultura vero est cibus.

Ingens accedit stomacho fultura ruenti.
Tu cessas [99])? Agedum, sume hoc ptisanarium oryzae.
Quanti [100]) emtae? Parvo [1]). Quanti [2]) ergo? Octussibus [3]).
Eheu [4])!
Quid refert, morbo, an furtis pereamve rapinis?
Quisnam [5]) igitur sanus? Qui [6]) non stultus. Quid [7]) avarus?
Stultus [8]) et insanus. Quid [9])? si quis non sit avarus,
Continuo sanus? Minime [10]). Cur, Stoice [11])? Dicam [12]).
Non est cardiacus, Craterum dixisse putato,
Hic aeger. Recte est igitur, surgetque? Negabit;
Quod latus aut renes morbo tententur acuto.
Non [13]) est perjurus, neque sordidus; immolet aequis
Hic porcum Laribus. Verum ambitiosus et audax:

99) Tu cessas? id est, ne moreris, ne differas; quantocius sorbe jusculum hoc aryza incocta paratum. Ptisanarium oryzae est jusculum seu pulmentum ex oryza.

100) Verba Opimii.

1) Medicus respondet.

2) Opimius interrogat.

3) Medicus: Octo assibus.

4) Opimius: Me miserum! Quid refert an peream furtis et rapinis meorum haeredum, an morbo, qui curandus sit tot sumtibus, ita ut asses octo in unam ptisanam abeant.

5) Interrogat Damasippus Stertinium.

6) Stertinius: Qui non est stultus et aliqua cupiditate mala irretitus.

7) Interrogatio Damasippi.

8) Stertinius: Non solum stultus, sed etiam insanus.

9) Interrogatio Damasippi. Sanus, id est, sapiens.

10) Respondet Stertinius.

11) Damasippus: Cur, o Stertini, Stoice? Stertinius enim se ipsum Stoicum appellat.

12) Stertinius: Exponam tibi: Finge tibi medicum insignem, qualis est Craterus, dicere de aliquo aegrotante: non est cardiacus, id est, non laborat stomachi doloribus. An propterea recte, id est, bene valebit, ita ut surgere possit e lecto? Craterus certe negabit, valere hominem et posse surgere, quia lateris aut renum dolore idem laborat. Cardiacus dicitur, qui stomachi, quem veteres Graeci καρδίαν adpellabant, doloribus adfligitur.

13) Sensus: si potes de aliquo dicere: non pejerat, nec sordida tenetur avaritia: bene est; ille immolet Laribus propitiis porcum, id est, Diis Laribus gratias agat; sed si tamen ambitionis et arrogantiae laborat vitio; profecto mente captus est, et Anticyram naviget, ut ibi mentis morbo liberetur. Vide supra not. 53. Quid enim differt, an in barathrum tua omnia projicias, an nullum usum facias quaesitorum? De Diis Laribus, quibus porci offerebantur, vide L. III. od. 12. not. 12. et Myth. In barathrum projicere aliquid, idem est ac, profundere, pessumdare; ambitiosi enim maximos solent facere sumtus.

Naviget Anticyram: quid enim differt, barathrone
Dones quicquid habes; an nunquam utare paratis? –
Servius Oppidius Canusi [14]) duo praedia, dives [14])
Antiquo censu, natis divîsse [16])duobus
Fertur, et haec moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectum, postquam te talos [17]), Aule [18]), nucesque
Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi;
Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem:
Extimui, ne vos ageret vesania discors;
Tu Nomentanum, tu ne sequere Cicutam.
Quare [19]) per divos oratus uterque Penates,
Tu cave ne minuas; tu, ne majus facias id,
Quod satis esse putat pater, et natura coërcet.
Praeterea [20]), ne vos titillet gloria, jure-

14) Canusium oppidum est Apuliae.

15) Dives antiquo censu: id est, pro ratione, qua aliquis antiquitus dives censebatur. Si enim quis antiquitus duo praedia habebat, dives censebatur.

16) Divisse, pro, divisisse.

17) Sicut hodie, ita olim quoque pueri talis seu sorte, nucibus pro praemio positis, ludere solebant. Hinc sponsi die nuptiali spargebant nuces, se puerilia nunc deponere velle significantes.

18) Oppidii alter filius, Aulus, paulo levior, et ad liberalitatem propensior, aperte in togae sinu laxo, id est, latius extenso, portabat nuces, quas vel obviis sodalibus donabat, vel iis ludebat, ita quidem, ut brevi tempore nihil ei restaret de nucibus; alter, Tiberius, paulo ad rem attentior, et ad avaritiam proclivior, saepius numerabat nuces, easque tristis, id est, severo et sollicito animo, in latebrosis locis abscondebat; hinc extimescebat pater, ne Aulus aliquando prodigus, Tiberius fieret avarus. Cavis, id est, locis excavatis sive latebris. Vesania discors, dissimilis; aliter enim insanit prodigus, aliter avarus. De Nomentano vappa et nebulone atque nepote vide L. I. sat. 1. not. 68. De Cicuta feneratore avaro vide supra not. 49.

19) Sensus: uterque igitur per Deos penates rogati sunt: tu quidem vide, ne deteriorem facias rem; tu vero ne illam amplifices ultra id, quod pater sufficere judicat, et naturae necessitas postulat.

20) Sensus est: ad haec, ne vos olim honorum pungat, ducat cupiditas, volo, ut jurejurando mihi promittatis, fore, ut qui vestrum unquam aut aedilitatem aut praeturam, hoc est, magistratus alicujus dignitatem susceperit, is potestate testandi excidat, et execrabilis fiat. Aedilium cura erat, aedificia tum profana, tum acra sarta tecta servare: annonae item praeerant, et ludis publice habendis: praetores vero jus dicebant. Vide Antiquit. Intestabilis dicitur is, qui neque testamentum facere, neque ex facto aliquo testamento bona accipere, neque faciendo testamento testis adesse poterat, fuit igitur homo omnium contemtui expositus, homo nefarius et detestabilis. Sacer, id est, execrabilis, cui diras imprecamur.

Jurando obstringam ambo: uter aedilis, fueritve
Vestrum praetor, is intestabilis et sacer esto.
In [21]) cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
Laetus ut in circo spatiere, et aëneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
Scilicet, ut plausus, quos fert Agrippa [22]), feras tu,
Astuta ingenuum vulpes imitata leonem?
Ne [23]) quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur? –

21) Jam pater alloquitur in hunc fere modum alterutrum filiorum; ita tamen, ut idem utrique dicere voluisse putandus sit: nonne insanum esset, si ad populi gratiam captandam bona dilapidares ciceris, fabae et lupinorum largitionibus, ut superbus in circo incedas, deambules, aut statua tibi ex aere collocetur, dum interim hac vanitate nudaris, exueris omni patrimonio, agris et nummis, quos reliquerat pater? Putasne eosdem tibi plausus dari, quos fert Agrippa, qui scilicet, imitando hunc virum, vulpeculae astutae in Aesopi fabula similis es, quae imitata vocem leonis feras territare coeperat, et mox agnita ludibrio fuit. Cicer, lupinos, fabas, et alia legumina id genus, populo distribuebant in ludis maxime Floralibus aediles. Idem faciebant vulgo candidati, ut populi suffragia captarent. Latus ut in circo spatiere, id est: summoto late circum populo: lepide hominis superbi et simulatam dignitatem prae se ferentis incessus describitur. Scilicet, cum irrisione.

22) M. Vipsanius Agrippa a. u. 721. aedilis factus, tam ludis Circensibus et spectaculis magnificentissime adparatis, quam publicis aedificiis pulcherrime exstructis et pluribus aliis operibus omnes alios aediles longe superavit, et a populo Romano, ubicunque in ejus conspectum venerat, ingenti plausu exceptus est. E verbis: plausus quos fert Agrippa, concludere licet, anno aedilitatis Agrippae scriptam esse satyram.

23) Postquam priori loco avaros, deinde ambitiosos exagitavit, adgreditur superbos nobiles, qui ob speciem gloriae inanem multa gravia peccant, nec leviter insaniunt. Instituitur autem inter plebejum aliquem et Agamemnonem, Graeci exercitus in bello Trojano ducem, et Atreo natum, dialogus fere ex Sophoclis Ajace expressus: Apud quem, cum Teucer Ajacem fratrem interfectum humare vellet, Agamemnonis jussu vetatur id facere, quod Ajax ipsum Agamemnonem et ejus fratrem Menelaum etiamque Ulyssem interficere in animo habuisset, fecissetque, nisi Diis volentibus oves, eorum loco, per errorem occidisset. Ne quis etc. sunt verba plebeji, ad quae respondet Atrides seu Agamemnon: Rex sum! quid libet, imperare mihi licet. Me vero plebejum, subjicit hic, non decet aliam requirere causam. Rex: Aequum praeterea est, quod jubeo, et si cui videtur aliter, per me licet, impune proferat, quid sentiat. Plebejus: O Rex summe, Dii tibi concedant, ut, expugnata Troja, id est, feliciter finito bello Trojano, feliciter etiam classem domum reducas! Licetne igitur interrogare, et accepto responso, iterum interrogare, consulere? Rex: Interroga. Plebejus: Cur Ajacis, qui heros fuit Achilli proximus, et cujus ob servatos tam saepe Graecos summa gloria est, cadaver insepultum putescit, id est, putredine corrumpitur, magna populi Priami, id est, Trojanorum et Priami ipsius laetitia, qui gaudent inhumatum cernentes eum,

Rex sum. Nil ultra quaero plebejus. Et aequam
Rem imperito: at, si cui videor non justus, inulto
Dicere, quod sentit, permitto. Maxime regum,
Dî tibi dent capta classem reducere Troja!
Ergo consulere, et mox respondere licebit?
Consule. Cur Ajax heros ab Achille secundus
Putescit, toties servatis clarus Achivis?
Gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato,
Per quem tot juvenes patrio caruere sepulcro?
Mille ovium insanus morti dedit, inclytum Ulyssem
Et Menelaum una mecum se occidere clamans.
Tu [24]) cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
Ante aras, spargisque mola caput, improbe, salsa,
Rectum animi servas? Quorsum [25])? Insanus [26]) quid enim Ajax
Fecit, cum stravit ferro pecus? Abstinuit vim
Uxore et gnato, male multa precatus Atridis.
Non ille aut Teucrum, aut ipsum violavit Ulyssem.
Verum [27]) ego, ut haerentes adverso in littore naves
Eriperem, prudens placavi sanguine Divos.

---

per quem tot juvenes Trojani patriis tumulis privati sunt? Regis sequuntur verba. Res autem ita gesta est: Ajax, non impetratis armis Achillis, quae contra Ulyssem petebat, repulsam adeo aegre tulit, ut in amentiam et furorem sit versus; tunc oves multas neci dedit iratus, clamitans, se Agamemnonem, Menelaum ejus fratrem, et Ulyssem occidere; donec, ense ipsius manu per pectus adacto, interiit. Vide L. I. od. 13. not. 25.

24) Plebejus: Tu vero, quando vitulae loco carissimam filiam ad aras immolandam offerebas Aulide, et mola salsa, id est, farre tosto ac sale misto caput illi adspergebas, improbe; anne tu integritatem animi tuebaris, sana mente fueras? Est Aulis in Boeotia portus, in quo cum classis Graeca Trojam petens ventis contrariis diu detineretur, nec solvendi facultas daretur: Agamemnon ejus dux Calchantis vatis monitu filiam suam Iphigeniam, domo evocatam spe nuptiarum, mactandam obtulit, ad placandam Dianam regionis praesidem, quae putabatur Graecis irata ob cervam ipsi sacram, et ab Agamemnone percussam.

25) Rex: Quorsum haec? in quem finem ista profers?

26) Plebejus: Quid enim gravioris sceleris commisit Ajax insaniens? Occidit gregem; at ab uxore, a filio manus violentas abstinuit, id est, in eos non saeviit; tantum mala multa, id est, diras, gravissima quaeque imprecatus est Atrei filiis, Agamemnoni et Menelao. Ast nec Teucrum nec Ulyssem unquam violavit. Teucer fuit dux Graecorum clarus, in primis et fortis, Ajacis frater, de quo vide L. I. od. 6. not. 24. De Ulysse jam saepius dictum.

27) Rex: At ego, ut naves extraherem in portu alieno detentas, prudenter feci, Deorum iram leniens sanguine.

Nempe [28]) tuo, furiose. Meo [29]), sed non furiosus.
Qui [30]) species alias veri scelerisque, tumultu
Permistas, capiet, commotus habebitur; atque,
Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.
Ajax cum immeritos occidit, desipit, agnos;
Cum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
Stas animo? et purum est vitio tibi, cum tumidum est cor?
Si [31]) quis lectica nitidam gestare amet agnam,
Huic vestem ut gnatae paret, ancillas paret, aurum,
Rufam et Pusillam appellet, fortique marito
Destinet uxorem; interdicto huic omne adimat jus
Praetor, et ad sanos abeat tutela propinquos.
Quid? si quis gnatam pro muta [32]) devovet agna,
Integer est animi? ne dixeris. Ergo [33]), ubi prava
Stultitia, hic est summa insania: qui sceleratus,
Et furiosus erit; quem cepit vitrea fama,

---

28) Plebejus: Sed sanguine filiae tuae Iphigeniae, o furiose!

29) Rex respondet.

30) Plebejus: Qui diversas rerum species, ideas, imagines, cogitationes, alias veri, id est, rei aequae ac rectae, alias sceleris tumultu, id est, affectuum vi et impetu inter se permistas animo concipiet; is commotus, affectuum vi correptus et perturbatus, id est, insanus habebitur; atque unum idemque erit, utrum aliquis stultitia, an ira peccet; scelera enim commissa manent scelera. Ajax sententia tua insanit, innocentes agnos occidens; at tu, quum volens et sciens, ut tibi concilies inanem gloriam servatae patriae, ut ambitioni servias, scelus committis, et filiam occidis, satisne sapis, sana mente stas; et puro vitii corde te esse putas, cum animus tumidus est, inflatur, concitatur inanibus titulis et vana gloria?

31) Sensus: si quis pulchram agnam lectica propria gestari vellet; si vestem ei atque ancillas, ac si esset filia, designaret, et ornamenta aurea pararet, emeret; eam Rufam et Pusillam vocaret, eique fortem virum maritum destinaret; certe causa justa esset, cur Praetor insano illi eripiat jus omne, sua nimirum bona administrandi, et civilia obeundi munera, ejusque tutelam demandet ipsius propinquis mente sanis. Pro: Rufam et Pusillam alii legunt, Pupam et Pupillam, et alii adhuc aliter. Sunt autem haec nomina blandientia et ficta, qualiacunque demum sint. Interdictum, est decretum, certis formulis conceptum, quo Praetor aliquid fieri vel jubet, vel vetat.

32) Muta, id est, bruta, rationis experte.

33) Sensus: ergo qui stulte sectatur prava, rectissime insanus; qui perpetrat scelera, non solum insanus, sed etiam furiosus adpellabitur; qui virtutis bellicae gloria captus est, exsplendescere cupit, eum Bellona, gaudens rebus cruentis, furore vel insania percutit. Ita plebejus concludit, Agamemnonem et bellatores alios insanire. Fama vitrea, id est, splendida vel etiam fragilis, instar vitri.

Hunc circumtonuit gaudens Bellona [34]) cruentis.
Nunc [35]) age, luxuriam et Nomentanum arripe mecum;
Vincet enim stultos ratio insanire nepotes.
Hic [36]) simul accepit patrimonî mille talenta,
Edicit: piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tusci [37]) turba impia vici,
Cum scurris fartor [38]), cum [39]) Velabro omne Macellum,
Mane domum veniant. Quid [40]) tum? Venere frequentes,
Verba facit leno: quicquid mihi, quicquid et horum
Cuique domi est, id crede tuum: et vel nunc pete, vel cras.
Accipe [41]), quid contra juvenis responderit aequus:

34) Bellona, Dea belli, sororque Martis. Vide Mythol.

35) Jam Stertinius nepotes et prodigos quoque insanire docturus redit ad Nomentanum, quem jam supra produxit. Vide not. 118. et L. I. sat. 1 not. 68. Sensus: age porro, et luxuriam una cum Nomentano luxurioso et nepote simul arripiamus, expendamus, discutiamus; et rationum ac argumentorum pondere facile evincetur, ostendetur, probabitur; nepotes, dissolutos et prodigos homines insanos esse.

36) Sensus: hic Nomentanus, quam primum ex patrimonio suo mille talenta accepit, edicit, id est, palam denuntiari et illico moneri jussit, ut piscatores, unguentarii etc. postridie mane in domum suam veniant. Talenta fuerant diversi generis, majora et minora: Talentum Atticum seu commune autem respondebat nostris 1200 thaleris. Pomarius est, qui poma, seu fructus arborum; et unguentarius, qui unguenta vendit.

37) Tuscus vicus fuit Romae, in quo habitabant olim Tusci, qui, solvente obsidionem Porsenna, remanserant in urbe. Tempore autem Horatii erat idem vicus, lurconum, ganeonum, lenonum, aliorumque hujusmodi hominum faece plenus; ideo hos homines adpellat poëta turbam impiam Tusci vici, id est, quae inhabitat Tuscum vicum.

38) Fartor est, qui farcimina conficit et vendit.

39) Cum velabro omne Macellum, id est, cum omnibus, qui in vico Velabro et Macello varia escarum genera venalia habebant. Velabrum vicus Romae ad montem Aventinum, ubi olim paludes erant, per quas ex urbe in montem Aventinum ituri navicula utebantur; in hoc loco omnia prostabant, quae ad victus rationem et delicias pertinebant. Macellum locus erat, ubi vendebantur obsonia praecipue, praeterea pisces et caro animalium.

40) Quid tum factum est? paruerunt edicto, et quod exspectari poterat, quam plurimi venerunt; omnium nomine his illum verbis alloquitur leno: Quaecunque aut ego, aut isti omnes domi nostrae habemus, ea in tuis numera, jube ad te adferri hodie, vel cras. Lenoni non sine causa facundi oratoris, qui et suas, et omnium, qui aderant, merces officiosissime commendaret, partes demandatae sunt.

41) Accipe, id est, audi nunc, quid reposuerit aequus, benignus, largus, juvenis Nomentanus, primum ad venatorem, dein ad piscatorem, denique ad lenonem conversus.

In nive Lucana [42]) dormis ocreatus, ut aprum
Coenem ego; tu [43]) pisces hiberno ex aequore verris;
Segnis ego, indignus, qui tantum possideam; aufer [44])!
Sume tibi deciesî tibi tantundem; tibi triplex,
Unde uxor media currit de nocte vocata.
Filius [45]) Aesopi detractam ex aure Metellae,
Scilicet ut decies solidum absorberet, aceto
Diluit insignem baccam: qui sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen, jaceretve cloacam?
Quinti progenies Arrî [46]), par nobile fratrum,

42) Lucania est regio Italiae extremae, prope Calabriam ad mare inferum: ibi capiebantur apri praestantiores. Sensus: tu cum ocreis pernoctas in Lucaniae nivibus, ut ego aprum in coena habeam.

43) Tu piscator media hieme, ubi non sine magna opera pisces capi possunt, eosdem e mari intimo petis; ego vero molli otio fruor, parum dignus opibus tantis, quas possideo.

44) Sensus: quapropter aufer! id est, accipite! Tu decies centena millia sestertium, ad venatorem; tu, ad piscatorem, totidem; et tu, ad lenonem primas partes apud se agentem, triplo plus; unde, id est, e cujus domo uxor citata saepe media nocte currit, gressus geminat prae quaestus faciendi cupiditate. De Sestertio vide supra not. 19. et Antiquit. Quoties autem adverbium numerale occurrit semper supplendum est: centena millia sestertium.

45) Plinius in Hist. Nat. IX. 59. post narrationem de insania, qua Cleopatra, ut ostenderet, ingentem pecuniae summam brevissimo temporis spatio in ventrem demitti posse, immensi pretii margaritam, aceto liquefactam, sorbuisse dicitur, agit quoque de re, quae ad hunc locum spectat: Prius, ante Cleopatram nempe, id fecerat Romae in unionibus magnae taxationis Clodius, tragoedi Aesopi filius, relictus ab eo in amplis opibus heres, ut experiretur in gloria polati, quid saperent margaritae; atque, ut mire placuere, ne solus hoc sciret, singulos uniones convivis quoque absorbendos dedit. Hic Clodius Metellae, quae eum deperibat, amabat, ablatum unionem, et aceto dilutum, sorbuit. Metellam mulierem admodum divitem fuisse, ex hac ipsa de illa narratione satis apparet. Sed cum plures hujus nominis fuerint mulieres vel matronae, quam potissimum jam designaverit poëta, manet in ambiguo. Sensus est: Aesopi filius, cum gemmam praeclarissimam ex aure Metellae sustulisset, eam aceto infuso liquefecit, ut integram decies centenorum millium H S summam uno haustu sorberet; quo in re non sanior fuit, ac si illam gemmam in fluvium aut cloacam projecisset. Solidum, idem ac, totum, integrum, non in partes divisum; ergo integram summam decies etc.

46) De Arrio vide supra not. 54. Ordo est: Qu. Arrii progenies, filii, nobile par fratrum gemellum, id est, fratres duo famosi similes ob nequitiam, puerilia studia, et amorem rerum pravarum, qui erant soliti prandere, comedere luscinias impenso, id est, immenso pretio emtas; cur

Nequitia et nugis pravorum et amore gemellum
Luscinias soliti impenso prandere coëmtas;
Quorsum abeant? Sani ut creta, an carbone notandi?
Aedificare [47]) casas, plostello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum, amentia verset.
Si [48]) puerilius his ratio esse evincet amare;
Nec quidquam differre, utrumne in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
Sollicitus plores: quaero, faciasne, quod olim
Mutatus Polemon [49])? ponas insignia morbi,
Fasciolas [50]), cubital [51]), focalia [52]); potus ut ille
Dicitur ex collo [53]) furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri?

abeant, id est, praetereantur tanquam sani; quasi dubium esset, an ut sani creta, an ut insipientes carbone notandi essent. Fausta enim et bona albo, infausta vero et mala nigro colore notantur, hinc pervulgata illa locutio.

47) Ordo est: si quis homo barbatus et provectior aetate delectetur casis e charta aedificandis, jungendo plaustro muribus, ludo paris et imparis, et equitatione in arundine longa; hunc certe amentia versari, vexari et agitari dices. Stertinius transit hic ad insaniam eorum qui delicias faciunt in amoribus.

48) Sensus: si autem ratio evincit, eos, qui amoribus indulgent, adhuc puerilius agere, quam ii, de quibus modo dixi; nec differre quidquam, sive in pulvere ludas opus seu ludum, qualem ante ludere solebas, cum trimus, id est, puer esses trium annorum, sive captus turpi amore plores; quaero a te, sisne facturus, quod olim fecit mente mutata Polemon? Pones, abjiciesne, sicut ille, morbi seu amoris istius insignia et ornamenta: fasciolas, cubital, focalia: quemadmodum narratur ille, ebrius licet, posuisse de collo coronas, postquam magistri sobrii oratione est reprehensus? Impransi, id est, sobrii.

49) Polemon juvenis fuit Atheniensis perditae luxuriae. Is cum ebrius incederet per urbem, fertur audisse Xenocratis vocem disputantis; deinde introiisse coronatus et unguentatus ad eum deridendum. Senex autem perseveravit, et invectus in luxuriam coëgit Polemonem poenitere sui, et coronas abjicere; qui postea tantus in philosophia Academica exstitit, ut dignus existimatus sit, qui Xenocrati succederet, et philosophiam Athenis doceret.

50) Fasciolae sunt vincula et ligamina, quae placendi studio a delicatis adolescentibus brachiis vel pedum cruribus circumvolvebantur.

51) Cubital, erat pulvillus cubito coenantium suppositus; coenae enim adcumbebant veteres.

52) Focalia erant colli ornamenta, seu collaria a collis dependentia, ad fovendum collum, et fauces contra frigus muniendas.

53) In laetioribus conviviis vel commissationibus convivae duas coronas gestabant, alteram in capite, alteram in collo.

Porrigis [54]) irato puero cum poma, recusat:
Sume, Catelle! negat: si non des, optat. Amator
Exclusus qui distat, agit ubi secum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arcessitus, et haeret
Invisis foribus? Nec nunc, cum me vocet ultro,
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Exclusit, revocat: redeam? non, si obsecret. Ecce
Servus, non paulo sapientior; O here, quae res
Nec modum habet, neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult: in amore haec sunt mala; bellum:
Pax rursum; haec si quis tempestatis prope ritu
Mobilia, et caeca fluitantia sorte, laboret
Reddere certa sibi, nihilo plus explicet [55]), ac si
Insanire paret certa ratione modoque.
Quid [56])? cum Picenis [57]) excerpens semina pomis,

54) Redit ad pueros, et docet porro, insanire amatores, puerorum more. Sensus est: quando irato puero poma offers; non vult accipere: Sume, inquis, Catelle! (est haec vox blandientis) non vult: si non obtuleris, desiderat. Huic puero similis est amator etc. et pro hoc: in quo ab isto differt amator, quem amica exclusit? cum agit secum, id est, deliberat, an eat ad illam, an non eat, quo, id est, cujus in domum profecto rediturus fuisset, si non fuisset accersitus; at quia accersitus est, haeret in ipso limine, dubius, an ingrediatur, et ad invisam januam maneat, talia secum murmurans: Neque si me nunc ultro vocet ingrediar; an non satius est, finem doloribus, id est, amori imponere? ejecit me, nunc iterum revocat; redeamne? non si precibus infimis oret. Ecce servus haud paulo sanior adest inquiens: O mi here, res, quae nec modum patitur, neque consilio regitur, ratione et modo tractari non debet: amoris enim ista propria mala sunt; bellum, et mox iterum pax; haec si quis tempestatis prope more mutabilia, et caeco agitata impetu ad certam rationem regere et compescere vellet, non plus proficiet, quam si certo modo insaniendi praecepta tradat, vel, quam si cum ratione stultus esse velit. Hic locus est expressus ex Eunucho, Terentiana comoedia. Act. I. scen. 1. inquit Phaedria: Egone non accedam ad Thaidem? ne nunc quidem, cum me ultro accersit? etc. Paulo post intervenit Parmenio servus; hero non sanior, et alloquitur Phaedriam in hunc fere modum, sicut hic heroicis est expositum versibus.

55) Explicet, id est, expediat, proficiat.

56) Pergit Stertinius ad aliud in amore insaniae genus, scilicet ad superstitionem, qua, qui amant, se aut faustum aut infaustum amoris sui eventum exquirere posse opinantur. Huc refert morem, ex quo amantes pomorum semina vel nucleos duorum primorum digitorum compressione et impulsu ideo in altum agebant, ut inde, si semina illa ad conclavis laquear usque exsiluissent, faustum amoris sui augurium caperent. Rem narrat Pollux Onom. IX. 123.

57) Picenis, epitheton ornans, quia in agro Piceno in Italia ad oram maris Adriatici praestantiora poma nascebantur.

Gaudes, si cameram percusti [58]) forte, penes [59]) te es?
Quid? cum [60]) balba feris annoso verba palato,
Aedificante casas qui sanior? Adde [61]) cruorem
Stultitiae, atque ignem gladio scrutare modo, inquam;
Hellade percussa Marius [62]) cum praecipitat se,
Cerritus [63]) fuit? an [64]) commotae crimine mentis
Absolves hominem, et sceleris damnabis eundem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
Libertinus [65]) erat, qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat: et, Unum,
Quiddam magnum addens, unum me surpite morti,

58) Percusti, pro: percussisti, tetigisti.

59) Penes te es? id est, esne sanae mentis?

60) Inversa constructio, pro: verbis balbis annosum palatum feris; non enim palato verba feriuntur, sed verba cum pronunciantur feriunt, percutiunt, palatum. Sensus est: cum tu senex, ut mulieris gratiam captes, instar pueri balbutiente voce blanditias loqueris et verbis tremulis palatum tuum verberas, anne sanior es puero casulas aedificante?

61) Sensus: adde, quod illa stultitia interdum ad caedem rapit. Modo, referendum est ad, Adde. Adde modo, insuper, ad hanc in amore stultitiam caedem, et ignem, id est, pectus, amoris igne accensum; gladio scrutare, id est, percute, transfige.

62) Marius quidam ob amorem Helladen quamdam puellam occidit, cum ab ea contemneretur, et se postea praecipitem e saxo dedit.

63) Cerritus, idem ac, lymphaticus, insanus, furens. Sensus: hic Marius nonne insanus fuit?

64) Sensus: an tu absolves eum crimine commotae, furore percitae mentis, id est, insanum quidem fuisse hunc negabis, sceleratum vero esse fateberis, ex more hominum, qui dant rebus iisdem, quas diversas putant, nomina cognata, et prope idem significantia? Qui enim sceleratus est apud Stoicos, idem est insanus.

65) Stertinius denique hominum insaniam per ea, quae praeter sortem suam adpetunt, et per vota, quae animo concipiunt, probat, et adducit in exemplum libertinum quemdam hoc fere modo: quidam libertinus senex, mane siccus, id est, jejunus obibat compita (ubi Deos Penatos constitui et coli jusserat Augustus) lautis seu ablutis aqua manibus, ut eas puras ad Deos tenderet, et orabat hoc, quiddam magnum addens ad Deos sibi conciliandos: (quid autem illud magnum fuerit, an votum, vel quid aliud, ignoratur) O Dii, unum me ex omnibus morti precor surpite, id est, surripite, eripite, id enim Dii potestis facile, ajebat, mihi concedere. Ille sanus erat auribus et oculis, mente non item; ac si servus iterum a libertino factus fuisset, venditusque, debuisset dominus, nisi lites amaret et sibi vellet inferri, excipere caput, id est, emtorem admonere, illum cetero corpore sanum esse, praeterquam capite et mente. Venditor enim debebat vitia omnia rei venditae, praesertim mancipiorum, emtoribus aperire, ni fecisset, mulctabatur, et in eum erat actio.

Dîs etenim facile est, orabat; sanus utrisque
Auribus atque oculis; mentem, nisi litigosus,
Exciperet dominus, cum venderet: hoc [66]) quoque vulgus
Chrysippus ponit foecundâ in gente Menenî.
Jupiter [67]), ingentes qui [68]) das adimisque dolores,
Mater ait pueri menses jam quinque cubantis [69]),
Frigida si puerum quartana [70]) reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis [71]) jejunia, nudus [72])
In Tiberi stabit: casus [73]) medicusque levârit
Aegrum ex praecipiti, mater delira necabit
In gelida fixum ripa, febrimque reducet.
Quone malo mentem concussa? timore Deorum.
Haec [74]) mihi Stertinius, sapientum octavus, amico
Arma dedit, posthac ne compellarer inultus.

66) Sensus: Hos quoque, qualis libertinus ille erat, e vulgo homines ad foecundam Menenii gentem Chrysippus refert. Chrysippus erat philosophus Stoicus. Menenius autem erat tunc temporis vivens stultus homo, cui non facile similis exstitit, ut stultorum esset quasi paterfamilias, vel stultae stirpis, numerosae admodum et foecundae, princeps.

67) Adducta in exemplum femina quadam vulgari, ostendit Stertinius porro, superstitiosos quoque insanire.

68) Id est: qui magnos morbos immittis et tollis.

69) Id est: aegrotantis.

70) Frigida quartana, id est, febris quarto quoque die recurrens.

71) Quo indicis jejunia, id est, quo sacerdotes jejunium aliquod imperabunt tuo nomine. Jejuniis enim publice indictis et denuntiatis placare Deos moris erat, ac festos dies celebrare.

72) Nudus stabit, id est, expiationis causa summo mane illum ad Tiberim constituam nudum.

73) Sensus: quod si igitur casus, id est, natura viribus suis; seu medici scientia illum e praecipiti, gravi, et periculoso morbo recreaverit, mater demens ex superstitioso voto filium, exponendo illum aëri frigido ad ripas Tiberis, vel occidet plane, vel saltem in pristinum morbi et febris statum rejiciet. Quone malo, id est, qua autem insania mentem concussa gerit haec mulier? seu: quidnam fuit illud, quod matrem ad hanc insaniam adigeret? nihil aliud certe, quam superstitiosus Deorum timor.

74) Damasippus, postquam praecepta Stoica ex ore Stertinii enarravit; vide supra not. 38. nunc sermonem cum Horatio inchoatum continuat. Per arma intellige praecepta Stoica, quibus Damasippus ad se defendendum ab illis, qui se impugnaturi, h. e. insanum compellaturi sint, se tamquam armis uti velle ait. Sensus: his me Stertinius sapientum Graecorum octavus et amicus mihi, armis, id est, argumentis, instruxit, ne me deinceps quisquam contumeliosis verbis lacesseret impune. Stertinius dicitur octavus sapientum; proprie tantum septem fuerant.

Dixerit [75]) insanum qui me, totidem audiet; atque [76])
Respicere ignoto discet pendentia tergo.
Stoice [77]), post damnum sic vendas omnia pluris:
Qua me stultitia (quoniam non est genus unum)
Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.
Quid [78])? caput abscissum manibus cum portat Agave
Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?
Stultum [79]) me fateor (liceat concedere veris)
Atque etiam insanum; tantum hoc edissere, quo me
Aegrotare putes animi vitio? Accipe [80]), primum
Aedificas, hoc est, longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis; et [81]) idem

75) Sensus: qui me insanum dixerit, is, quoties id dicet, toties idem a me audiet, h. e. toties vicissim eum insanum compellabo. Stoici enim docent, omnes insanire, ideoque eos ipsos insanire, qui alios insanire dicant.

76) Sensus: et discet respicere manticae partem, pendentem sibi a tergo, quam ignorat, quam non intuetur. Alluditur ad fabulam Aesopi de duplici mantica, qua quemque adfirmabat uti, ut anteriore quidem illius parte aliena vitia prae oculis semper haberet; propria vero removeret in tergum, ne possent a se conspici.

77) Verba sequuntur Horatii: O Damasippe, Stoice, dic mihi, quaeso, quo stultitiae genere, quoniam adeo multa sunt, tu me insanire putas? quod si dixeris, ego, siquidem jacturam fortunarum tuarum et naufragium feceris, hoc certe a superis tibi precabor, ut jam in vendendo sis fortunatior, et pluris, quam omnes alii, merces tuas vendas, lucri plus facias. Vide not. 17. et 18. supra ad vers. 19. et 20.

78) Damasippus respondet: Ideone sanus es, quod tibi sanus videris? etiam Agave sibi videbatur sana cum maxime fureret. Agave erat Penthei mater, et Cadmi filia, immisso sibi furore a Baccho, quem Pentheus rex Thebarum laeserat, filii caput amputavit, rata se aprum vel taurum discerpere.

79) Verba sunt Horatii. Liceat concedere veris, id est, liceat, quod verum est, fateri, vel: ut veritatem dicam. Animi vitium, pro: insania.

80) Damasippus respondet: Audi itaque; primum moliris aedificia et, cum statura sis duorum pedum ab imo ad summum, id est, a calce usque ad caput, longos h. e. proceros imitaris; quasi diceret: tu aemularis magnificentiam divitum pauper, praecipue autem Maecenatis, qui ad Esquilias hortos sibi et domum impensis maximis exstruxerat. Vide L. I. sat. 8. not. 6. 7. Credibile est, Horatium in villa Sabina, superiore anno sibi donata, amplificanda occupatum fuisse. Ditiores porro et beatiores, ad quos praecipue pertinebat Maecenas, jocose Damasippus, longos; Horatium vero pauperem et in re tenui natum, bipedalis corporis hominem, adpellat; et re vera fuit Horatius exigui corporis homo. Vide vitam Horatii.

81) Sensus: tu idem autem rides spiritum, id est, fastuosam in armis jactantiam et incessum superbum Turbonis armati, qui tamen corpore major est, quam tu.

Corpore majorem rides Turbonis [82]) in armis
Spiritum et incessum: qui [83]) ridiculus minus illo?
An [84]) quodcunque facit Maecenas, te quoque verum est,
Tanto dissimilem, et tanto certare minorem?
Absentis [85]) ranae pullis vituli pede pressis,
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Bellua cognatos [86]) eliserit: illa [87]) rogare
Quantane? num tantum, sufflans se, magna fuisset?
Major dimidio. Num tanto? Quum magis atque
Se magis inflaret; non, si te ruperis, inquit,
Par eris. Haec a te non multum abludit [88]) imago.
Adde [89]) poëmata nunc: hoc est, oleum adde camino;
Quae si quis sanus fecit, sanus facis et tu.
Non dico horrendam rabiem. Jam [90]) desine. Cultum [91])
Majorem censu. Teneas [92]), Damasippe, tuis te.

82) Turbo gladiator fuit, parvus corpore, sed animosus pugna.

83) Sensus: si Turbo hic ridiculus est, num tu minus es illo?

84) Id est: te ne, tanto Maecenati dissimilem et inferiorem, verum h. e. aequum est facere et audere, quod ille audet, et cum eo contendere, quo longe minor es?

85) Sensus: cum ranae pullos, matre absente, vitulus pede oppressisset, concalcasset, unusque effugiens matri narrasset, quo pacto etc.

86) Cognatos, id est, pullus alios una secum natos, ex eadem ortos matre.

87) Illa, rana mater, rogare coepit, quanta fuisset illa bellua? et se sufflans quaesivit: Numne tam magna fuerit, ac ipsa sit? Pullus inquit: Dimidio major. Et adhuc magis se inflans mater interrogabat: Fuerit ne tanta? et magis semper inflante se matre, pullus tandem respondit: Neque, si te disruperis, aequabis belluam.

88) Non multum abludit, id est, non multum dissimilis est tibi; parum discrepat a te.

89) Sensus: adde nunc ad reliquas insanias tuas adhuc poëtices studium, adde oleum igni, h. e. insaniae nova praebe alimenta in praedio tuo Sabino, et penitus insanus eris; nemo enim sanus adhuc versus et carmina fecit, neque tu sanus facies; taceo adhuc de horrenda rabie tua, qua te abripi siveras ad scribenda carmina criminosa, seu, ad scribendas satyras. Dictum hoc videtur ex sententia veterum, juxta quam nemo poterat esse verus poëta sine mania, seu, furore quodam poëtico. Heindorf.

90) Horatius nunc sermonem Damasippi, quo ipsum etiam adgreditur, interrumpit dicens: Desine tandem.

91) Damasippus continuat adhuc: Non dico, praetereo sumtus, quos facis, quive censum et opes tuas excedunt. Sumtus enim facere vires nostras et censum excedentes, etiam est insaniae genus.

92) Horatius: Contineas te, Damasippe, intra tua, h. e. intra ea, quae ad te ipsum spectant: nosce te ipsum.

Mille [93]) puellarum, puerorumque mille furores.
O major [94]) tandem parcas, insane, minori.

Satyra IV.

Occassio et argumentum.

Horatius, qui saepius inter coenandum apud Maecenatem non sine magna molestia audivisse videtur, convivam aliquem, vel plures, multa verba facientes de lautarum epularum sapore, natura, raritate, confectione etc. eorum jam in hac satyra vanitatem, et importunitatem derisurus, artis coquinariae et artis coenas adornandi praecepta, quae Catius quidam se ex ore magni in arte hac magistri hausisse fingit, mira diligentia Epicureorum more refert. Magister ille fuit probabilius unus convivarum, cujus nomen, ne iram illius sibi contrahat, consulto tegit poëta; ast Maecenatem ipsum fuisse, ut Heindorfius putat, nimis audax conjectura esse videtur. Carminis structura sequens est: occurrit forte Catius Horatio, de praeceptis, quae a magistro artis didicit, meditans, et rogatus ea profert. Tractat itaque 1° de ovis, 2° de oleribus, 3° de gallina celeriter paranda, 4° de fungis, 5° de moris sanitati valde conducentibus, 6° de mulso, 7° de cibis pro alvo, 8° de optimis speciebus conchyliorum, 9° de piscium praeparatione, 10° de carne ferina, 11° de piscium et avium bonitate, 12° de vino, 13° de stomachi vino marcentis refectione, 14° de jure, 15° de pomis, et iis, quae ad coenam secundam pertinent, et 16° de munditie in epulis observanda. Horum praeceptorum praestantia adeo se perculsum dicit facete Horatius, ut maximo, e magistro ipso ea percipiendi, desiderio se flagrare adfirmet. Tempus Satyrae ignoratur.

Unde [1]), et quo Catius [2])? Non [3]) est mihi tempus, aventi

93) Damasippus: Omitto etiam reliquos tuos amores et insanias, quibus puellarum et puerorum more exagitaris; nihil dico de his.

94) Horatius: O tu, insane, cujus insania major est mea, parcas tandem mihi, cujus insania minor est tua; sive: o insane, parcas tandem mihi minus te insanienti.

1) Sensus: unde huc venit Catius, et quo tendit? Horatius enim fingit se illi occurrere ex improviso.

2) Catius sine dubio nomen est fictum.

3) Respondet Catius: Non vacat mihi respondere nunc tibi; aveo enim,

Ponere signa novis praeceptis, qualia vincunt
Pythagoram [4]), Anytique [5]) reum, doctumque Platona [6]).
Peccatum [7]) fateor, cum te sic tempore laevo
Interpellarim: sed des veniam bonus, oro.
Quod [8]) si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox;
Sive est naturae hoc, sive artis, mirus utroque.
Quin [9]) id erat curae, quo pacto cuncta tenerem,
Utpote res tenues, tenui sermone peractas.
Ede [10]) hominis nomen, simul et, Romanus an hospes.
Ipsa [11]) memor praecepta canam; celabitur auctor.
Longa [12]) quibus facies ovis erit, illa memento,

id est, cupio ponere signa, id est, litteris mandare, scripto notare nova praecepta, quae praestantiora sunt longe praeceptis Pythagorae, Socratis et Platonis. Praecepta autem nova, qualia a nemine adhuc proposita sunt, concernunt res, e quibus, et modum, quo lautae epulae parabantur.

4) Pythagoras fuit ex insula Samo. In Italiam venit imperante Numa; philosophus praestantissimus.

5) Anytique reus, Socrates est, philosophus Graecus, et adcusatus ab Anyto Atheniensi divite.

6) Plato philosophus itidem Graecus et celeberrimus.

7) Horatius loquitur. Laevo, id est, non opportuno tempore. Bonus, id est, benignus.

8) Sensus: quodsi quid ex his praeceptis, quae jam litteris cupis consignare, tibi excidat animo, illud postea in mentem tibi revocabis; sive haec in memoriam audita revocandi facultas est res insiti tibi ingenii, id est, sive tibi est natura facilis et docilis ad recordandum; sive hoc tibi ars dedit; tu sane in utroque excellis.

9) Sensus est: atqui hoc ipsum agebam, in eo eram, cum mihi occurristi; mecum id agitabam, quomodo retinere memoria possem omnia illa praecepta; cum quaedam essent valde tenuia h. e. subtilia et subtili etiam sermone tradita, exposita. Haec respondet Catius.

10) Horatii verba. Hominis, nempe, apud quem res illae subtiles tractatae sunt. Hospes, id est, advena, non Romanus.

11) Catius respondet: Praecepta ipsa, quantum recordabor exponam, auctoris vero nomen non edam. Quis fuerit ille, cujus nomen poëta reticet, vix eos, qui tum vivebant, latere potuit, fuit fortasse vir quidam nobilior, cujus iram contra se irritare noluit poëta. Ceterum hic ipse subtilis saporum judex et experientissimus praestantissimarum epularum aestimator atque magister huic scribendae satyrae omnem materiem suppeditasse videtur. Vide Argumentum.

12) Satis constat in coenis apud Romanos primum ova et postremum mala adposita esse. Itaque, qui nunc de epulis subtiliter aestimendis atque dijudicandis verba facit, servato, quo illae in coena se excipere solebant, ordine, primum sententiam suam fert de ovis. Sensus est: ova, quae longiorem faciem, id est, formam, figuram habent, illa prae aliis mensae ad-

Ut succi melioris et ut magis alma rotundis,
Ponere: namque marem cohibent callosa vitellum.
Caule [13]) suburbano, qui siccis crevit in agris,
Dulcior; irriguo nihil est elutius horto.
Si [14]) vespertinus subito te oppresserit hospes,
Ne gallina malum responset dura palato,
Doctus eris vivam misto mersare Falerno;
Hoc teneram faciet. Pratensibus [15]) optima fungis
Natura est: aliis male creditur. Ille [16]) salubres
Aestates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quae legerit arbore solem.
Aufidius [17]) forti miscebat mella Falerno;
Mendose; quoniam vacuis committere venis

ponere memento, id est, adponenda sunt, nimirum ut plena succo meliore, id est, melioris saporis, et ut plus alimenti praebentia rotundis; sunt enim magis callosa, id est habent albumen spissius et densius, quod cohibet, includit, continet marem vitellum h. e. semen pulli masculi.

13) Transit 2do ad olera sive caules. Sensus: caules arido solo nati, sunt suburbanis suaviores; terra enim nullibi per aquam magis est eluta, nullibi magis est humida, quam in hortis suburbanis; sive quod illi siti erant in locis humidis; sive quod rivuli in eos deducebantur.

14) Tertia regula de paranda gallina. Sensus: si te hospes sub vesperam oppresserit, id est, tibi ex insperato advenerit, ne durior gallina palato responset, resistat, obluctetur; doctus eris, id est, scito, utile fore, eam, dum adhuc vivit, Falerno aqua temperato immergere, sic tenera evadet. Gallina enim, quae, postquam sub improviso hospitis adventu caesa est, statim coquitur, manet dura, ideoque parum respondere potest exspectationi hospitis, non duram sed teneram carnem edere cupientis. Malum, positum est pro: male.

15) Praeceptum 4tum de fungis, quibus optima, salubris, et innoxia natura est, si in pratis leguntur; aliunde petitis non satis tute utaris; quia in silvis inveniuntur simul fungi mali et valetudini obnoxii, qui ob similitudinem, quam cum bonis habent, facile fraudi esse possunt.

16) Praeceptum 5tum. Qui per aestatem valere cupit, ille prandia sua finiet moris, a quibus etiam illa inchoaverit, et quidem nigris, lectis, decerptis ex arbore, antequam sol meridie gravis sit, id est: ille nihil praeter ea mora comedet. Prandia vero Romana ex solis moris nemo mirabitur, aestate praesertim, quisquis meminerit, plerumque unica coena contentos fuisse Romanos, et prandium apud eos praecessisse coenae, convenisseque cum nostro jentaculo. Vide Antiq. de Coena.

17) Praeceptum 6tum. Aufidius, homo gulosus, cujus gentem nosse nihil attinet, forti Falerno et fervido vino admiscebat mel; sed mendose, id est, male, etenim vacuo et jejuno stomacho nihil adplicari oportet, quod lene ac moderatum non sit; satius fuerit lene mulsum praecordiis infundere. Vacuae venae et praecordia, posita sunt pro stomacho.

Nil nisi lene decet: leni praecordia mulso [18])
Proluveris melius. Si dura [19]) morabitur alvus,
Mitulus et viles pellent obstantia conchae,
Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo [20]).
Lubrica [21]) nascentes implent conchylia lunae;
Sed non omne mare est generosae fertile testae.
Murice [22]) Baiano melior Lucrina peloris:
Ostrea [23]) Circejis, Miseno [24]) oriuntur echini [25]);
Pectinibus [26]) patulis jactat se molle Tarentum.
Nec [27]) sibi coenarum quivis temere arroget artem,

18) Mulsum dicebatur potus e vino et melle commixto, qui adhibebatur plerumque in prima coena.

19) Praeceptum 7um Si alvus durior morabitur, id est, tardius, aegrius, se exonerabit, mitulus cum conchis vilibus et brevi lapatho omnem perrumpet obicem, si tamen vinum Coum album addideris. Mitulus piscis parvus est ex genere concharum seu ostreorum. Lapathum vocatur etiam rumex, est herba amans prata brevibus et acutis foliis. Apud nos Sauerampfer.

20) Coum vinum, seu Graecum ex insula Coo, ad Cariam Asiae minoris provinciam posita. Apellis et Hippocratis patria.

21) Praeceptum 8um agit de optimis speciebus conchyliorum et ostreorum. Sensus: ostreorum testae lubricae, id est, politae et leves, mucoso quodam liquore obductae, luna nascente impleri incipiunt; sed non quodlibet mare optimas gignit.

22) Sensus: pelorides lacus Lucrini muricibus Bajarum praestant. Murex et peloris pisces duo ex genere ostreorum seu testaceorum. Lacus Lucrinus fuit inter Puteolos et Bajas in Campania, et conchae captae in hoc lacu meliores erant illis, quae capiebantur in sinu prope Bajas.

23) Circeji urbs Volscorum fuit in Latio; prope hanc urbem est promontorium Circejum, nunc dictum: Monte Circello. Circensibus ostreis neque dulciora neque teneriora fuisse ulla, compertum est Plinio.

24) Misenus est promontorium Campaniae in Italia non procul a Cumis, nomen habens a Miseno Aeneae tubicine, ibidem sepulto; prope est etiam oppidum ejusdem nominis.

25) Echinus testaceorum genus, ubique spinis munitum. Nostris: See-Igel. Vide etiam Epod. V. not. 20. Sensus est: ostrea ad Circejum promontorium, echini autem optimi ad Misenum nascuntur.

26) Pectines, apud nos: Kamm-Muschel, etiam sunt de genere testaceorum. Patulis, refer ad pectinum formam concavam. Molle Tarentum ab ingenio hominum mollius et luxuriosius ibi viventium. Est autem urbs Italiae in ea Calabriae parte, quae olim Messapia dicebatur. Jactat se, id est, superbit.

27) Praeceptum 9um. Neque vero facile quisquam se jactare potest coenarum parandarum arte et scientia; nisi prius habeat exacte cognita tenuissima saporum discrimina et rationem. Non satis est pisces caros eme-

Non prius exacta tenui ratione saporum.
Nec satis est, cara pisces averrere mensa [28])
Ignarum [29]), quibus est jus aptius, et quibus assis
Languidus [30]) in cubitum jam se conviva reponet.
Umber et iligna nutritus glande rotundas
Curvet aper lances carnem vitantis inertem:
Nam Laurens malus est, ulvis et arundine pinguis.
Vinea submittit capreas non semper edules.
Fecundae leporis sapiens sectabitur armos.
Piscibus [31]) atque avibus quae natura et foret aetas,
Ante meum nulli patuit quaesita palatum.
Sunt [32]), quorum ingenium nova tantum crustula promit.
Nequaquam satis in re una [33]) consumere curam:

---

re, sed opus quoque est scire, qui eorum elixi, quive assi melius et jucundius sapiant. Averrere, est manum alicui rei cupide injicere, eamque auferre.

28) Mensa cara, intelligenda est de mensa in macello, in quo cari vel magni pretii pisces expositi sunt: ex hac igitur mensa cupidi lautiorum epularum emtores, dum alter alteri mercem quasi ex manibus eripit, pisces averrunt.

29) Ignarum, id est, non sufficit huic, sc. pisces averrere, qui ignorat emtor, quod jus, id est, jusculum cuique pisci conveniat magis; et quinam sint pisces, quibus assis conviva jam languidus, id est, satur laevo cubito in pulvinari posito, iterum ad edendum se componat, id est, denuo ad edendum invitetur. Jusculum est diminutivum de jure, elixi pisces enim cum quodam jure, assi vero sine hoc adponebantur.

30) Praeceptum 10um Carnem vitantis inertem, id est, qui non amat carnem insipidam, h. e. mollem et pinguem, nihil, quod palatum suaviter adficiat, habentem; illi curvet, pondere gravet, impleat lances seu patinas suas rotundas aper Umber, id est, in Umbria Italiae regione natus et glande quercea nutritus, signatus; nam in agro Laurenti, qui est in Latio prope Ostiam, nutritus, bonus non est, ulva et arundinibus pinguefactus. Sic etiam capreae, quae in vineis aluntur, non semper sunt ad esum aptae. Sapiens autem, id est, subtilioris palati homo, boni saporis probe gnarus ex foecundis leporibus armos semper sectabitur, amabit, appetet. Per armos intellige carnem, quam lepus a dorso vel spina usque ad lumbos habet.

31) Praeceptum 11um Qualis esset piscium aviumque natura et bonitas, et qua aetate cujusque caro optime saperet, ante me nemo potuit dignoscere. Ante meum palatum, pro: ante me.

32) Sensus est: aliqui sunt, quorum ingenium et omnis industria in eo tantum posita est, si novam crustulam, id est, novum genus placentae promere, invenire, conficere possint.

33) In una re, id est, in uno ciborum genere.

Ut si [34]) quis solum hoc, mala ne sint vina, laboret,
Quali perfundat pisces securus olivo.
Massica [35]) si coelo supponas vina sereno,
Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura,
Et decedet odor nervis inimicus; at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.
Surrentina [36]) vafer qui miscet faece Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ovo;
Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
Tostis [37]) marcentem squillis recreabis et Afra
Potorem cochlea; nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho; perna magis, ac magis hillis
Flagitat immorsus [38]) refici; quin [39]) omnia malit,

---

34) Sensus: quemadmodum si quis laboret, id est, sollicitus esset, ne vitiosa vina adponeret, securus, h. e. negligens interim, quali olivo perfundat, incoquat pisces.

35) Praeceptum 12um De Massico vino in Campania vide L. I. od. 1. not. 19. Veteres minus callebant artem vina praeparandi et adservandi, quam recentiores. Eorum vina plerumque turbida fuerunt; Catius ergo praescribit hic, quomodo clara reddi possint, quin percolentur; si nimirum noctu aëri sereno exponantur. Sensus est: Massica vina tempore sereno sub dio collocata si quid nimis crassum, densum, turbidum habuerint, nocturna aura fient subtiliora, clariora, et perdent odorem, quo nervi offenduntur; sed omnem plane eadem vina saporem amittent lino vitiata, id est, vitium contrahent, si destillaveris, percolaveris per lineum sacculum. Vide L. I. od. 10. not. 9.

36) Sensus: qui vino Surrentino prudenter et provide miscet faecem Falerni, columbinis ovis bene utitur ad limum secernendum et faecem, quia vitellus ovi, imo succidens cado, quidquid vinum non est, id est, faecem secum trahit et devolvit. Est autem Surrentum urbs Italiae in sinu Puteolano in Campania. Ejus vina, ut odorem Falerni contraherent, in dolium fundebantur, in quo erat recens Falernum una cum faece. Vitellus est pars ovi flava et rotunda. De nobili vino Falerno, in Campania nato, jam saepius mentio facta est.

37) Praeceptum 13um Marcentem, id est, saturum et nauseantem potorem recreabis, adjuvabis, squillis et ostreis Africani maris, non autem lactuca; haec enim innatat stomacho acri h. e. impleto vini fervore acido; et stomachus, in quo esca natat, male se habet, at bene, in quo esca sedet. Squilla est species quaedam cancrorum marinorum.

38) Immorsus stomachus, h. e. mordendo incitatus stomachus; salsamenta enim, vel cibi sale macerati mordent, urunt, pungunt stomachum, et sic novum incitamentum ei immittunt. Hilla, hillae; vel, hilla, hillorum; genus quoddam farciminum est, fumo duratorum. Sensus igitur erit: potius pernis aut hillis stomachus, quae non innatant eidem, sed mordendo incitant quasi eum, reficiendus erit.

39) Sensus: quinimo marcens stomachus omnia fercula, quaecunque ex

Quaecunque immundis fervent allata popinis.
Est [40]) operae pretium duplicis pernoscere juris
Naturam. Simplex e dulci [41]) constat olivo,
Quod [42]) pingui miscere mero muriaque decebit
Non aliâ, quam quâ Byzantia putruit orca.
Hoc [43]), ubi confusum sectis nferbuit herbis,
Corycioque croco sparsum stetit, insuper addes
Pressa Venafranae quod bacca remisit olivae.
Picenis [44]) cedunt pomis Tiburtia succo;
Nam facie praestant. Venucula [45]) convenit ollis;
Rectius Albanam fumo duraveris uvam.
Hanc [46]) ego cum malis, ego faecem [47]) primus et allec [48])

immundis popinis allata fervent h. e. ferventia adferuntur malit, quam lactucam; pro vulgari: stomachus marcens longe cibos solidos, communes, praefert exquisitissimis.

40) Praeceptum 14um Magni omnino momenti est, plene habere cognitum, quae sit natura duplicis juris; per duplex jus autem intelliguntur duae species juris, nempe: jus simplex, et duplex h. e. magis compositum.

41) Dulci olivo, id est, recente non rancido oleo.

42) Sensus: hoc oleum miscere oportebit vino pingui et crasso atque muria, sed non alia, quam Byzantina. Muria est liquamen ex piscibus, nominatim ex thynnis; in genere autem muria est aqua seu liquor salsus. Orca testa est, in qua muria servabatur; hinc poëtice dicit: Sed non alia, muria scilicet, quam qua testa Byzantia putruit, id est, graviore odore oluit, pro: muria Byzantina.

43) Sensus: hoc, jus simplex, ubi sectis permistum herbis inferbuit, h. e. ebulliit igni impositum; et postea, croco Corycio sparsum, aliquamdiu bullire ac fervere desiit, addendum ei adhuc est aliquid olei, ex baccis Venafranis expressi, et secunda species juris parata erit. Corycum est oppidum et promontorium in Cilicia, ubi optimus crocus nascebatur. Sic etiam in agro Venafrano in Campania optimum oleum exprimebatur.

44) Praeceptum 15um Tiburtina poma sapore a Picenis vincuntur, sed superiora pulchritudine sunt. De pomis Picenis perstantibus vide L. II. sat. 3. not. 157. Tiburtia poma, id est, Tibure, nunc Tivoli, nata.

45) Venucula est uva, quae in ollis condi solebat, nos: Topfrosinen. Sensus: uva Venucula intra ollas condenda est; Albana vero melius fumo duratur, id est, durabilis redditur.

46) Egregie jam Horatius exprimit sermonem et ingenium eorum, qui se primos alicujus rei inventores esse, jactant. Ego, ait, sapiens ille lautarum epularum instructor, ego primus hanc uvam Albanam cum pomis, ego primus faecem et allec, et primus piper album, cum sale nigro per cribrum adspersum, puris catillis in mensa circumposuisse invenior, sive, inventor circumposuisse laudor.

47) Faex ista videtur esse eadem cum faecula Coa, de qua infra satyra 8. hoc est, faex usta, gebrannter Weinstein; fuit autem condimenti genus, quod purum profluebat ex sedimento vini Coi, et quod addebatur alleci.

48) Alec, allec, halec, hallex vel alex, vilioris pretii genus quoddam gari

Primus et invenior piper album, cum sale nigro
Incretum [49]), puris circumposuisse catillis.
Immane [50]) est vitium, dare millia [51]) terna macello,
Angustoque vagos [52]) pisces urgere catino.
Magna [53]) movet stomacho fastidia, seu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit,
Sive gravis veteri craterae limus adhaesit.
Vilibus [54]) in scopis, in mappis, in scobe, quantus
Consistit sumtus? neglectis, flagitium ingens.
Ten' [55]) lapides varios lutulenta radere palma [56]),

seu juris, ex visceribus scombrorum praecipue, fortasse halecum quoque et aliorum piscium marinorum confecti.

49) Incretum, admixtum, sc. cribro; nam incernere est, aliquid per cribrum alicui rei adspergere.

50) Sensus: at e contra pisces in macello magno pretio emere, eosque in angusto catino adponere ad maxima coenae vitia pertinet, id est: quemadmodum illas res v. g. uvam Albanam, faecem et allec et piper etc. parvis catillis; ita magnos pisces magnis catinis adponere decet. Rem ridicule exaggerat praeceptor, dum ea, quae inepte fiunt, ad immania vitia et ingentia flagitia refert.

51) Dare millia terna, scilicet, sestertium, pro: emere ingenti pretio, vide L. II. sat. 3. not. 19.; de Macello vide eadem sat. not. 139.

52) Vagos pisces, id est, pisces, qui ante in amplo mari circumvagabantur, nunc in angusto, parvo, catino urgere, condensare, constipare, ut alter alterum premat.

53) Sequitur nunc praeceptum 16um de munditie in adornandis epulis observanda. Sensus est: fastidium magnum et grave causant haec; si vel servus, dum aliquid escae, furtim e patina manibus surreptae, deglutit, et sic manus inquinat, unctis, id est, pinguibus digitis calicem attrectavit, tetigit; aut si limus gravis et foedus e veteri cratera vel vase non est detersus.

54) Sensus: quid expensarum fieri potest in vilibus scopis, ad pavimentum purgandum; in mappis, ad os vel manus in coena detergendas; et in scobe comparandis? id est: quam exiguo haec omnia parantur pretio? si tamen ea negligantur, valde indignum est. Scobs vel scobis significat ramenta, seu partes exiguas, quae arenarum instar ex solidis corporibus decidunt, dum aut lima raduntur, aut serra dividuntur; iis pavimenta e marmore et variis lapidibus strata operiebantur, ut vinum aut aquam a convivis aut ministris, ut fit, humi jactam combiberent.

55) Tene etc. est elegans loquendi ratio; infinitivus pendet ab ejusmodi fere verbis omissis: decetne, licetne, estne fas etc. Sensus est: non te pudet, pavimentum, varii coloris marmore stratum, lutulentae palmae ramo verrere, et toralia illota circumdare vestibus Tyriis, h. e. convivas Tyria indutos purpura in stragulis immundis excipere, parum curantem; quanto haec curam et sumtum leviorem requirunt, tanto, si negligas, aequius ea reprehendi, quam illa, id est, quam si non adhibeas illa, quae in divitum mensi adhiberi magno sumtu solent, quaeve nemo a te desiderat?

Et Tyrias dare circum illota toralia [57]) vestes,
Oblitum, quanto curam sumtumque minorem
Haec habeant, tanto reprendi justius illis,
Quae nisi divitibus nequeant contingere mensis?
Docte [58]) Cati, per amicitiam Divosque rogatus,
Ducere me auditum, perges quocunque, memento,
Nam quamvis referas memori mihi pectore cuncta,
Non [59]) tamen interpres tantundem juveris; adde [60])
Vultum habitumque hominis; quem tu vidisse beatus
Non magni pendis, quia contigit [61]): at mihi cura
Non mediocris inest, fontes ut adire remotos,
Atque haurire queam vitae praecepta beatae.

Satyra V.

Occasio et argumentum.

Dirutis Carthagine et Corintho, divitiae maximae ex omni terrarum orbe Romam confluxerunt, quae in paucorum tantum manus devenientes horum mores magis semper ac magis depravarunt, ita, ut, quo diffluentius atque luxuriosius hi viverent, eo major cupiditas habendi eos quoque incesserit homines inferioris sortis, quos fortuna opibus suis minus

56) Palmae ramos pro scopis etiam adhibebant veteres, sed illi vestigia relinquebant immunda, propterea palma dicitur lutulenta.

57) Toralia sunt externa integumenta, vestem stragulam tori vel lecti triclinaris a sorde munientia. Vestes quae stragulae dicebantur, erant panni elegantiores, quibus in solemnibus conviviis iidem sternebantur lecti, quaeve toralibus circumdabantur.

58) Loquitur jam Horatius: Cati erudite, obsecro et rogo te per istam benevolentiam tuam et Deos, deduc me, quocunque opus fuerit auditum, id est, ad audiendum illum magistrum tuum. Auditum, est supinum.

59) Id est: non tamen perinde mihi prodesse poteris explicando illa memoriter interpretis more, ac si ego ipse a magistro tuo, quem reticuisti, percipiam.

60) Id est: isti tuo beneficio, quo me instituisti, adde aliud beneficium majus, et fac, ut oculis usurpem vultum et habitum hominis istius, sc. magistri.

61) Quia contigit, id est: quia felici fato evenit tibi, ut eum videres et audires.

62) Sensus: at ego summo desiderio teneor, ut, tanquam a fonte, ab illo ipso vitae beatae praecepta hauriam.

largiter consperserat, et horum, qui nullas fraudium artes cupiditati suae satisfaciendi intentatas reliquerant, praecipue vero eorum abjectorum, qui, hereditates captantes, a Romanis heredipetae adpellati sunt, numerus in immensum augeretur. In hos itaque praesens Satyra directa est; forma ejus sicut praecedentium trium carminum est dramatica, qua personas alienas loquentes, suaque ipsius sensa explicantes inducit poëta. Res tota autem pendet ex iis, quae in Odyssea XI. 137. dicuntur de Ulysse; quem cum taederet longissimae a patria absentiae, hortata est Circe, cujus tum detinebatur praestigiis, ut ad inferos descenderet, Tiresiam vatem consulturus de rebus suis. Respondit iste rediturum illum brevi in domum suam, quod et factum est; sed ita, ut amissis navibus et sociis nudus in Ithacam enatarit. Ponitur in hoc carmine Ulysses rediens iterum Tiresiam consuluisse de modo reparandi res amissas; Tiresias id optime per hereditates, callidis artibus captandas, fieri posse respondens, has artes fusius pertractat, in iisque Ulyssem ironice instituendo simul mores Romanorum, misere depravatos, carpit et ante oculos ponit. Scripta est Satyra probabilius circa a. u. 719. Vide infra not. 48.

Hoc [1]) quoque, Tiresia [2]), praeter narrata petenti
Responde: quibus amissas reparare queam res
Artibus atque modis. Quid [3]) rides? Jamne [4]) doloso
Non satis est Ithacam [5]) revehi, patriosque penates
Adspicere? O nulli [6]) quidquam mentite, vides, ut
Nudus inopsque domum redeam, te vate [7]), neque illic
Aut apotheca [8]) procis intacta est, aut pecus [9]); atqui

1) Horatius lectorem in rem mediam rapit, nimirum in colloquium Ulyssis cum Tiresia. Sensus: praeter illa, quae hactenus mihi dixisti, hoc quoque responde, o Tiresia, quibus artibus fortunarum mearum jacturam resarcire potero.

2) Tiresias fuit vates Thebanus caecus; Apollo illi, ut caecitatem ejus beneficio solaretur, dedit artem vaticinandi.

3) Tiresias risisse ponitur Ulyssem, interrogantem de modo reparandi res suas, qui ipse dolosus et vafer satis multas ditescendi artes per sese inventurus esset. Ideo addit adhuc Ulysses: Cur rides?

4) Respondet Tiresias. Doloso: Ulyssis epithetum solenne, pro tibi.

5) Ithaca insula in mari Jonio, Ulyssis patria.

6) Ulysses: O Tiresia, qui nemini adhuc falsa praedixisti; cujus omnia vaticinia in effectum deducta sunt, vides etc.

7) Te vate, id est: ut tu ipse vaticinatus es.

8) Apotheca, seu, cella vinaria posita est pro omni penu; proci enim, qui nuptias Penelopes, uxoris Ulyssis, ambirent, ejus domum exhauriebant.

Et genus [10]), et virtus, nisi cum re, vilior algâ est. —
Quando [11]) pauperiem, missis ambagibus, horres,
Accipe, qua ratione queas ditescere. Turdus,
Sive aliud privum [12]) dabitur tibi, devolet illuc,
Res ubi magna nitet domino sene; dulcia poma,
Et quoscunque feret cultus tibi fundus honores [13]),
Ante Larem gustet venerabilior Lare dives;
Qui, quamvis perjurus erit, sine gente [14]), cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus [15]); ne tamen illi
Tu comes exterior [16]), si postulet, ire recuses. —
Utne [17]) tegam spurco Damae latus? haud ita Trojae
Me gessi, certans semper melioribus [18]). Ergo [19])
Pauper eris. Fortem [20]) hoc animum tolerare jubebo:
Et quondam majora tuli. Tu protinus [21]), unde

9) Aut pecus, id est: nihilque pecoris reliquerint.

10) Sensus: cum tamen et genus, id est, nobilitas, et virtus sine re, seu opibus, res omnino vilissimae et nullius valoris sint. Alga enim proverbiali locutione pro re vilissima ponitur.

11) Sensus est: quando quidem candide loqueris, et confiteris, te paupertatem horrere, audi a me, quo pacto divitiis possis affluere. Sunt haec verba Tiresiae.

12) Privum: peculiare et singulare aliquid. Sensus est: si quis te donaverit turdo, aut alia quavis re singulari et rara; tu illuc statim mitte, ubi amplarum opum dominus senex habitat. Idem a te accipiat poma dulcis saporis, et ex selectis frugibus, quascunque tulerit tibi fundus omni cura excultus; iisque etiam prius vescatur, quam Dii ipsi Lares, minore tibi cura venerandi, quam senex ille dives.

13) Honores, fructus insigniores, scilicet primitiae, quae offerri solebant Laribus.

14) Sine gente, id est, sine majoribus, ignobilis, obscura stirpe.

15) Fugitivus, servus scilicet, qui olim mancipium fuerit, et clam e domo heri aufugerit.

16) Exterior, id est, loco minus honorato, apud nos, sinistra parte. Interior is dicebatur, qui inter aedes, aut aliud quidpiam ejusmodi, quo ejus latus unum protegeretur, et comitem ambulabat, ipse vero comes exterior adpellabatur, sive dextrum latus occuparet sive sinistrum.

17) Ulysses: Ego ne alicui Damae, homini impuro et foedo, tegam latus? Ili sim comes? Qui aliquem honoris causa comitabantur, dicebantur illi latus tegere; comites enim eam partem eundo tegebant, quae magis erat exposita injuriae. Dama nomen erat commune servis apud Romanos.

18) Melioribus, id est, cum nobilioribus et praestantioribus, ut, Achille, Ajace etc. de honoris gradu certavi.

19) Tiresias: Ergo pauper manebis.

20) Ulysses: Fortem animum meum cogam etc.

21) Sensus: tu, cum augur sis, dic tantum aliam artem aliumque mo-

Divitias, aerisque ruam, dic augur, acervos. —
Dixi [22]) equidem, et dico. Captes astutus ubique
Testamenta senum: neu si vafer [23]) unus et alter
Insidiatorem praeroso [24]) fugerit hamo,
Aut spem deponas, aut artem illusus omittas.
Magna [25]) minorve foro si res certabitur olim,
Vivet uter locuples sine gnatis, improbus, ultro
Qui meliorem audax vocet in jus, illius esto
Defensor: fama civem causaque priorem
Sperne, domi si gnatus erit foecundave conjux. —
Quinte [26]), puta, aut Publi (gaudent praenomine [27]) molles
Auriculae) tibi me virtus tua fecit amicum;
Jus anceps novi, causas defendere possum:
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
Contemtum cassâ [28]) nŭcĕ pauperet: haec mea cura est,

dum, unde, id est, quo divitias et thesauros mihi comparem. Ruam, positum est pro: eruam, parem, colligam.

22) Tiresias loquitur: Dixi jam, et iterum repeto: callide et perpetuo captandae sunt senum hereditates. Captat testamentum, qui alicui blanditur, et muneribus, obsequiis, insidiatur, ut ab eo heres scribatur. Illi homines apud Romanos heredipetae, dicti sunt, ac senes divites, et filiis orbos, maxime sectabantur.

23) Vafer unus et alter, id est, senex unus et alter callidus, prudens.

24) Praeroso, id est, gustato hamo, ut piscis, qui arrosa esca elabitur piscatori.

25) Sensus est: si res, id est, lis aliqua, seu magni, seu levis momenti, disceptabitur in foro aliquando; esto illius defensor, qui e duobus locupletibus vivit sine filiis, qui nullas habet proles, licet improbus, et nulla injuria lacessitus, alium se longe meliorem, id est, aequiori longe causa et jure utentem audax in jus vocaverit: illum vero civem, cui filius aut foecunda conjux est domi, licet is tam bona fama quam causa, ex qua litem adversario suo intendit, sit potior, sperne, h. e. defensor ei adesse noli.

26) Quinte — neu sis jocus. Sententia est, et nexus: illum divitem senem, quem officiis tuis capere, et tibi devincire cupis ejusmodi verbis blandioribus alloquere: O Quinte v. g. aut Publi, nam praenomina, quibus familiariter se invicem adpellare solent amici atque propinqui, mollius et suavius ad aures accidere videntur, non mea causa tibi sum amicus, sed tuae virtutis studio et admiratione; ego juris ambigui, de quo in utramque partem disputatur peritus sum, et causas haud male defendere scio; ante mihi oculos quis eruat, quam tibi vel minimam rem eripiat, te cassa nuce faciat pauperiorem; hoc in me sumo curandum, ne quid perdas, neque sis ludibrio adversariis tuis.

27) Romanis civibus erant vulgo tria nomina: praenomen, ut Marcus, Quintus etc., quod singulos a singulis ejusdem familiae distinguebat; nomen ut Tullius, quod familias disceruebat; et cognomen, quod ab eventu aliquo impositum posteros etiam sequebatur, ut Coriolanus etc.

28) Cassa nux, est inanis, vacua.

Ne quid tu perdas, neu sis jocus. Ire [29]) domum atque
Pelliculam curare jube; fi cognitor [30]) ipse;
Persta [31]), atque obdura, seu rubra canicula [32]) findet [33])
Infantes [34]) statuas; seu pingui tentus omaso
Furius [35]) hibernas cana nive conspuet Alpes.
Nonne [36]) vides (aliquis cubito stantem prope tangens
Inquiet) ut patiens! ut amicis aptus! ut acer!
Plures annabunt thunni, et cetaria crescent.
Si cui [37]) praeterea validus male filius in re
Praeclara sublatus aletur, ne manifestum
Caelibis obsequium nudet te, leniter in spem
Adrepe officiosus, ut et scribare secundus
Heres, et, si quis casus puerum egerit Orco,
In vacuum venias: perraro haec alea fallit.

29) Sensus: roga illum, ut otiosus sit, domi se contineat, tua fide ac diligentia fretus, et fias, sis cognitor, id est, causam illius promove, cognitoris munere apud ipsum fungens.

30) Cognitor, est forensis vox, eum significans, qui praesentis causam, cum probe notam habeat, tuetur ut suam. Procurator autem dicitur is, qui absentis causam defendit. Hic autem per cognitorem procuratorem seu paronum intelligendum esse, satis patet, quia litigator dives domi pelliculam curare jubetur.

31) Persta, h. e. constanter urge causam, et obdura, id est, persevera in negotio; sive solis ardor, sive hiemis frigus tibi perferendum est.

32) Canicula posita est pro aestatis maximo calore, quia, oriente hac stella una cum sole mensibus Julii et Augusti, aestus maxime fervet.

33) Findet. Dicuntur statuae, ex ligno recens factae, solis aestu findi et dissilire.

34) Infantes, id est mutas statuas.

35) Furius cognomine Bibaculus, prumam describens, hoc versu tumido usus est: Jupiter hibernas cana nive conspuit Alpes. Ut itaque obiter hunc poëtam rideat, in circumscriptione hac frigoris ineptam locutionem poëtae illius risui exponit. Idem etiam valet de circumscriptione caloris aestivi: qui statuas infantes findit; nisi forte poëta noster Furium facete imitari voluisse putandus sit. Omasus, est pingue intestinum; ac proinde: pingui tentus omaso, idem est ac, homo obesus, adipe distentus, qualis Furius erat.

36) Nonne vides, dicet aliquis ad prope se stantem, eum cubito pulsans, quanta sit hominis hujus patientia! quantus ejus in amicum amor! quam acer, strenuus et diligens in opere pro amico persolvendo! Et sic plures thunni ad te ultro natabunt, et magnis piscibus implebuntur vivaria tua, id est: hac arte plures ditiorum senum capies, et sic res tuae crescent. Divites senes comparantur cum thunnis. Cetaria autem sunt stagna, piscinae marinae, in quibus capti pisces aluntur, unde etiam dicuntur vivaria.

37) Sensus: praeterea si quis in re praeclara, id est, dives, in re copiosa, filium habeat male validum h. e. aegrum, infirmae valetudinis sublatum, educatum; ne nudet, id est, ne prodat, detegat se fraus tua, ac si nullos alios, quam viduos et uxore carentes captares, tam sedulo illis obsequendo; sensim te illi per varia officia insinuabis, sperans fore, ut saltem secundo loco heres ab illo instituaris; et, si quo casu filius in Orcum iverit, id est, mortuus fuerit, vacuum tu occupes locum: hic ludus, haec ars, hoc ditescendi periculum raro fallit, in vanum abit.

Qui [38]) testamentum tradet tibi cunque legendum,
Abnuere, et tabulas a te removere (memento [39]):
Sic tamen, ut limis [40]) rapias, quid prima secundo
Cera [41]) velit versu; solus multisne cohaeres,
Veloci percurre oculo. Plerumque [42]) recoctus
Scriba ex quinqueviro [43]) corvum deludet hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica [44]) Corano.
Num [45]) furis? an prudens ludis me, obcura canendo?

38) Qui — cunque, pro: quicunque.

39) Memento, id est: vide, ut renuas, et tabulas testamenti a te rejicias.

40) Limis rapias, hic est, obliquis oculis raptim inspicias, quid in prima tabula testamenti scriptum sit, an tu secundo versu, id est, secundo capite heres scriptus sis; atque an solus vel cum aliis pluribus sis heres constitutus, uno ictu oculi legas.

41) Prima cera, id est, prima tabula, quia in tabulis ceratis scribebantur antiqui. Per secundum versum autem designatur secundum caput vel paragraphus; nam in primae tabulae secundo versu coheredis nomen continebatur. Quid velit, id est, quid praeferat, quid contineat.

42) Sensus est: non raro enim fieri solet, ut ex quinqueviro scriba factus, longo rerum usu vaferrimus, deludat ac frustretur, decipiat captatorem suum, vulpi similis Aesopicae, quae delusit corvum, qui ore patulo surripuit caseum: sicut etiam Nasica, deludetur a Corano, quem captare, id est, decipere, volebat; illique jocos dabit.

43) Quinqueviri non tam erant, ut videtur, magistratus ordinarius, quam commissa ad tempus procuratio alicujus administrationis, quae pro numero personarum mutabat adpellationem, eratque modo duumviratus, modo triumviratus etc. Hic ergo, quinquevir, positum est pro temporaneo munere quovis. Scriba, qui acta publica, magistratuum edicta, senatus consulta etc. scribebat.

44) Rem Romae tum temporis gestam tangit hic Horatius, quam Tiresias vaticinans praenuntiare fingitur; quapropter eam infra etiam ut futuram exponit. Est autem sequens: Nasica hereditatis locupletis obtinendae spe filiam suam Corano nuptui dedit, nolens reddere solidum aes alienum, quod debebat forte ipsi Corano, et sperans aut condonandum et remittendum sibi hoc aes alienum, aut magnas certe opes testamento et hereditate Corani ad se venturas. Coranus moriturus hoc fecit: vocavit Nasicam, tabulas testamenti sui legendas illi dedit; Nasica, se heredem scriptum esse non dubitans, recusavit primo legere; legit tandem, et invenit alium heredem a Corano institutum esse, nullamque sui factam esse mentionem.

45) Ulysses interpellit Tiresiam: Num te, ut vatem, furor agit, id est:

O Laërtiade[46]), quicquid dicam, aut erit aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.
Quid[47]) tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.
Tempore[48]) quo juvenis Parthis horrendus, ab alto[49])
Demissum genus Aenea, tellure marique
Magnus[50]) erit, forti[51]) nubet procera Corano
Filia Nasicae, metuentis reddere soldum[52]).
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit, atque
Ut legat, orabit; multum Nasica negatas
Accipiet tandem et tacitus leget, invenietque
Nil sibi legatum, praeter plorare[53]), suisque.
Illud[54]) ad haec jubeo: mulier si forte dolosa
Libertusve senem delirum temperet, illis
Accedas socius: laudes, lauderis ut absens:
Adjuvat hoc quoque; sed vincit longe prius ipsum

num furore divino afflatus et numine loqueris? an prudens, id est, sciens ac volens, dum canis obscura, quae nemo intelligit, me ludis?

46) Tiresias. Sensus: non ego te Ulysse ludo; quidquid dicam, futurum esse, id fiet; ac quicquid dicam, non futurum esse, id non fiet; nam divinandi facultatem mihi magnus Apollo donavit. Vide supra not. 2.

47) Ulyssis verba sunt. Si licet, id est, si fas est, ede, expone, narra mihi.

48) Tiresias fabulam nunc vaticinando narrat. Vide supra not. 44. Juvenis horrendus Parthis est Augustus. Si conjecturam facere licet, forsitan haec satyra scripta est circa a. u. 719: ab hoc tempore enim, quo Antonius implicatus amore Cleopatrae, gravioribus belli curis minus idoneus, a Parthis varie devictus est, Augustus solus Parthis metuendus dici poterat. Erat tunc Augustus 29 annos natus, ita ut eidem etiam conveniret adhuc Juvenis adpellatio. Videtur enim hoc loco describi res fere praesens.

49) Ab alto genus demissum Aenea, id est: qui originem suam ab augusta stirpe Aeneae repetit. Octavianus enim, a Julio Caesare adoptatus, factus est consors gentis Juliae, cujus auctor Julius vel Ascanius, Aeneae filius, esse dicitur.

50) Terra marique magnus et clarus etiam dici poterat hoc tempore Augustus; devicto enim Sexto Pompejo a. u. 718, devicit etiam rebellantes populos in Japydia, Pannonia et Dalmatia subsequentibus annis.

51) Forti, h. e. seni vegeto Corano. Procera, id est, grandis filia.

52) Soldum, pro: solidum, integrum aes alienum.

53) Nihil sibi aut suis legatum esse, praeter lacrimas et ploratum. Est haec Graeca locutio (praeter plorare), plorare vero jubentur, qui miseri aut decepti sunt.

54) Sequitur hic aliud praeceptum, ad captandi artem pertinens, scil. de familiaritate cum domesticis ineunda. Sensus est: hoc insuper te admoneo, si forte delirantis senis animum callida femina, aut libertus temperent, regant, gubernent, socium te illis adjunge; eos lauda, ut absentem et ipsi vicissim te laudent: juvat hoc quidem etiam; sed longe efficacius est, si senem ipsum tibi ipse concilies.

Expugnare caput. Scribet[55]) mala carmina vecors?
Laudato: scortator[56]) erit? cave te roget: ultro
Penelopen facilis potiori trade. Putasne[47])
Perduci poterit tam frugi tamque pudica,
Quam nequiere proci recto depellere cursu?
Venit[58]) enim magnum donandi parca juventus,
Nec tantum Veneris, quantum studiosa culinae;
Sic tibi Penelope frugi est: quae[59]), si semel uno
De sene gustârit tecum partita lucellum,
Ut canis a corio nunquam absterrebitur uncto.
Me[60]) sene quod, dicam, factum est: Anus improba Thebis[61])
Ex testamento[62]) sic est elata: cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit heres:
Scilicet elabi si posset mortua; credo,
Quod nimium institerat viventi. Cautus[63]) adito:
Neu desis operae, neve immoderatus abundes.

55) Sensus: si vecors ille senex, id est, tamquam ineptus poëta malos versus scripserit; lauda illos, ut optimos.

56) Sensus: quod si scorta amaverit; noli exspectare, donec ille te roget; sed facilis, id est, officiosus ultro illi offer tuam uxorem Penelopen potiori, h. e. tanquam ei, qui te dignior, tibique praeferendus sit.

57) Ulyssis verba sequuntur. Perduci, id est, persuaderi. Frugi, dativus est a frux, id est, utilitas; idem ergo hoc loco ac, proba. Pudica, pro: casta. Recto depellere cursu, id est, a recto virtutis tramite seducere. Vide supra not. 8.

58) Tiresias respondet. Ordo est: sic tibi Penelope frugi est; ideo proba et casta non poterat seduci, quia venerant tantum juvenes ad eam admodum parci, qui magis culinam Penelopes, quam ipsam amarunt.

59) Sensus: ast si semel amplis a sene quodam donata fuerit muneribus; diviso tecum lucro, tam parum ab illo divelli poterit, quam canis a corio inuncto et pingui.

60) Sensus: narrabo nunc quid me sene, id est, dum ut senex adhuc viverem in terris, contigerit.

61) Thebis in urbe Boeotiae. Anus improba dicitur, non propter mores dissolutos, sed ob mandatum ingeniose in testamento excogitatum. Apud nos quoque non sensu proprio, sed jocose nonnunquam aliquis vocatur: gottfos.

62) Testamento cavit, ut sic ad sepulcrum efferretur: jussit nimirum, ut ille, quem heredem scripserat, nudis humeris cadaver suum, unctum oleo largiter, efferret, portaret; credo eam propterea hoc jussisse, ut experiretur, possetne illum effugere defuncta, quem a se vivens repellere nunquam poterat. Athlethae corpus ungebant oleo, ut ab adversariis non tam facile capi possent, ut iis elaberentur.

63) Sensus: tu ergo cautior sis in captando sene tuo; fac nihil tuae in ipsum observantiae, nihil officiis desit; sed vide etiam, ne nimius sis.

Difficilem [64]) et morosum offendes garrulus; Ultro
Non etiam sileas. Davus [65]) sis comicus, atque
Stes capite obstipo, multum similis metuenti.
Obsequio [66]) grassare: mone [67]), si increbuit aura,
Cautus uti velet carum caput: extrahe turba
Oppositis humeris: aurem substringe loquaci.
Importunus [68]) amat laudari? donec, Ohe jam!
Ad caelum manibus sublatis, dixerit, urge, et
Crescentem [69]) tumidis infla sermonibus utrem.
Cum [70]) te servitio longo curaque levarit,
Et certum vigilans, Quartae esto partis Ulysses,
Audieris, heres: ergo nunc Dama sodalis
Nusquam est? unde mihi tam fortem, tamque fidelem?
Sparge subinde: et, si paulum potes, illacrimare. Est
Gaudia [71]) prodentem vultum celare. Sepulcrum,
Permissum [72]) arbitrio, sine sordibus [73]) exstrue: funus
Egregie factum laudet vicinia. Si quis

64) Difficiles, id est, fastidiosi et asperi senes vix ferre possunt nimiam garrulitatem, neque tamen sileas data opera, sive consulto.

65) Sensus: imitare Davum illum, servum in comoedia, qui dum suas artes agit, timide ac reverenter cum hero loquitur; sta obstipo, depresso ad terram inclinato capite, sic, ut timere videaris.

66) Obsequio grassare, id est, dum quovis obsequii genere placere studes, procede et perge ad metam propositam, scil. ad divitis senis animum tibi conciliandum.

67) Sensus: si ventus vehementior spirat, mone illum, ut tam carum, caput defendat; si fuerit turba compressus, objectis propriis humeris illum extrica, defende; et si fuerit verbosus, aurem patienter praebe. Substringe idem ac, arrige aures, seu arrectas aures loquaci accommoda.

68) Importunus, id est, qui amat laudari usque ad importunitatem. Sensus: si admodum cupidum videris laudum suarum, cumula et obrue illum tamdiu laudibus, donec, sublatis in caelum manibus, ohe, jam satis est! dixerit.

69) Lepide hic laudator, qui vanas laudes spargit vel adflat, cum vento; laudatus vero, qui vanas laudes recipit et iis intumescit, cum utre, cui ventus immittitur, comparatur.

70) Sensus et nexus: quod si vero senex mortuus fuerit, et tu, non somnians de hereditate, sed revera vigilans audieris haec: Ulysses quartae partis heres esto; tum sparge subinde ejusmodi sermones: ergo sodalis meus Dama nusquam in hac terra amplius reperitur? Unde alium mihi tam fortem et fidelem parabo? et, si paulum potes, illacrima.

71) Sensus: licebit, intererit, juvabit lacrimando animi laetitiam de hereditate, in vultu expressam, occultare.

72) Permissum arbitrio, id est, tuae curae et arbitrio commissum.

73) Sine sordibus, pro: sine sordida avaritia, splendide igitur et magnifice

Forte coheredum senior male [74]) tussiet, huic tu
Dic, ex parte tua seu fundi sive domus sit
Emtor, gaudentem nummo [75]) te addicere. Sed me
Imperiosa [76]) trahit Proserpina: vive valeque.

Satyra VI.

Occasio et argumentum.

Vehementissimo Horatii desiderio, rure ita vivendi, ut, ab omnibus officiis negotiisque urbanis remotus ac liber, tempus in otio transigat, per villam Sabinam, quam a Maecenate donatam acceperat, non penitus satisfactum fuerat. Gratus enim animus, quo in Maecenatem, cui omnia sua debebat, ducebatur, aliaeque forsan adhuc circumstantiae ruris amantem poëtam in urbe saepius delitescere cogebant. Desiderium itaque illud ruris et otii vehementissimum hoc in carmine, quod Romae scriptum esse supponitur, exprimit. Exordio quasi praemisso, in quo Mercurium rogat, ut villam, ultra quam nihil prorsus desiderat, integram sibi servet ac tueatur, transit ad enumeranda varia et inamoena urbis negotia, eaque cum amoenitatibus ruris conferendo, has describendas adgreditur ita, ut, summo desiderii adfectu abreptus, iisdem quasi praesens fruatur. In fine tandem fabellam, de mure rustico ab urbano invitato, artificiose adeo intexit, quo episodio primarium carminis argumentum: Vitam rusticam urbanae longe praeferendam esse, plurimum illustratur et confirmatur. Referendus est hic sermo ad annum circiter u. 720. Vide infra not. 38.

Hoc [1]) erat in votis: modus [2]) agri non ita magnus,
Hortus, ubi et tecto [3]) vicinus jugis aquae fons,

74) Mala seu periculosa, vehemens tussis non raro propinquae mortis index est. Sensus est ergo: si quis coheredum ob senectutem tussi vexatus fuerit, ita, ut brevi moriturus esse judicetur; huic tu dic, te, sive ille fundi, sive domus ex tua hereditatis portione emtor esse velit, gaudentem, id est, promto paratoque animo ei vilissimo pretio addicere velle.

75) Nummus, id est, sestertius pro vili quolibet pretio hic ponitur. Vide L. II. sat. 3. not. 19.

76) Umbrae scilicet ex Orco in lucem emissae ex imperio saevae Proserpinae dicta hora in Orcum redire debebant.

1) Hoc erat in votis, id est, optaveram mihi agrum, hortum, fontem etc.

2) Agri modus non ita magnus, hoc est, cujus ambitus non magnae sed exiguae mensurae est.

3) Tecto vicinus jugis aquae fons, pro: non longe a domo positus fons jugiter, seu, perenniter fluens.

Et paulum silvae super[4]) his foret: auctius[5]) atque
Dî melius fecere. Bene[6]) est! nihil amplius oro,
Maja[7]) nate, nisi ut propria[8]) haec mihi munera faxis,
Si[9]) neque majorem feci ratione mala rem,
Nec sum facturus vitio culpave minorem;
Si[10]) veneror stultus nihil horum: O[11]) si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
O si[12]) urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi,
Thesauro invento qui mercenarius agrum,
Illum ipsum mercatus, aravit, dives amico
Hercule[13]); si[14]), quod adest, gratum juvat; hac prece te oro,
Pingue pecus domino facias, et cetera, praeter
Ingenium[15]), utque soles, custos mihi maximus adsis.
Ergo[16]) ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,

4) Super his, pro: insuper, praeterea.

5) Sensus: Dii vero plus mihi aliquid meliusque dederunt, largiti sunt.

6) Id est, satis est, contentus sum.

7) Mercurius fuit Majae filius, vatum Deus, idemque divitiis et lucro praeest. Vide Mythol.

8) Propria, id est, perpetua, stabilia, ita ut eorum usus et fructus nunquam imminuatur. Faxis, pro: facias.

9) Sensus est: si neque foedo lucrandi genere, fraude, opes meas unquam augere et amplificare studui, neque eas vitii h. e. turpis luxuriae culpa imminuam atque profundam.

10) Sensus: si non sum unus horum hominum, stulte ita precantium; si veneror, si exopto nihil horum, quae alii sibi exoptare solent. Sequuntur nunc illae stultae precationes.

11) Sensus: o utinam angulus ille vicini agri ad meum accedat, quem nunc angulus ille denormat, h. e. deformat, denormem et inaequalem reddit.

12) Ordo est: o si fors, seu fortuna quaedam mihi monstret urnam argenti, id est, thesaurum, sicut illi mercenario monstravit, qui, postquam thesaurum Hercule favente invenisset in agro, quem ut mercenarius colebat prius, postea, dives factus illo invento thesauro, ipsum hunc agrum emit, et jam ad se pertinentem aravit.

13) Hercule amico, id est, dum ei favebat Hercules. Favere enim credebatur Hercules ejusmodi lucris insperatis.

14) Id est: sed si, quod adest, quod possideo, me gratum, h. e. grati animi hominem juvat, delectat; si eo, quod possideo, contentus sum; hoc tantum, fili Majae, Mercuri, te rogo, ut mihi domino pecus quidem pingue facias, et cetera, quae in agris pinguescere debent, sed non meum ingenium, atque ut, quemadmodum consuevisti, pergas potentissimus custos mihi adesse.

15) Non vult ingenium pingue, quia idem est, pingue, ac stupidum, quoties de ingenio agitur.

16) Quae praecessere exordii cujusdam loco hactenus fuerant; hic jam rem adgreditur ipsam, urbanae vitae incommoda cum secessus et otii commodis

(Quid[17]) prius illustrem satyris Musaque pedestri?)
Nec[18]) mala me ambitio[19]) perdit, nec plumbeus Auster[20])
Auctumnusque[21]) gravis, Libitinae[22]) quaestus acerbae.
Matutine[23]) pater, seu Jane libentius[24]) audis,
Unde[25]) homines operum primos vitaeque labores
Instituunt; sic[26]) Dîs placitum; tu carminis esto
Principium. Romae[27]) sponsorem me rapis. Eja,
Ne prior officio quisquam respondeat, urge!

comparans. Ergo ubi me removi, id est: postquam igitur me recepi in montes meos Sabinos etc. Per arcem designavit Horatius villam suam, tamquam locum perfugii, ubi a vitae urbanae molestiis, curis et negotiis remotus in tuto vivebat.

17) Felicitatis sensu in villa sua penitus perculsus poëta non poterat sibi temperare, quin media in oratione hanc sententiam interponat: quam tandem rem hac secessus mei felicitate prius carmine celebrem! Satyris, et pedestri sermonum meorum Musa, sunt synonyma, posita pro satyrico carmine, cujus sermo est pedester et simplex plerumque.

18) Hic, in villa nempe, non me perdit, id est, non me divexat.

19) Mala ambitio, pro: molestum gratiae captandae studium.

20) Auster, ventus meridionalis, omnia exsiccat hominesque reddit plumbeos, h. e. inertes.

21) Auctumnus dicitur gravis, quia valetudini solet esse noxius ob aëris gravitatem.

22) Libitinae quaestus, id est, quo tempore, nimirum auctumno, plurimum quaestum faciunt ii, qui curant funera, et Libitinarii dicebantur, a Libitina, quae Dea est funerum, in cujus templo ad mortuorum sepulturam necessaria aut vendebantur, aut locabantur. Acerba autem adpellatur, quia omnia, quae ad mortem aut funera pertinent, ita depinguntur a poëtis.

23) Janum temporis Deum antiqui credidere; unde et illum tamquam principem quemdam Deum, a quo inciperent, et in quem desinerent omnia, coluerunt. Ille anni et mensium, ille diei dominus habebatur, aperiens universa et claudens; fuit etiam bifrons, ut praeterita pariter et futura respiceret. Vide Mith. Talis ergo cum esset, ab ejus cultu omnia incipiebant, ut et hanc descriptionem Horatius, in qua urbis infinita officiorum negotiorumque genera depicturus a matutinis incipiens Janum invocat. Matutinus idem pater est dictus, quia ejus nomine non raro Sol veniebat, vel etiam a diei ortu et prima parte.

24) Libentius audis, id est, magis delectaris Jani nomine ac compellatione.

25) Unde, id est, a quo instituunt, incipiunt.

26) Sic placitum, h. e. sic Dii volunt.

27) Janum dispertientem quasi, et assignantem cuique diurnos labores adpellare pergit. Sensus: si in urbe versor, mane statim sponsorem me in forum properare jubes. Eja, ais, urge, age, propera, ne quis te prior huic officio satisfaciat! De sponsoribus et vadimoniis vide L. I. sat. 1. not. 13.

Sive aquilo radit[28]) terras, seu bruma nivalem
Interiore diem gyro[29]) trahit, ire necesse est.
Postmodo[30]), quod mî obsit, clare certumque locuto
Luctandum in turba et facienda injuria tardis.
Quid[31]) tibi vis, insane, et quam rem agis improbus? urget
Iratis precibus, tu pulses omne, quod obstat,
Ad Maecenatem memori si mente recurras.
Hoc juvat, et melli est, non mentiar. At simul atras
Ventum est Esquilias[32]) aliena negotia centum
Per[33]) caput et circa saliunt latus. Ante[34]) secundam
Roscius orabat sibi adesses ad Puteal[35]) cras.

28) Radit, id est, perflat vehementer ventus septemtrionalis, quia vehementia sua terram quasi abradendo purgat et exsiccat.

29) Gyro interiore, pro, circulo breviore. Dies enim in bruma sunt brevissimi, et sol, qui circa terram ut centrum et metam volvitur, propior est, ut adparet et quemadmodum veteres crediderunt, terris hieme quam aestate; circuli vero, quo sunt interiores, hoc est, quo magis ad centrum accedunt, eo sunt breviores et minores. Sensus: sive hiems dies, quibus terra nive contegitur, trahit, contrahit, breviores reddit; vulgaris sententia est: qualiscunque fuerit tempestas, ire ad spondendum debeo.

30) Sensus: postmodo, ubi clara voce et certa fide promisi, quod mihi obsit, damno esse possit (sponsio enim damno est sponsori, si ei vere praestandum est, quod se pro aliquo praestare velle promisit) redeunti mihi e foro luctandum est in turba hominum, vi submovendo eos, qui tarde procedunt.

31) Contextus: jam unus ex iis, per quos cubito viam mihi feceram, iratis imprecationibus me insectatur ejusmodi: o improbe, insane, quid tibi vis? quid hoc rei est? tune quidquid tibi obsistit verberes, ut, quem unum cogitas Maecenatem tuum, quamprimum adeas? Et fateor, nihil sane contingere mihi potest hoc ad Maecenatem reditu jucundius, nihil dulcius.

32) Atras Esquilias, id est, ad Maecenatis aedes et hortos, qui erant in Esquiliis, quae est regio Romae. Atrae autem dicuntur, quia prius ibi erat sepulcretum. Vide L. I. sat. 8. not. 6 et 7.

33) Per caput et circa latus saliunt, expressio proverbialis, pro: alia negotia mihi occurrunt, me obruunt, premunt.

34) Ordo est: Horati, inquit aliquis servorum, memineris, te rogatum a Roscio fuisse, ut sibi hodie adesses ad Puteal ante horam ab sole orto secundam. Cogita, servum aliquem Horatio sub ejus ad domum Maecenatis adventu jam referre, qui adfuerint in ejus absentia, et quid precibus ab eo impetrare voluerint.

35) Puteal; proprie putei operculum, murus, qui puteum cinxisse videtur in formam quadrati. Fuerunt autem Romae in foro duo putealia, alterum in Comitio, ubi jus dicebat Praetor, alterum ad arcum Fabianum a Scribonio Libone jussu senatus excitatum, ubi feneratores convenire et fenus exercere solebant. Ad posterius, quod Puteal Libonis dicitur, respexit jam Horatius, ubi Roscio in re pecuniaria adesse debebat.

De re communi[36]) scribae magna atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quincte, reverti.
Imprimat[37]) his, curâ, Maecenas signa tabellis.
Dixeris, Experiar: Si vis, potes, addit et instat.
Septimus[38]) octavo propior jam fugerit annus,
Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
In numero, duntaxat[39]) ad hoc, quem tollere rheda
Vellet iter faciens, et cui concredere nugas
Hoc genus: Hora quota est? Threx[40]) est Gallina Syro par?
Matutina parum cautos jam frigora mordent:
Et quae rimosa bene deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus subjectior[41]) in diem et horam
Invidiae. Noster[42]) ludos spectaverat una,
Luserat in campo: Fortunae filius! omnes.
Frigidus[43]) a Rostris[44]) manat compita rumor;

36) Sensus: rogabant, porro nuntiat servus, scribae, ut pro re sibi communi, magni momenti et haud vulgari revertaris in urbem; Horatius enim ipse fuit scriba et quidem Quaestorius.

37) Porrigit alius mihi tabellas, rogans, ut eas a Maecenate consignandas curem; si dixeris, id est, si dicam experiar, conabor efficere; si velis, subjicit, omnino potes, et urget. Maecenas nomine Augusti, a quo annulum signatorium acceperat, tabellis sigillum imprimere, sive eas consignare solebat.

38) Septimus octavo propior, id est, septimus annus jam ad finem vergit. Ex hoc et sequenti versu colligere licet satyram hanc circiter scriptam esse a. u. 720. In amicorum enim numero jussit esse Maecenas Horatium anno aetatis ejus 23. et urbis 713. Vide Vitam Horatii.

39) Duntaxat ad hoc, id est, eo tantum consilio, ut, cum iter faceret, me secum esse in rheda juberet, et me de rebus levissimis interrogaret, v. g. Quota jam hora est? num gladiator Gallina Syro par est pugnando? Matutinum frigus nocet hac tempestate parum cautis, id est, indutis levius; aliaque ejusmodi nullius momenti, quae bene, id est, secure, sine omni cura deponuntur in aure rimosa, h. e. pervia, quae tribuitur homini, qui, quae audivit, temere effutit. Metaphora ducta est a vasis rimas habentibus, et quidquid in ea liquoris injicitur, effundentibus.

40) Threces fuerunt gladiatores ab armis Thraciis ita dicti, quae gestarunt; plura enim fuerunt gladiatorum genera; sic alli Samnites dicebantur ab armatura Samnitica; alii Galli, quia Gallicis armis erant induti etc.

41) Subjectior, id est, magis in dies et horas expositus fui invidiae.

42) Sensus: si Maecenas una mecum ludos spectaverat, vel una mecum in Campo Martio luserat, et sic singularem mihi favorem probaverat, tum omnes clamarunt: Horatius fortunae est filius! per: noster, designatur Maecenas, qui Horatium inter suos amicos receperat.

43) Frigidus rumor; qui horrorem incutit, ac proinde, tristior, v. g. de Dacis rebellantibus, vel de funesto proelio aliquo. Manat, id est, divulgatur a Rostris per compita, seu urbis vicos; ad rostra enim maxima hominum frequentia confluebat.

Cuicunque[45]) obvius est, me consulit; O bone, (nam te
Scire, Deos[46]) quoniam propius contingis, oportet,)
Numquid de Dacis[47]) audisti? Nil[48]) equidem. Ut[49]) tu
Semper eris derisor! at omnes Dî exagitent[50]) me,
Si quicquam. Quid? militibus promissa Triquetra[51])
Praedia Caesar, an est Itala tellure daturus?
Jurantem me scire nihil, mirantur[52]), ut unum
Scilicet egregii mortalem altique silentî
Perditur[53]) haec inter misero lux, non sine votis:
O rus, quando ego te adspiciam? quandoque licebit,
Nunc veterum libris[54]), nunc somno et inertibus[55]) horis
Ducere[56]) sollicitae jucunda oblivia vitae?
O quando[57]) faba Pythagorae cognata, simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo?

44) Rostra erant cathedrae quaedam et suggestus in foro, unde orationes ad populum habebantur; ejus aliqua pars lignea confecta erat ex rostris navium. Vide Geogr. Antiqu. et Liv. Lib. 6.

45) Cuicunque obvius est, rumor nempe, id est, omnes qui illum audiunt, me consulunt, interrogant.

46) Deos quoniam propius contingis, id est, quia cum Augusto et Maecenate familiariter vivis.

47) Daci, iidem, qui Getae, populi Scythiae, illi bellum meditari dicebantur eo tempore.

48) Nil equidem; Horatius respondet.

49) Sensus: semperne, ajunt illi sciscitantes, finges te nihil scire, nosque illudes; qui enim, quod scit, se nescire ait, alios hac dissimulatione ludit.

50) Pro vulgari: Dii me perdant, si quidquam scio, raspondet Horatius.

51) Triquetra, apud Graecos Trinacria, est insula Sicilia, sic dicta, quia trianguli speciem refert. Videntur autem interrogare hic illi, novarum rerum cupidi, de agris proscriptorum ob arma pro S. Pompejo gesta, quos anno proxime superiore promissos militibus suis nondum diviserat Augustus.

52) Mirantur me, ut hominem profundae inusitataeque taciturnitatis.

53) Sensus: his molestis occupationibus tota dies infeliciter consumitur voventi: o rus! etc.

54) Libris veterum, legendis scil.

55) Inertibus horis, id est, otio.

56) Sensus: turbulentae istius vitae sollicitudines oblivisci. Oblivia ducere. Hic Horatius cogitasse videtur de Lethe, e quo advenientes umbrae longa oblivia ducere, potare dicuntur.

57) Dicuntur haec ex doctrina Pythagorae, qui ideo traditur a comedendis fabis abstinuisse, quia transmigrationem animarum usque ad fabas extendit; verebatur enim, ne aliquid sibi cognatum voraret in faba. Vide L. I. od. 23. not. 12. Haec salse admodum ridet Horatius optans: o quando faba, adfinitate Pythagorae illustris, mihi adponetur cum olusculis seu oleribus, lardi sufficiente copia pinguefactis?

O[58]) noctes coenaeque Deûm, quibus ipse meique
Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus. Prout[59]) cuique libido est,
Siccat inaequales calices conviva solutus
Legibus insanis; seu[60]) quis capit acria fortis
Pocula, seu modicis uvescit laetius. Ergo[61])
Sermo oritur non de villis domibusve alienis,
Nec, male necne Lepos[62]) saltet; sed, quod magis ad nos
Pertinet et nescire malum est, agitamus[63]): utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati?
Quidve[64]) ad amicitias, usus rectumne, trahat nos?
Et[65]) sit natura boni, summumque quid ejus?
Cervius haec inter vicinus garrit aniles
Ex[66]) re fabellas. Si quis[67]) nam laudat Arelli
Sollicitas ignarus opes, sic incipit: Olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse[68]) cavo, veterem vetus hospes[69]) amicum;

58) Amoenitates porro ruris ita depingit, ac si praesens iis frueretur. Sensus: o noctes et coenae Diis dignae, quibus ipse cum meis domesticis vescor, recreor coram Laribus propriis, id est, in propria domo, libatos, degustatos a me cibos laetis distribuens servis. Vernae procaces, idem ac, servi lascivientes, adeoque laeti, jucundi.

59) Sententia est: bibitur a convivis omnibus inaequaliter, et pro libitu, soluti enim sunt ab insanis legibus conviviorum. Siccat pro: haurit, bibit; qui enim e calice bibit, haurit fluidum, ille calicem exsiccat. De legibus conviviorum vide L. II. sat. 2. not. 76.

60) Sensus: estque, qui generose ingentia haurit pocula; et est etiam qui mediocribus mavult sensim humescere et hilarescere. Acria pocula, solenni epitheti translatione; proprie enim non pocula, sed qui fortiter bibunt, acres potores dicuntur. Uvescit, id est, uvidus fit, madet. Laetius, pro: jucundius, amoenius.

61) Ergo, id est, quod si sermo inter nos instituitur, non loquimur de etc.

62) Lepos, saltator ea tempestate celebris fuit.

63) Agitamus, id est, loquimur de ejusmodi rebus, quas sine damno nemo ignorare potest.

64) Id est: quid amicitias gignat, an usus, seu utilitas; an vero rectum, seu virtus et honestas?

65) Id est: in quo sit posita natura boni; et quod sit summum bonum?

66) Ex re, id est, fabellas garrit, seu narrat, rei, de qua loquimur adcommodatas.

67) Sensus: si quis enim e. g. Arelli opes laudat, ignorans, quanta cum divitiarum possessione conjuncta sit sollicitudo, sequentem fabulam narrat. Arellus in vicinitate fuisse videtur homo dives, et, ut omnes fere divites, de secura opum suarum possessione admodum sollicitus; tota enim fabula referenda est ad sollicitudinem, qua misere cruciantur divites.

68) Accepisse, id est, recepisse in paupere cavernula.

Asper[70]) et attentus quaesitis, ut tamen arctum
Solveret hospitiis animum. Quid multa? neque[71]) ille
Sepositi ciceris, nec longae invidit avenae,
Aridum et ore ferens acinum semesaque lardi
Frusta dedit, cupiens varia fastidia coena
Vincere tangentis male singula dente superbo:
Cum pater ipse domus palea porrectus in horna,
Esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc: Quid te juvat, inquit, amice,
Praerupti[72]) nemoris patientem[73]) vivere dorso?
Vis tu homines[74]) urbemque feris praeponere silvis?
Carpe[75]) viam, mihi crede, comes, terrestria quando
Mortales animas vivunt sortita, neque ulla est
Aut magno aut parvo leti fuga. Quo[76]), bone, circa,
Dum[77]) licet, in rebus jucundis vive beatus;

69) Per hospitem intelligendus est mus rusticus, qui urbanum murem, veterem suum amicum, invitavit.

70) Asper, id est, erat ille quidem vitae asperae et durae adsuetus, atque avarus et attente custodiens quaesitas res; ita tamen erat comparatus, ut arctum, parcum, avarum animum suum solveret, h. e. laxaret ad hospitem benigne suscipiendum.

71) Sensus: neque cicer, quod habebat reconditum, neque avenam invidit, id est, parce adposuit illi; uvae insuper adferens ore siccum acinum, et lardi semesi reliquias obtulit, volens convivii varietate fastidium expugnare convivae, qui singula dente superbo, h. e. fastidioso male, aegre carpebat; cum hospitii dominus, rusticus mus, in palea recenti, eodem anno collecta, stratus esset, id est, comederet, non laridum, non cicer, sed ador, id est, triticeam farinam et lolium, id est, bromum, relinquens meliora quaeque hospiti. Invidit avenae, est Graeca constructio, pro: invidit avenam; Graeci enim dicunt, φθονεῖν τινί τινος. Palea horna est talis, quae nuper in hujus anni messe collecta est.

72) Praerupti nemoris dorso, pro: in praecipitis, incultae silvae clivo; nam versu sequenti explicat hoc praeruptum nemus poëta per: feris, id est, incultis silvis.

73) Id est, qui tanta patiaris.

74) Homines, id est, societatem hominum.

75) Carpe viam comes, mihi crede, id est, comitare me in urbem et mihi te crede, trade te meae fidei meoque praesidio: vel etiam: si mihi credis, dabis te mecum in viam, quandoquidem ii, qui in terris vivunt, mortales animas sortiti sunt, et nemo, sive parvus sit, sive magnus, effugit mortem. Lepide mus urbanus, proposita Epicureorum opinione: animam cum homine mori et interire, murem rusticum ad arripiendos jucundioris vitae fructus exhortatur.

76) Quo, bone, circa, pro: quocirca, quapropter, o bone, amice.

77) Dum, id est, quamdiu licet, tempus est, vive felix et fruere, utere jucunde bonis; memento, quam breve tibi concessum sit vivendi spatium.

Vive memor, quam sis aevi brevis. Haec ubi dicta
Agrestem pepulere[78]), domo levis exsilit; inde
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes[79])
Moenia nocturni subrepere. Jamque tenebat
Nox[80]) medium coeli spatium, cum ponit uterque
In locuplete domo vestigia; rubro ubi[81]) cocco[82])
Tincta super lectos candĕret vestis[83]) eburnos,
Multaque de magna superessent fercula coena,
Quae procul exstructis[84]) inerant hesterna canistris.
Ergo[85]) ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem: veluti succinctus cursitat hospes,
Continuatque dapes, nec non verniliter ipsis
Fungitur officiis, praelambens omne, quod affert.
Ille cubans gaudet mutata sorte, bonisque[86])
Rebus agit[87]) laetum convivam; cum subito ingens
Valvarum strepitus lectis[88]) excussit utrumque.
Currere[89]) per totum pavidi conclave, magisque
Exanimes trepidare, simul domus alta Molossis[90])
Personuit canibus. Tum rusticus: Haud mihi vita

78) Ubi pepulere, id est, postquam his dictis persuasus esset mus rusticus.

79) Aventes, cupientes per noctis tenebras urbem subrepere, clam ingredi.

80) Nox apud poëtas post solis occasum ab Oriente surgit, et curru vecta per coelum solis vestigia legit. Sensus vulgaris: media nocte pedem uterque posuit in domo divite, id est, in domum divitem ambo pervenerunt.

81) Ubi, in qua domo, super lectos eburneos purpurea stragula fulgebat, splendebat etc.

82) Coccum, est ex opinione veterum granum, reapse autem, est vermiculus, inhaerens cortici arboris e genere quercus. Hos vermes conglomeratos ramis abradunt, et inde parant colorem coccineum, qui quidem, quia propius accedit ad colorem purpureum, poni fere solet pro purpureo.

83) Vestis, stragula nempe, qua lecti sternuntur.

84) Procul exstructis, id est, in altum congestis canistris.

85) Sensus: postquam ergo in uno lectorum purpura vestitorum agrestem murem locasset porrectum, stratum toto corpore; ipse hospes, mus nempe urbanus, tamquam praecinctus ad ministerium, huc illuc properat, et continuo dapes adfert, servorum officio fungens, nihilque adportans a se non praegustatum. Verniliter, id est, ut vernae seu servi solent.

86) Bonisque rebus, id est, rerum bonarum fructu, constitutus quippe in rebus prosperis.

87) Agit laetum convivam, id est, hilariter convivatur.

88) Lectis, in quibus ad mensam adcumbebant, excussit, coëgit exsilire.

89) Currere, subaudi, coeperunt.

90) De canibus Molossis praestantibus, in Molossia Epiri regione natis, vide Epod. 6. not. 6.

Est opus hac, ait, et valeas: me[91]) silva cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.

Satyra VII.

Argumentum.

Davus, servus, quem Horatius pro libertate, die Saturnalium servis concessa, paulo audacius secum loquentem inducit, accepta ea, quae vellet, dicendi facultate, ab initio statim levem et instabilem hominum animum carpit, a quo vitio ipsum etiam herum suum, poëtam nostrum, haud immunem esse ostendit. Dehinc transit ad alia sapientiae praecepta, quae Crispini philosophi janitorem secum communicasse ait, eaque, prout audita in mentem sibi venerant, sine ordine ac nexu certo profert; quod servo, qui ea a janitore, alio itidem servo, acceperat, adprime convenire videtur; prae ceteris autem adulterorum insaniam depingit, quatenus rem familiarem, famam, et vitam perdendi periculo se exponant; eosque vere servos esse, et liberum solum sapientem, qui cupiditatum suarum dominus sit, demonstrat. Denique adhuc vitia dominorum, quibus vel ipsi maximis laborant, non minus, quam illa servorum culpanda esse docet. Finis poëtae fuisse videtur traductio et vituperatio vitiorum sui temporis, sicut in Satyra 3ª hujus Libri; quod, ut eo liberius faciat, sibi minime parcens, sua quoque vitia depingit et carpit. Forma satyrae est dramatica; tempus autem, quo scripta sit, ignoratur, nisi forte ad a. u. 721 circiter, quo satyram 3tiam elucubratam esse constat, cum verisimilitudine quadam referenda sit.

Jam[1]) dudum ausculto, et cupiens tibi dicere servus
Pauca, reformido. Davusne[2])? Ita. Davus amicum

---

91) Sensus: me in silva et cavo meo, longe a metu insidiarum remotum tenue ervum pro satis lauto convivio consolabitur. Ervum, est genus quoddam leguminis, positum pro tenui victu.

---

1) Horatius ad se vocasse servum suum Davum, eumque vel castigare verbis, vel docere voluisse putari debet, ita, ut servus tandem herum interpellaret tali modo: jam pridem attentus te audio, o here, et cuperem quaedam pauca ipsemet tibi dicere, sed reformido, non audeo, cum servus sim.

2) Tune Davus, servus meus? interrogat Horatius; et Davus respondet: Ego sane, Davus, servus tuus; nam mancipium sum ego, qui te, dominum

Mancipium domino, et frugi, quod sit satis; hoc est,
Ut vitale putes. Age, libertate[3]) Decembri,
Quando ita majores voluerunt, utere: narra[4]).
Pars[5]) hominum vitiis gaudet constanter, et urget
Propositum: pars multa natat, modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. Saepe[6]) notatus
Cum tribus anellis, modo laeva Priscus inani.
Vixit[7]) inaequalis, clavum ut mutaret in horas;
Aedibus ex magnis subito se conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeste;
Jam moechus Romae, jam mallet doctus Athenis
Vivere; Vertumnis[8]), quotquot sunt, natus iniquis.
Scurra Valanerius, postquam illi justa chiragra
Contudit[9]) articulos, qui[10]) pro se tolleret atque

---

meum, amo; et bonae frugis, quantum satis est, servus sum, ita quidem, ut credere possis, me adhuc diu victurum esse. Jocosa igitur modestia Davus bonus tantum servus, non optimus, videri vult; homines enim optimi et praestantissimi non diu vivere credebantur. Bonae frugis, a frux, vide L. II. Sat. 5. not. 57.

3) Libertate Decembri, hoc est, ea libertate, qua per Saturnaliorum dies mense Decembri ex majorum instituto utebantur et ipsi in dominos servi. Vide Myth. de Saturno.

4) Narra, id est, et dic, quod voles.

5) Sunt quidam homines, inquit Davus, constanter mali, qui, quod vitiose incipiunt, ad exitum vitiose urgent, perducunt; magna pars vero fluitat, modo recta amplectens, modo declinans iterum ad vitia.

6) Sensus est: conspectus saepe Priscus est cum tribus annulis, modo, sinistra illis omnino vacua, pro vulgari: Priscus modo tres annulos, modo nullum laeva manu gerere solebat. Plures annulos autem gestare, luxui et arrogantiae datum est.

7) Sententia: fuit homo adeo inaequalis et inconstans, ut in horas modo tunica laticlavia, modo angusticlavia prodiret, modo ex magnis aedibus se conderet, reciperet et abderet parvis et humilioribus aedibus, unde vix libertinus paulo cultior decenter exiret; modo Romae cum libertate grassantium, modo iterum Athenis sapientium et pilosophorum more vivere cuperet, homo ille ingenii valde mobilis et parum constantis.

8) Vertumnus, antiquissimus Tuscorum Deus, rebus vertendis sive commutandis praepositus, sicut Proteus apud Graecos. Pro vulgari igitur: Diis iratis, adcommodate ad naturam Vertumni dixit poëta: iniquis Vertumnis, quasi nato Prisco ex ira Vertumni data sit mutabilitas.

9) Contudit, labefactavit, confregit, inutiles et infirmos reddidit articulos, seu digitos chiragra justa, id est, quam culpa contraxerat sibi, quam flagitiis suis promeruerat.

10) Sensus et ordo: quemdam, pacta in dies singulos mercede, conduxit et aluit, qui suo loco talos ex alveo lusorio tolleret, colligeret, et in turriculam conjiceret.

Mitteret in phimum [11]) talos, mercede diurna
Conductum pavit: quanto constantior idem
In vitiis, tanto [12]) levius miser, ac prior ille,
Qui jam contento, jam laxo fune, laborat.
Non [13]) dices hodie, quorsum haec tam putida tendant,
Furcifer? Ad [14]) te, inquam. Quo [15]) pacto pessime? Laudas [16])
Fortunam, et mores antiquae plebis; et idem,
Si quis ad [17]) illa Deus subito te agat, usque recuses:
Aut [18]) quia non sentis, quod clamas, rectius esse,
Aut quia non firmus rectum defendis, et haeres,
Nequidquam coeno capiens evellere plantam.
Romae [19]) rus optas; absentem rusticus Urbem
Tollis ad astra levis. Sic nusquam es forte vocatus
Ad coenam, laudas securum olus [20]); ac [21]), velut usquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis, amasque,
Quod nusquam tibi sit potandum. Jusserit [22]) ad se
Maecenas serum sub lumina [23]) prima venire

11) Phimus idem, quod fritillus, in quo tali seu tesserae concutiebantur, et inde per pyrgum sive turriculam mittebantur in tabulam lusoriam.

12) Tanto minus miser, quam ille prior, Priscus nempe, qui vitiis modo laxabat ingentes habenas, modo contrahebat. Levitas hic cum laxo fune comparata est.

13) Horatius interrumpit Davum: Non dices tandem etc. putida: id est, molesta, fastidiosa, scilicet ob longam rei, quam relaturus erat Davus, circuitionem. Furcifer, est notum dominorum in servos convicium.

14) Ad te pertinent, ait Davus.

15) Horatii interrogatio.

16) Respondet Davus. Antiquae plebis: homines enim antiqui erant frugales et parci.

17) Ad illa, id est, ad mores antiquos et vitam parciorem te adigat.

18) Sensus: aut, quia, quod rectum esse, ore clamas, non animi sensu complecteris; vana enim sunt praecepta, quae non sentiuntur h. e. quorum veritas non percipitur; aut, quia non es in judicando, in principiis tuis defendendis constans, et haeres in coeno, id est, in vitio, unde extricare te non potes. Vitium enim hic comparatur cum coeno, e quo pedes, qui in eo haerent, non facile expediri possunt. Planta pedis pro pede posita est.

19) Romae, id est, si Romae es. Rusticus, id est, si rure habitas. Levis, pro: inconstans.

20) Securum olus, quo quis in securo otio vescitur.

21) Sensus: et quisquam te catenis vinctum ad coenam pertrahat; quasi eo, quo vocaris, invitus pergas; quasi foris coenare non amares, asseris, te beatum esse, cui nullibi sit tibi potandum.

22) Supple: vide, quam parum in hac quoque re tibi constes. Jusserit, id est, quod si jusserit.

23) Sub lumina prima, id est, paulo ante vesperam, cum astra primum lucere incipiunt et faces domi accenduntur.

Convivam: Nemon [24]) oleum fert ocius? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore, furisque [25]).
Mulvius [26]), et scurrae, tibi non referenda precati,
Discedunt. Etenim [27]), fateor me, dixerit ille,
Duci [28]) ventre levem; nasum [29]) nidore supinor:
Imbecillus [30]), iners, si quid vis, adde, popino.
Tu, quum sis, quod ego, et fortassis nequior, ultro [31])
Insectere, velut melior? verbisque decoris
Obvolvas [32]) vitium? Quid [33]), si me stultior ipso
Quingentis emto drachmis deprenderis? Aufer
Me vultu terrere; manum, stomachumque teneto;

24) Sensus: nullusne, clamas, adest, qui mihi oleum, lucernae infundendum, cito ferret? Lucerna enim noctis tempore euntes utuntur ad viam illustrandam.

25) In pluribus Codd. fugisque, invenitur; sed in lectione, furisque, imago hominis prae festinatione huc illuc discurrentis et tumultuantis vividius expressa est. Blateras, id est, clamitas.

26) Mulvius, aliquis parasitus, apud Horatium cum scurris coenaturus. Hi nempe, te domi non coenante discedunt tristes, et multa mala imprecantes tibi, non coram te quidem, sed clam, et inter se; hinc, non referenda, non audienda Horatio.

27) Sequuntur jam verba illa non referenda, quibus scurrae coenatum euntem Horatium insectari dicuntur. Ille, id est, unus aliquis.

28) Duci ventre levem, id est, me esse hominem levem, qui ventre se duci patitur, pro vulgari: me esse scurram.

29) Supinor, id est, attollo nasum, subrigo ad nidorem, seu fumum, et odorem obsoniorum. Supinor nasum, est Graeca constructio, pro: supinor naso, vel, supino nasum.

30) Supple: fateor, ego sum imbecillus, id est, otiosus; iners, id est, piger; et si vis, etiam popino, id est, qui popinis gaudet, ganeo, helluo.

31) Ultro insectere? id est: cur me insectaris, ac si esses melior? ultro, pro: insuper; vel, sponte, sine causa.

32) Obvolvas nempe: et, quod tibi ipsi vitio verti possit, ingens scil. apud Maecenatem coenandi desiderium decora amicitiae, quae tibi cum Maecenate intercedat, specie involvis, excusas et occultas? Conjunctivus autem explicatur per formam interrogationis indirectae: tune insecteris, obvolvas etc.

33) Sensus: quid, si me, qui quingentis sum emtus denariis, id est, qui sum servus, convinceris esse insanior? Drachma fuit parvum monetae genus apud Graecos. Hic jam Davus oratione, quam contra Horatium habuisse fingitur Mulvius scurra, finita, in iis, quae liberius se Horatio dicere velle, professus est, pergit. Sed nimiam primorum verborum acerbitatem: quid si me stultior deprenderis? non aequo animo ferre poterat Horatius. Vultum igitur torvum et minacem ostendit. Quod cum animadvertit Davus, inquit: Aufer, id est: noli me isto vultu tuo perterrefacere; manum et bilem contine a vi mihi inferenda, dum narro, quae a Crispini janitore accepi.

Dum, quae Crispini[34]) docuit me janitor, edo.
Te conjux[35]) aliena capit; meretricula Davum:
Peccat[36]) uter nostrum cruce dignius? In dubio haeret.
Tu[37]) quum projectis insignibus, annulo[38]) equestri
Romanoque[39]) habitu, prodis ex judice Dama[40])
Turpis, odoratum[41]) caput obscurante lacerna[42])
Non es, quod simulas? Metuens induceris[43]), atque
Altercante libidinibus tremis ossa pavore.
Quid[44]) refert, uri virgis, ferroque necari
Auctoratus[45]) eas; an[46]) turpi clausus in arca,
Quo te demisit peccati conscia herilis

34) Ut eo major Crispino paretur gravitas, facete adeo janitor ejus praecepta cupide imbibisse, et propagasse fingitur. De Crispino v. L. I. sat. 1. not. 80.

35) Hic jam Davus refert praecepta, in scholis Crispini ab ejus janitore sublecta; sed haec non sunt referenda ad Horatium et servum ejus. Verum Davus ex more, qui nunc quoque valet in orationibus, adpellat aliquem in singulari, dum omnes alios, qui ita, ut ait, agunt et sentiunt, intelligit.

36) Sensus: quis nostrum majori poena dignum scelus commisit? Decerni, aut dirimi hoc vix poterit, cum ambo aequaliter peccaverimus.

37) Sensus: quum tu a dignitate judicis descendis ad servilem humilitatem; et, quod abjectioris conditionis servus facere solet, facis, habens obvolutum caput odoribus perfusum; nonne tum revera es id, quod simulas, servus scil.?

38) Equites annulum aureum gestabant.

39) Romano habitu, positum est pro toga.

40) Pro: servus, posuit poëta servile nomen: Dama.

41) Odoratum, id est, unguentis bene olentibus delibutum; capita enim sive crines hominum elegantiorum unguentis nitere, et odore spargi solebant.

42) Lacerna, crassioris pallii genus, quo tempore frigido vel pluvioso se involvere solebant servi. Lacerna obscurante, id est, obtegente, occultante.

43) Induceris, scilicet in domum matronae, et altercante libidinibus pavore, id est: metu et libidine te alternatim invadentibus, totis ossibus concuteris.

44) Sensus est: quid interest tandem, utrum auctoramento gladiatorio addixeris te, ut virgis uraris, caedaris, et ferro eneceris; an adulter incedas, ut in adulterio deprehensus rem omnem, vitam, et famam cum corpore perdas?

45) Auctoratus. Homo certo pretio, auctoramento, domino alicui in servitutem, vel pro ludo gladiatorio addictus, dicebatur auctoratus, id est, pretio emtus.

46) Illud vulgare: an in adulterio deprehendaris? poëta sic exprimit: an clausus intra turpem arcam, in qua te occultavit ancilla, conscia, id est, adjuvans adulterium dominae suae, et ibi capite tangas genua compressus, id est, totus contractus et in arctum redactus delitescas, ne a superveniente marito detegaris? Arca turpis dicitur, ob turpem foedum adulterum, qui in ea se occultare cogitur.

Contractum genibus tangas caput? Estne[47]) marito
Matronae peccantis in ambo[48]) justa potestas?
In[49]) corruptorem vel justior; illa tamen se
Non habitu, mutatve loco, peccatve superne,
Quum te formidet mulier, neque credat amanti.
Ibis[50]) sub furcam prudens; dominoque[51]) furenti
Committes rem omnem, et vitam, et cum corpore famam.
Evasti[52])? credo, metues, doctusque cavebis.
Quaeres, quando iterum paveas, iterumque perire
Possis. O toties[53]) servus! quo bellua ruptis,
Quum semel effugit, reddit se prava catenis?
Non[54]) sum moechus, ais. Neque ego, hercule, fur, ubi vasa
Praetereo[55]) sapiens argentea. Tolle periclum:

47) Estne, pro: nonne est etc.

48) In ambo, in adulterum nempe et adulteram. Antiquo jure Romano licebat viris deprehensos adulteros occidere. Augustus vero lege Julia sanxit, ut liceat maritis uxorum corruptores occidere, aut certe, apud judices causam agentes, scelus poena capitis vindicare; uxores autem repudio mulctavit.

49) Sensus: certe potestas mariti in moechum justior est; nam femina neque vestem mutat, nec etiam in alium locum transmigrat; hinc, licet etiam peccet, peccat tamen superne, id est, non tam graviter, cum te timore aliquo refugiat, nec sine cura tibi amanti se tradat.

50) Sensus: dum ergo matronas sectaris, furcam subibis prudens, id est, sciens ac volens, cum nempe servi personam indueris. Fuit autem furca lignum duplex, quod dedecoris magis, quam supplicii causa, collo servorum imponebatur, cum quid peccassent, et quod circumferre debebant; unde servi saepissime vocati sunt furciferi.

51) Domino furenti. Adposite ad servilem conditionem, quam subit libidinosus, matronae maritus nunc, dominus, vocatur.

52) Evasti? An forte tibi contingit, periculum evadere? Nunc, certe credo, periculum, quod effugisti, in posterum, prudentior factus, evitabis! Per ironiam hoc dictum est. Sensus est: etiamsi periculum evadas, id est, a marito matronae non detegaris, tamen non fis cautior, et data occasione, iterum idem periculum, rem seu opes, vitam, et cum corpore famam perdendi, parum cautus subis.

53) O tu, qui toties personam servi induis, et periculum subis! nequidem belluas imitaris, quae periculum semel evasae nunquam iterum stultae subeunt.

54) Davus, alium in singulari alloquitur, per quem designat omnes, qui non virtute sed poenae vel periculi metu a flagitiis absterrentur. Egregia sane, quam Crispinus docuisse fingitur, sententia! quod si hanc, cum prioribus componas, vix certum idearum ordinem reperies. Vide Argumentum.

55) Praetereo, id est, non surripio. Sapiens, id est, cautus.

Jam vaga[56]) prosiliet frenis natura remotis.
Tune[57]) mihi dominus, rerum imperiis, hominumque,
Tot tantisque minor? quem ter vindicta quaterque
Imposita haud umquam misera formidine privet?
Adde[58]) super dictis, quod non levius valeat: nam,
Sive vicarius est, qui servo paret (uti mos
Vester ait) seu conservus: tibi[59]) quid sum ego? nempe
Tu, mihi, qui imperitas, aliis servis miser; atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.
Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi[60]) qui imperiosus;
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent;
Responsare[61]) cupidinibus contemnere honores
Fortis; et in[62]) se ipso totus, teres, atque rotundus,

56) Vaga natura, id est, indoles non satis firmata principiis statim prodibit, et ego furabor nihil timens.

57) Sensus: tune, qui ipse minor, id est, subjectus sis tot tantisque rebus atque hominibus, quorum imperio serviliter pares, qui licet ter, quaterque manumissus sis, tamen a misera formidine, h. e. servili conditione et sentiendi ratione nunquam libereris, tune, inquam, mihi dominus esse potes? Vindicta est virga praetoris, qua percutiebantur servi, dum liberi fiebant; tribus namque rebus fiebat manumissio: Vindicta; censu, cum dominus permittebat, ut servus a Censore in censum publicum referretur; et testamento. Privet, id est, liberet.

58) Adde iis, quae modo dixi, etiam istud haud levius, haud minus considerandum: nam, ut vos dicere soletis, sive vicarius, id est, qui alius servi vices obit, sive conservus, id est, alterius in servitio sodalis, est, qui servo servit; quid ego tibi sum? vel quomodo ego adpellandus sum? Cum scilicet tu, qui dominus mihi imperas, ut miserae conditionis homo, servitium praestas aliis, atque te regi pateris; uti fere mobilis ex ligno contexta figura, non vi propria, sed alienis nervis regitur?

59) Davus interrogat, sibique ipsi statim respondet. Etiam haec cum prioribus non satis bene cohaerent.

60) Sensus: qui in se ipsum imperium tenet, se ipsum temperat et moderatur.

61) Responsare cupidinibus et comtemnere honores fortis, est Graeca constructio, pro: fortis in responsando, resistendo cupidinibus, id est, coërcendo eas, atque in contemnendo honores.

62) In se ipso totus, id est, unice defixus in se ipso explorando atque cognoscendo, instar globi teres et rotundus; causa autem, cur is, qui totus est in interno animi cultu, aequiparari possit tereti et rotundo globo, statim subjicitur: ne quid externi valeat per leve morari, id est, ne quid externae sordis, vel labis, pravitatis per teres et rotundum corpus levigatum sedem invenire, residere, adhaerere possit. In quem Fortuna manca h. e. infirma ac debilis, irrito conatu impetum facit.

Externi ne quid valeat per leve morari,
In quem manca ruit semper fortuna. Potesne[63]),
Ex his ut proprium quid noscere? Quinque talenta
Poscit[64]) te mulier, vexat[65]), foribusque repulsum
Perfundit gelidâ[66]); rursus vocat: eripe turpi
Colla jugo. Liber[67]), liber sum, dic age. Non[68]) quîs:
Urget enim dominus mentem non lenis[69]), et acres
Subjectat lasso[70]) stimulos, versatque negantem.
Vel[71]) quum Pausiacâ[72]) torpes, insane, tabellâ,
Qui peccas minus atque ego, quum Fulvi[73]), Rutubaeque
Aut Placideiani contento[74]) poplite miror
Proelia, rubrica picta aut carbone, velut si
Revera pugnent, feriant, vitentque moventes
Arma viri? Nequam[75]), et cessator Davus; at ipse
Subtilis veterum judex et callidus audis.
Nil[76]) ego, si ducor libo fumante; tibi ingens
Virtus, atque animus coenis responsat opimis?

63) Sensus: potesne ex his, quae dicta sunt de sapientis virtutibus, animadvertere aliquid, quod tibi proprium sit, vel quod in te cadat?

64) En aliam iterum parum cum praecedentibus cohaerentem ideam. De Talento vide supra L. II. sat. 3. not. 136. Poscit te, pro: exigit a te.

65) Vexat, id est, contumeliose te tractat.

66) Gelida, sc. aqua perfundit clausa janua domo expulsum te.

67) Ordo: ut exclamare possis: a dominio libidinis liber sum.

68) Non quîs, pro: non queis, id est, non potes, ut servus, qui paret domino, h. e. animo, qui libidine se regi et corripi patitur.

69) Non lenis, id est, durus dominus; intellige libidinem, amorem.

70) Lasso, id est, voluptatem fastidis, vehementer te tamen ad illam stimulat ille amor, et in ea nolentem volutat, agitat.

71) Nexus: vel ut aliud exemplum de hominum insania adferam. Sensus: anne tu, insane, cum in contemplatione tabellae Pausiacae stupore torpes, minus peccas, quam ego, cum nobilium gladiatorum statum vel posituram, et proelia, rubrica aut carbone picta, miror, ac si reipsa pugnarent?

72) Pausias, pictor nobilis Graecus.

73) Fulvus, Rutuba, Placidejanus, tria nobilium gladiatorum nomina.

74) Contento poplite: exprimitur per hoc status vel positura, cum gladiatores invicem se petunt; alteri pedi enim firmiter insistitur, alterius vero pedis poples contenditur, extenditur.

75) Sensus: si talibus mirandis, tempus impendo, vocor ego homo nequam et cessator, id est, piger, qui tempus in iis spectandis terem; tu autem vocaris subtilis veterum operum artificumque judex.

76) Nil ego, id est: ego homo nullius pretii dicor, si libum fumans adpeto; Anne tu, pro ingente tua virtute et animo par es contemnendis coenis opimis? tune coenis opimis abstines? Responsare, idem ac, comtemnere.

77) Sensus: cum ego indulgeo gulae, damnum fero, quia plector loris,

Obsequium [77]) ventris mihi perniciosius est: cur?
Tergo plector enim. Qui tu impunitior illa,
Quae parvo sumi nequeunt, obsonia captas?
Nempe inamarescunt epulae sine fine petitae,
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer [78]) uvam
Furtiva mutat strigili? qui praedia vendit,
Nil servile, gulae parens, habet? Adde [79]), quod idem
Non horam tecum esse potes; non otia recte
Ponere: teque ipsum vitas, fugitivus ut erro,
Jam vino quaerens, jam somno fallere curam:
Frustra nam comes atra premit, sequiturque fugacem.
Unde [80]) mihi lapidem? Quorsum [81]) est opus? Unde [82]) sagittas?
Aut [83]) insanit homo, aut versus facit. Ocius [84]) hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

---

at tu, an cares poena magis quam ego, cum lauta et cara captas fercula? Nequaquam; plecteris enim nausea, cum in stomacho epulae sine modo adpetitae fiunt acidae, indigestae, amarae, et pedes illusi, id est, dubii ac vacillantes, aegrum corpus ac debile ferre nequeunt.

78) Id est: servus, qui strigilem, furto ablatam, donat pro uva, nonne peccat? An vero is, qui praedia vendit parans, id est, obsequens gulae, ut pretium inde redactum epulis det, minus serviliter agit? Strigilis est instrumentum aeneum, quo homines in balneis sudorem solebant detergere, deradereque. Apud nos simili instrumento distringuntur equi.

79) Sensus: Adde jam dictis, quod neque per horam ad te redire, et qualis sis, tecum reputare, tibi soli sufficere, quod spatium vacui temporis non sapienter occupare possis; quod te ipsum fugias, te ipsum descendere refugias, tamquam erro, id est, circumerrans, qui vitae taedium nunc vino, nunc somno pellere satagit; sed nequidquam; nam animo inhaeret semper, et fugientem sequitur illa ipsa cura, quam fugis.

80) Horatius servi libertatem non ferens eum interrumpit: Unde lapidem sumam? quo scil. te punire, ferire possim?

81) Verba servi: Ad quid lapide opus est tibi?

82) Horatii verba.

83) Servus iterum dicit: Herus meus aut furit, aut poëmatis aliquid parturit.

84) Et Horatius tandem rei finem imponit dicendo: Nisi te hinc illico auferas, accedes, mitteris nonus ad servos octo, qui faciunt opus in villa mea Sabina. Servi enim rustici erant deterioris et durioris conditionis, quam urbani.

Satyra VIII.

Occasio et argumentum.

Moris fuisse videtur Romae, ut homines humili loco nati, ast divites, viris magnis et amplo munere fungentibus convivia instruerent; partim ut horum favorem captarent, partim ut superbe familiaritatem suam cum iis apud alios jactitarent. E numero horum etiam Nasidienum fuisse probabile est, qui in Maecenatis honorem convivium lautum adornavit. Descriptione hujus coenae itaque poëta ante oculos ponit ingenium eorum, qui, utut lautissimi ac splendidissimi, sordidam tamen avaritiam suam celare non possunt, qua medias inter opes ridiculi fiunt. Narrantem autem inducit Horatius Fundanium, amicum suum, jam supra L. I. sat. 10 laudatum, qui coenae interfuerat. Forma Satyrae est dramatica.

Ut [1]) Nasidieni juvit te coena beati?
Nam [2]) mihi quaerenti convivam dictus here illic
De medio potare die. Sic [3]), ut mihi nunquam
In vita fuerit melius. Da [4]), si grave non est,
Quae prima iratum ventrem placaverit esca.
In [5]) primis Lucanus [6]) aper (leni fuit Austro [7])
Captus, ut ajebat coenae [8]) pater) acria circum [9])
Rapula, lactucae, radices, qualia [10]) lassum
Pervellunt stomachum, siser [11]), halec [12]), faecula [13]) Coa.

---

1) Sensus: quam bene coenasti apud Nasidienum? Juvit, id est, quam bene delectavit te coena ejus? De Nasidieno autem, praeterquam, quod sordidus dives fuerit, nihil notum est; ob divitias etiam beatus, dives nominatur a poëta.

2) Sensus: cum enim te heri habere cuperem convivam, dictum est mihi, te illic, id est, apud Nasidienum ab ipso meridie jam bibere. Veteres vulgo sub vesperam coenabant; convivia vero lautiora solito maturius inchoabant.

3) Respondet Fundanius. Vide L. I. sat. 10. not. 31.

4) Hor. Da, id est, narra. Iratus venter positus est pro: esuriente stomacho.

5) Fundanius incipit descriptionem coenae.

6) Lucanus aper, quia apri in Lucania ob pastum in quercetis erant admodum opimi.

7) Leni Austro; nam gravius et vehementius flante carnes putrescunt.

8) Coenae pater, id est, dominus convivii Nasidienus.

9) Circum, id est, circa hunc erant disposita etc.

10) Id est: quae stomachum, edendo fessum, nova fame stimulant, recreant.

11) Siser est genus leguminis, apud nos: Zuckerwurzel.

His [14]) ubi sublatis puer [15]) alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, et alter
Sublegit [16]), quodcunque jaceret inutile, quodque
Posset coenantes offendere; ut Attica [17]) virgo
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes [18]),
Caecuba [19]) vina ferens, Alcon Chium [20]) maris expers.
Hic [21]) herus: Albanum, Maecenas, sive Falernum
Te magis appositis delectat: habemus utrumque.
Divitias [22]) miseras! Sed [23]) quis coenantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.
Summus [24]) ego, et prope me Viscus Thurinus et infra,

12) Halec, vilioris pretii genus quoddam gari seu juris. Vide Lib. II. sat. 4. not. 48.

13) Faex Coa; faex delicatior vini Graeci ex insula Coo; seu condimentum ex ea factum. Vide sat. 4. L. II. not. 47.

14) His sublatis, e mensa nempe, ut novis ferculis locus esset.

15) Puer alte cinctus: id est, servus vestem habens altius praecinctam, ut esset expeditior, mensam ex acere arbore factam, purgavit gausape purpureo. Dicitur autem gausapes, is; gausapa, ae; et gausapum, i; fuit nimirum genus panni crassioris et villosi, ad mensas tegendas tergendasque adhibitum.

16) Sublegit, collegit, abstulit, nimirum frustula et reliquias, quae oculos convivantium potuissent offendere.

17) Apud Athenienses festo die cujusque numinis procedebant in publicum virgines, ejusdem sacra ferentes in cista, capiti imposita, vultu et gressu gravi atque modesto incidentes. Idem etiam fiebat apud Romanos in sacris Cereris.

18) Hydaspes et Alcon, nomina servorum.

19) De vino Caecubo Campaniae optimo. Vide L. I. od. 17. not. 11.

20) Vinum Chium maris expers, id est, aqua marina non temperatum. In Graecia enim solebat vino aqua marina admisceri, ut non facile corrumpatur. Nasidienus ergo vinum Chium purum, ut rem magnam adponebat. De vino Chio, vide L. II. sat. 3. not. 74. Sensus est: sicut solet virgo Attica, Cereris sacra graviter portans, incedere; ita niger Hydaspes se protulit Caecubum ferens, et Alcon onustus Chio puro. Ridet hic poëta nimiam pompam in tenui adparatu.

21) Sensus: tum ita loqui Nasidienus incepit: Si forte, o Maecenas, Albanum vel Falernum vinum malueris, quam ista, quae oblata sunt, nempe Caecubum et Chium, utroque abundamus. De Albana uva vide L. II. sat. 4. not. 45. De Falerno vino jam saepius dictum.

22) Horatii verba, qui vini Albani et Falerni possessionem miseras divitias adpellat, quae erant vulgaria, neque magnum erat iis abundare.

23) Sensus: sed scire vehementer cupio, Fundani, cum quibus convivis tam belle coenatum tibi sit.

24) Jam Fundanius describit ordinem, quo quisque mensae accubuerit.

Si memini, Varius; cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Maecenas adduxerat umbras [25]).
Nomentanus erat super ipsum [26]), Porcius infra,
Ridiculus [27]) totas simul absorbere placentas.
Nomentanus [28]) ad hoc, qui, si quid forte lateret,
Indice monstraret digito: nam cetera turba,
Nos, inquam, coenamus aves, conchylia: pisces,
Longe dissimilem noto celantia succum;
Ut vel continuo patuit, cum passeris [29]) assi, et
Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi.
Post hoc me docuit, melimela [30]) rubere, minorem
Ad lunam delecta. Quid [31]) hoc intersit, ab ipso

Tres lecti, ut satis constat, ad mensam collocabantur, unde locus, ubi coenabatur, nomen accepit: triclinium; in unoquoque lecto tres, ad summum quatuor discumbebant: unus lectus summus, secundus medius, tertius imus vocabatur; unum mensae latus cibis per servos subministrandis vacuum relinquebatur. Medius lectus e regione vacui lateris erat honorificentissimus; et post hunc magis honoratus erat summus lectus, a dextra accedentium per latus vacuum servorum. In medio lecto primum et ceteris omnibus in tota mensa honoratiorem locum occupabat Maecenas, secundum a sinistra Maecenatis, et tertium a dextra ejus adducti a Maecenate umbrae Servilius Balatro et Vibidius scurrae ambo. In summo lecto summus, hoc est, primus erat Fundanius ipse, secundus Viscus Thurinus et tertius Varius; in imo lecto primum locum coenae pater Nasidienus, secundum Nomentanus et tertium Portius, ambo Nasidieni parasiti, tenebant. Nota autem, in quolibet lecto primum locum fuisse medium, secundum a sinistra et tertium a dextra primi. Vide Antiquit.

25) Umbrae in convivio vocabantur illi, qui non suo nomine erant invitati, sed amicum aut virum nobilem comitabantur honoris causa, ut umbra corpus sectatur.

26) Super ipsum, id est, Dominum Nasidienum.

27) Portius ridiculus fuit eo, quod totas placentas uno haustu deglutiebat.

28) Nomentanus vero ad hoc erat vocatus a Nasidieno, ut, si quid forte delicati cibi alicubi se abderet, ipse digito indicaret; reliqua enim turba, nos nempe, minus periti ad istas ciborum delicias cognoscendas, coenabamus, quod occurrebat, aves, conchylia, pisces, quae tamen fercula erant succi, id est, saporis exquisiti, et longe a vulgari et noto disjuncti; quemadmodum continuo manifestum fiebat, cum ille idem Nomentanus mihi porrexerit passeris assi et rhombi ilia, quae nunquam antea gustavi; vel, quae nemo nostrum attigerat, quia istius ferculi bonitatem ignorabamus.

29) Passer est piscis parum a rhombo discrepans.

30) Melimela, poma quaedam mellei saporis; haec continuat Fundanius, docuit me idem Nomentanus, magis rubere, id est, majorem ruborem induere, si ad lunam minorem, decrescentem, legantur.

31) Quid hoc intersit, nempe utrum melimela crescente vel decrescente luna sint lecta, hic tibi melius, quam ego, explicabit.

Audieris melius. Tum Vibidius[32]) Balatroni:
Nos, nisi damnose[33]) bibimus, moriemur[34]) inulti;
Et calices poscit majores. Vertere[35]) pallor
Tum parochi[36]) faciem, nil sic metuentis, ut acres
Potores, vel quod maledicunt liberius, vel
Fervida quod subtile exsurdant[37]) vina palatum.
Invertunt[38]) Allifanis vinaria tota
Vibidius Balatroque, secutis omnibus; imi
Convivae lecti nihilum nocuere lagenis.
Adfertur squillas[39]) inter muraena natantes
In patina porrecta. Sub hoc herus: Haec gravida, inquit,
Capta est, deterior[40]) post partum carne futura.
His[41]) mistum jus est oleo, quod prima Venafri

32) Vibidius, subaudi: dixit.

33) Damnose, pro: fortiter, immodice, ut damnum scilicet Nasidieno causemus.

34) Moriemur inulti: est usitata locutio Latinis, significans aliud nihil, quam miserrimum esse; quia putabant eos esse miseros, qui inulti morerentur. Pessime nobiscum hic agetur, nihil sapimus, inquit Vibidius, nisi affatim bibamus.

35) Sensus: hic vero coenae praebitor mutato colore palluit, qui nihil adeo timuit, quam acres et strenuos potatores; vel quia hi libertate jocandi et ex joco maledicendi utuntur majore; vel quia vina ardentia subtilioris palati sensum obtusum et habetem reddunt; vanus enim iste homo Nasidienus de appositis epulis exquisitioribus, subtili palato dijudicandis, laudari cupiebat.

36) Parochi erant proprie tales homines apud veteres, qui proficiscentibus legatis et Magistratibus Romanorum necessaria praebebant. Vide L. I. sat. 5. not. 36. Hic designatur Dominus convivii, qui convivis suis necessaria subministrabat.

37) Exsurdant, dictum est per translationem ab aurium sensu ad gustum.

38) Sensus et ordo: Vibidius itaque et Balatro, atque horum exemplo nos omnes convivae poculis Allifanis cellam vinariam exhauriebamus; convivae vero in imo lecto, Nomentanus et Porcius, non multum biberunt; ut abstinentia sua placerent avaro coenae patri, pepercerunt lagenis. Allifa est oppidum Samnii, inter Venafrum et Beneventum, ibi pocula vinaria, fictiles cyathi fabricabantur. Vinarium, est vas majus. Porro amphorae, cum erant vacuae, invertebantur, id est, ore in terram verso statuebantur. Convivae imi lecti, id est, qui erant in imo lecto.

39) Squillae sunt pisciculi e cancrorum genere; natantes, id est, in jusculo. Muraena autem erat apud Romanos piscis pretiosus et major. In patina porrecta, h. e. extensa, magna.

40) Deterior, id est: si illa antequam caperetur, peperisset, futura fuisset deterior, pro vulgari: cujus caro ante partum melius sapit.

41) Pergit loqui herus: istud jus, in quo videtis natantes squillas, his

Pressit cella; garo[42]) de succis piscis Iberi;
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur (cocto Chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud) pipere albo, non sine aceto,
Quod Methymnaeam[43]) vitio mutaverit uvam.
Erucas[44]) virides, inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere, illotos[45]) Curtillus[46]) echinos,
Ut melius muria, quam testa marina remittit.
Interea[47]) suspensa graves aulaea[48]) ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri,
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos majus[49]) veriti, postquam nihil esse pericli
Sensimus, erigimur[50]). Rufus[51]), posito capite, ut si
Filius immaturus[52]) obisset, flere[53]). Quis[54]) esset
Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum
Tolleret[55])? Heu[56]), Fortuna, quis est crudelior in nos

rebus mistum et confectum est: Primo oleo nobilissimo ex olivis apud Venafrum in Samnio in cella prima, seu optima, expresso; deinde garo, confecto ex intestinis et succo piscium Hispanicorum, scombrorum scil. prope Hispaniam captorum; tum vino, nato citra mare, id est, in Italia, quod juri inditum est, dum coqueretur; nam postquam est remotum ab igne et coctum, illi adfundendum est Chium, quo nullum tunc aliud est convenientius; postremo pipere albo et aceto, quod ex vino Lesbio vitiato, et corrupto seu acido natum est.

42) Garum erat condimenti genus, quoddam confectum ex intestinis pisciculorum, maxime scombrorum Iberorum, sale maceratis et putrefactis. Vide supra not. 12.

43) Methymna est urbs primaria Lesbi, insulae maris Aegaei.

44) Erucae apud nos: Kresse; inulae apud nos: Alant; genera herbarum.

45) Illotos, id est, non exemtos muria, non salsugine sua purgatos.

46) Curtillus, helluo quidam, monstravit praeterea adhuc coquere, quemadmodum ego in hoc jure docui coquere erucas et inulas, echinos in muria, in liquore, quem testa marina remittit; ut melius, id est, tanquam hoc sit melius sapidiusque. Per testam marinam intellige autem pisces testaceos, ostreas etc.

47) Contextus: dum ista peroraret Nasidienus, aulaea laqueari adpensa gravi ruina cecidere in patinam cum tanta nigri pulveris copia, ut vix tantam Aquilo in Agris Campaniae attollat.

48) Aulaea sunt vela, quae supra mensam erant suspensa.

49) Majus, id est, majorem ruinam.

50) Erigimur, id est, animum recipimus.

51) Rufus est cognomen Nasidieni. Posito, demisso, inclinato capite, ex more lugentium.

52) Immaturus, pro: praematura morte.

53) Flere, subaudi, coepit.

54) Quis esset finis? id est: Flere profecto pergeret.

55) Tolleret, erigeret, solatus esset.

Te Deus? Ut semper gaudes illudere rebus
Humanis! Varius mappa[57]) compescere risum
Vix poterat.—Balatro suspendens[58]) omnia naso:
Haec est conditio vivendi, ajebat; eoque[59])
Responsura tuo nunquam est par fama labori.
Tene[60]), ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum? ne[61]) panis adustus,
Ne male conditum jus apponatur? ut omnes
Praecincti recte pueri comtique ministrent?
Adde[62]) hos praeterea casus, aulaea ruant si,
Ut modo; si patinam pede lapsus frangat agaso.
Sed[63]) convivatoris, uti ducis ingenium res
Adversae nudare solent, celare secundae.
Nasidienus ad haec: Tibi Dî, quaecunque preceris,
Commoda[64]) dent: ita vir bonus es convivaque comis[56]):
Et[66]) soleas poscit. Tum[67]) in lecto quoque videres

56) Callidus Nomentanus de subita aulaeorum ruina, quasi ad se ipsum, ut herum, pertinente, Fortunae crudelitatem incusat. Ut semper, id est, quantopere amas hominum turbare gaudia, et laetis rebus semper intervenire molesta!

57) Mappa ad os nempe compressa, ut solent, qui risum celare conantur.

58) Suspendens omnia naso, id est, solitus in singula jocari. Vide L. I. sat. 6. not. 4.

59) Sensus: eoque, ideoque etiam tuis Nasidiene studiis, curis et molestiis, quibus de aliis, uti jam de nobis, quos splendido convivio accepisti, bene meres, non debita laus et gloria tribuetur.

60) Contextus: num aequum est, te tantis curis tantaque sollicitudine torquerier, id est, turbari atque confici, ex eo solum fine, ut ego laute epuler? Torquerier est Archaismus.

61) Sequitur hic enumeratio harum curarum.

62) Sensus: adde porro ejusmodi casus, qui te sollicitudine torqueant, si, ut modo factum est, aulaea ruant; si servus hebes et stupidus pede labatur, et patinam confringat. Agaso est is, qui jumenta curat et agit; aliis vero rebus peragendis parum idoneus esse solet.

63) Sensus et ordo: sed sicut in adversa fortuna ducis ingenium, et prudentia, quae in prospera latebat, ostendit sese manifestius; sic etiam evenit convivatori; fracta enim per delapsa aulaea patina aperuit Nasidieni convivatoris animum, dum ob hunc casum in tristissimas effundebatur lacrimas.

64) Commoda, id est, bona.

65) Conviva comis, humanus, amoenus.

66) Sensus: et surgit de mensa; fortasse, ut ordinem per casum aulaeorum turbatum iterum restituat, et ceteras epulas a servis ex ordine adferendas curet. Soleae sunt calceamenti genus humilius, plantas tantum pedum obtegens, domi et in conviviis gestari solitum.

67) Sensus: vidisses tunc in lectis omnibus submissa voce quaedam in aures invicem singulorum insusurrari. Stridere secreta divisos aure susurros,

Stridere secreta divisos aure susurros.
Nullos[68]) his mallem ludos spectasse; sed illa
Redde, age, quae deinceps risisti. Vibidius[69]) dum
Quaerit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti non dentur pocula; dumque[70])
Ridetur fictis rerum, Balatrone secundo:
Nasidiene, redis mutatae frontis, ut arte
Emendaturus fortunam; deinde[71]) secuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sparsi sale multo non sine farre;
Pinguibus[72]) et ficis pastum jecur anseris albi;
Et leporum avulsos, ut multo svavius, armos,
Quam si cum lumbis quis edit; tum pectore[73]) adusto
Vidimus et merulas poni et sine clune palumbes;
Svaves[74]) res, si non causas narraret earum et
Naturas dominus; quem nos sic fugimus ulti,
Ut nihil omnino gustaremus, velut illis
Canidia afflasset pejor serpentibus Afris.

pro: alterum in alterius aurem secreto aliquid insusurrare. Auris dicitur secreta, quia secreta in aures deponuntur eorum, quibus illa narramus. Susurri autem divisi dicuntur, qui modo huic, modo alii auri, sive diversis auribus committuntur.

68) Verba Horatii. Sensus: profecto, amoenissimum spectaculum! Narra autem reliqua.

69) Respondet Fundanius porro narrans.

70) Sensus: dumque ludicrum aliquid a singulis confingitur in rem praesentem, juvante jocum in primis Balatrone, qui, dum interea rediret Nasidienus, ait: Redis, o Nasidiene, laetiore, quam antea fueras, vultu, restauraturus nimirum arte aulaei fortuitam ruinam.

71) Sensus: subsequuti sunt illum pueri, in patina ingenti gruem ferentes, membratim divisum, plurimo sale aspersum cum panis mica. Mazonomum, nomen patinae majoris. Per far non farinam, sed minutas panis ex farre cocti particulas intellige.

72) Sensus: etiam jecur anseris, qui pastus erat ficubus pinguibus; et anteriores leporum partes a corpore avulsas tanquam sic suaviores futuras, quam si cum lumbis comederentur, scilicet adferebant.

73) Pectore adusto, id est, quarum pectus adustum fuerat coquendo.

74) Sensus: res convivarum palato certe gratissimae, nisi, quibus ex causis ista sic offerrentur, et quam vim a natura haberent, fuse exposuisset coenae magister, qui tandem avaritiae suae ineptae has nobis poenas dedit, ut ingustatas illius dapes sic fugeremus, ac si illas Canidia veneno infecisset, illo pejore, quod serpentibus Afris exprimitur. De Canidia vide Epod. V. XII. et XIII.

Q. Horatii Flacci

Epistolarum

Liber II.

Epistola I.

Ad Maecenatem.

Occasio et argumentum.

Sicut sermones Horatii, ita etiam epistolae ejus vitam communem hominum, tunc temporis viventium, depingunt, eo solum discrimine, quod hae ad personas singulares forma epistolica directae sint, illae vero ad usum communem et publicum destinatae fuerint. Has porro epistolas a poëta provectiori nonnisi aetate scriptas esse constat; hinc etiam stylus earum severior et plenus philosophicis discussionibus, satyrarum vero sermo facetus magis est et salsus. Quemadmodum autem 1am odarum, et 1am satyrarum, ita quoque hanc 1am epistolarum, Ium earum librum in publicum editurus, Maecenati, patrono suo dedicasse videtur. Vide vers. 1. Provocatus nimirum ab eo, ut post longum temporis intervallum eandem semitam, quam olim odas et satyras scribendo tanta cum laude triverat, iterum ingrediatur; ab initio statim, excusans, cum aetate, quae a salibus et nugis abhorreat, provectior jam sit, philosophiae studio deditum, ast nulli sectae philosophicae peculiariter se addictum esse profitetur; vide vers. 11. et sic ad primarium hujus epistolae argumentum philosophicum delatus demonstrat porro: Maxima pars hominum, divites aeque ac pauperes, divitias aliaque diversissima sectantur bona, felicitatis consequendae causa; immo eorundem hominum studia et conatus tam parum sibi constant, ut tantum in sapientia, id est, philosophiae studio vera felicitas quaerenda sit.

Prima [1]) dicte mihi, summa dicende Camoena [2]),

1) Sensus: tu, Maecenas, quem primis meis versibus celebravi ante omnes alios ut patronum meum, quemque etiam postremis debeo celebrare, vis me in eo ludo iterum exerceri, ex quo pridem abieram, libertate donatus.

Spectatum satis, et donatum jam rude [3]), quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo?
Non [4]) eadem est aetas, non mens. Vejanius [5]), armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.
Est [6]) mihi, purgatam crebro, qui personet aurem [7]):

2) Camoena seu Musa posita est pro carmine; per primam Camoenam intellige odas, quas fere omnes priori loco cecinit, ante satyras nempe et epistolas; et earum prima, sicut etiam aliae nonnullae inscriptae sunt Maecenati. Summa igitur Camoena designat ultima poëtae scripta, epistolas.

3) Rudis erat virga seu bacillum ligneum; iis gladiatoribus dabatur, qui vacationem, et quasi missionem obtinebant ab arte gladiatoria, post annos certos in ea consumtos, sic, ut ad certandum in arena cogi non possent; hinc: spectatum me, sicut gladiatorem, jam satis, id est, emeritum, et rude, id est, libertate donatum iterum quaeris, vis, conaris includere, antiquo ludo, id est, ad eundem ludum cogere. Comparat hic se Horatius cum gladiatore: gladiator enim spectatur, cum in conspectu populi pugnat; poëta autem spectatur, cum ars et ingenium in ejus carminibus cognoscitur. Porro, sicut gladiator rude, ita poëta lauro donatus, se ut militem in castris Musarum emeritum vel exauctoratum declarat. Per antiquum ludum poëtae autem intelligi debent odae et satyrae; Ludus enim proprie, ut hic sumitur, erat locus, in quo se gladiatores exercebant, et arma tractare docebantur; metaphorice itaque significatur palaestra poëtica.

4) Id est, aliter enim in juvenili, aliter in virili, et aliter in senili aetate sentimus. Adparet inde, Horatium, cum hanc epistolam scriberet, jam provectiori aetate fuisse, licet annus, quo ea scripta sit, certo constitui nequeat.

5) Vejanius, gladiator celebris. Qui deponebant artem aliquam, ejus instrumenta adpendere solebant Diis, qui illi praesidebant; ac quoniam Hercules praeesse putabatur rebus periculosis et laboribus, qualis haud dubie fuit gladiatura, ideo Vejanius arma sua obtulit Herculi, cum ab ea discederet; sic etiam milites post peractam militiam arma sua Marti consecrare solebant. Praeterea illi gladiatores, qui pugna inferiores, et ab adversario in ultimam partem arenae (ille enim locus erat in amphitheatro, ubi pugnabatur) recedere coacti erant, spectantem populum saepe rogabant, ut vitam sibi servaret prohibens, ne a victore occideretur. Vide Antiqu. Hujus igitur Vejanii exemplo probat poëta sibi jam a poësi abstinendum esse: Ille jam senior, et multis periculis perfunctus, recte artem deposuit, ne tandem victus a populo spectante vitam suam efflagitare cogeretur, et in otium villae rusticae se abdidit, cur mihi non idem concedatur?

6) Sensus: audire mihi videor aliquem, qui me non invitum sic admoneat: si sanus es, loris solutis mittes, solves mature a curru equum senio fessum, ne demum aliquando anhelus et viribus defectus irrideatur, id est, quemadmodum equus vetulus currum in circo non belle trahit, ita et ego, jam senior, versiculos minus commode ac decenter facio.

7) Aurem purgatam sordibus, ac proinde clarius, vel etiam, libentius audientem; qui enim aliquid non libenter audiunt, aurem sibi obstruunt.

Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet[8]) ad extremum ridendus, et ilia[9]) ducat.
Nunc itaque et versus et cetera ludicra[10]) pono:
Quid[11]) verum atque decens curo et rogo, et omnis in hoc sum:
Condo[12]) et compono, quae mox depromere possim.
Ac ne forte roges, quo[13]) me duce, quo Lare tuter:
Nullius[14]) addictus jurare in verba magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes[15]).
Nunc[16]) agilis fio, et mersor civilibus undis,
Virtutis verae custos rigidusque satelles:
Nunc in Aristippi furtim praecepta delabor,
Et mihi res, non me rebus, subjungere conor.
Ut[17]) nox longa, quibus mentitur amica, diesque

8) Peccet, corruat, tardius incedat.

9) Ilia ducat, id est, aegre anhelitum ducat, ut senes et fatigati solent.

10) Carmina sua et versus praecipue lyricos poëta saepius modeste lusus vocat.

11) Sensus: solum id, quid verum et honestum sit, curo et inquiro et totus in eo, id est, philosophiae studio, versor.

12) Condo, id est, recondo animo et mecum meditor praecepta philosophiae et recondita compono, id est, in ordinem redigo, ut ea dein proferre in lucem, inde fructus depromere, utilitatem capere possim.

13) Sensus: quem philosophiae auctorem, quam philosophorum sectam et quasi familiam sequar, amplectar. Lar hic positus est pro domo vel familia.

14) Sensus: scito, me ita addictum, deditum esse philosophiae, ut in nullius magistri verba jurem, h. e. nullius philosophi auctoritate me decipi, et in errorem induci patiar, sed ea tantum, quae mihi vera esse videntur, amplectar.

15) Eleganter Horatius imagine a navigatione translata exprimit hoc: ad quemcunque philosophum me rapit impetus, apud eum sum hospes, et hospes maneo, non ejus scholae vel sectae me addico, sed ea tantum, quae mihi probantur, deligo. Voluit igitur Horatius philosophum agere, quem dicunt, eclecticum.

16) Sensus: nunc Stoicae disciplinae praecepta sequens agilis fio, id est, gnavam operam do rebus gerendis civilibus, et earum mole obruor, dum veram virtutem severa cura custodire et defendere studeo; nunc furtim ad Aristippi, voluptate summum bonum metientis, disciplinam retro feror, et res mihi, non me rebus subjicio, id est, facio, quod lubet, non, quod facere jubeor. Stoici summum bonum in virtute et honestate ponebant et contendebant sapientem solum posse rempublicam administrare, res civiles gerere. Epicurei e contra summum bonum in voluptate ponebant, hi itaque praeter se omnia reliqua negligentes sibi res, non se rebus subjiciebant. Ex horum numero fuit Aristippus Cyrenaicus. Vide L. II. sat. 3. not. 65.

17) Ut nox — nocebit. Sensus: ut nox longa est iis, qui mendacem

Longa videtur opus debentibus; ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae spem
Consiliumque morantur agendi gnaviter id, quod
Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque,
Aeque neglectum pueris senibusque nocebit.
Restat[18]), ut his ego me ipse regam solerque elementis:
Non possis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi;
Nec, quia desperes invicti membra Glyconis,
Nodosa corpus nolis prohibere chiragra.
Est[19]) quadam prodire tenus, si non datur ultra.
Fervet avaritia miseroque cupidine pectus?
Sunt verba[20] et) voces, quibus hunc lenire dolorem

amicam habent, et dies longus iis, qui mercede ad certum opus faciendum conducti sunt; sicut pupillis, quibus grave est sub matrum imperio vivere, longus est annus: sic mihi lente abeunt, et molesta sunt tempora, quibus retardatur mihi spes et facultas, serio id adgrediendi, quod, cum fit, pauperibus aeque ac divitibus, id est, omnibus utile, cum autem negligitur perinde pueris et senibus, id est, omnibus noxium est. Intellige hic progressus in philosophiae studio, et in exercitio virtutis, qui adeo parum procedunt, ut in eo exercitio et studio nimis longum tempus consumendum sit.

18) Sensus: confecto igitur jam, ac decurso propemodum vitae spatio, id unum faciendum mihi restat, ut elementis philosophiae et praeceptis regam vitam meam et mores componam. Ex his philosophicis praeceptis statim adducit unum: „Noli aliquid assequi velle, quod pro facultatibus a natura tibi datis assequi non potes, sed ea, quae habes, diligenter cura et tuere," quod duobus exemplis illustrat: Etsi quis non tanta oculorum acie praeditus sit, ac Lynceus; propterea tamen non negliget, oculos inungere, si lippitudine laboraverit; sic etiam, licet nunquam habiturus sis tam valida membra, quam Glyco, non ideo intermittes prohibere et impedire, ne morbus corpus tuum corripiat; pro morbo autem nodosa chiragra posita est. De Lynceo, oculoram acie celebratissimo narratur, eum loca remotissima, immo etiam Orcum visu assequi potuisse. Fuit filius Apharei et Argonautarum unus. Glyco autem videtur fuisse gladiator ob corporis robur et vastitatem invictus. Oculo contendere, id est, oculorum contenta et intenta acie Lynceum vincere vel assequi. Chiragra autem nodosa dicitur, quia in digitorum articulis intumescens humor, quosdam quasi nodos efficit, quibus eos constringit.

19) Sensus: est, licet itaque ad certum finem progredi, si ulterius progredi non licet, id est, licet ad aliquam doctrinae virtutisque perfectionem prodire, proveki; etsi non liceat ulterius, nempe, ad summam ejus obsolutionem et quasi apicem pervenire.

20) Verba et voces: Intelligi hic possunt voces et incantationes magicae,

Possis, et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? sunt certa piacula [21]), quae te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator [22]),
Nemo [23]) adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae [24]) patientem commodet aurem.
Virtus est, vitium fugere, et sapientia [25]) prima,
Stultitia caruisse. Vides [26]), quae maxima credis
Esse mala, exiguum censum, turpemque repulsam,
Quanto devites animi capitisque labore:
Impiger extremos curris mercator [27]) ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes [28]):
Ne [29]) cures ea quae stulte miraris et optas,
Discere et audire et meliori [30]) credere non vis?
Quis [31]) circum pagos et circum compita pugnax,

quibus morbos putabant veteres sanari. Illis philosophiae praecepta comparat poëta, quibus avaritiam et cupidinem ex animo pellere homines jubentur.

21) Piacula erant apud Romanos ea omnia, quibus expiabant, id est, purgabant et pium ex impio reddebant hominem vel locum aliquem, ut, preces, sacrificia etc. Philosophia stultos et impios a vitiis et erroribus liberat. Sensus ergo est: sunt certa remedia, quibus laudis cupiditatem, qua pectus tuum turget, compescere et comprimere potes, saepius scilicet et puro animo legendo libellos philosophorum, quorum praeceptis aeque ac piaculis purgari atque expiari potes.

22) Amator, qui mulieres sectatur, libidinosus.

23) Nexus sententiarum: omnes denique a vitiis suis liberari, et emendari possunt praeceptis, nemo enim adeo indomabili natura est etc.

24) Culturae, praeceptis, quibus animus excolatur.

25) Sapientia prima, id est, initium sapientiae, primus gradus sapientiae, est, stultitia se exuere.

26) Sensus et ordo: advertis, quanta animi cura, et quanta capitis contentione, seu, quanto vitae periculo effugere coneris ea, quae summum malum esse existimas, nempe: tenues proventus, et repulsae turpitudinem, quam ii perferre coguntur saepe, qui honores petunt et ambiunt!

27) Mercator, id est, mercaturae causa.

28) Per ignes, id est, per aestuosas plagas; vel metaphorice per media pericula.

29) Sententia: Cur itaque non vis discere, et audire praecepta philosophiae, quibus docearis, ea non curare, ne cupiditate horum exagiteris, quae stulte magna credis et appetis?

30) Meliori, idem ac, doctiori, prudentiori, philosopho nempe, qui haec praecepta tradit et docet,

31) Id est: quis est, qui non malit coronari in ludis Olympicis, praecipue, si palmam in illis ludis sine pulvere, sine pugna consequi possit, quam

Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,
Cui sit conditio dulcis sine pulvere palmae?
Vilius [32]) argentum est auro, virtutibus aurum.
O cives [33]), cives! quaerenda pecunia primum est,
Virtus post nummos! haec Janus summus ab imo
Prodocet [34]): haec recinunt juvenes dictata senesque,
Laevo [35]) suspensi loculos tabulamque lacerto.
Si quadringentis [36]) sex septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, et lingua, fidesque,
Plebs eris. At pueri ludentes, Rex eris, ajunt,
Si recte facies. Hic murus [37]) aheneus esto;
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia [38]), dic Sodes, melior lex, an puerorum est

athletae circumforanei more circum pagos et vicos pugnare? Expressit autem Horatius hac adumbrata imagine sententiam hanc: an non longe prudentius est, juxta philosophiae praecepta virtutem, quae sine curis et laboribus exerceri potest, curare et colere, quam humilia illa divitiarum et honorum studia? De ludis Olympicis vide L. I. od. 1. not. 3. Magna coronari Olympia, est Graeca constructio pro: coronari in magnis celebratissimis Olympiis.

32) Sensus: quantum enim argentum pretio cedit auro, tantum et longe plus adhuc virtus praeferenda est auro.

33) At nostra aetate morum magistri clamant et praecipiunt: O cives, ante omnia quaerenda est pecunia, et post quaesitam pecuniam demum virtus; haec dictata, haec praecepta in Jano summo et imo, ubi feneratores sedent, publice docentur; eadem juvenes senesque repetunt, dum sicut pueri in scholam euntes tabulas et loculos secum portant. De Jano vide L. II. sat. 3. not. 17.

34) Prodocet, h. e. publice palam docet; nam particula, pro, in compositis notat fere: palam, foris, publice, aperte.

35) Hunc integrum versum vide L. 1. sat. 6. vers. 74. et not. 48.

36) Sensus: si sex aut septem millia sestertium desunt tibi, quo minus habeas quadringenta millia sestertium (qui census equitum erat, seu pecunia proventus annui illis necessaria, qui Romanos inter equites numerari vellent) et animo, id est, fortitudine et morum probitate, eloquentia, fide etc. praeditus sis, tamen plebejus semper manebis et in ordine civium infimo; quod quam inique sit institutum vel ipsi pueri docent, qui, cum ludunt, ita suos socios alloquuntur: Rex eris, id est, omnium primus, si omnium optime luseris. De sestertio vide L. II. sat. 3. not. 19. et Antiqu.

37) Dum poëta de pretio, non divitiis, sed virtuti statuendo loquitur, inserit gravissimam sententiam hanc: Nullius rei malefactae sibi conscium esse, de nullo flagitio pudore suffundi, hoc firmissime, instar muri ahenei et arcis, pectus munire, et ab iis, quae turpia sunt, defendere debet. Ceterum haec sententia inserta idearum nexum turbare videtur; sequentia enim: Roscia etc. cum praecedentibus eam multo melius cohaerent.

38) Sensus: dic, quaeso, an lex illa, a Roscio Othone tribuno plebis

Naenia, quae regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis [39]) et decantata Camillis?
Isne [40]) tibi melius suadet, qui rem facias, rem,
Si possis recte; si non, quocunque modo rem,
Ut propius spectes lacrimosa poëmata Pupî [41]):
An, qui fortunae te responsare superbae
Liberum et erectum praesens hortatur et aptat?
Quod si [42]) me populus Romanus forte roget, cur
Non, ut porticibus, sic judiciis fruar îsdem,
Nec sequar, aut fugiam, quae diligit ipse, vel odit:
Olim quod vulpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam: Quia me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.
Bellua [43]) multorum es capitum: nam quid sequar? aut quem?
Pars hominum gestit conducere [44]) publica: sunt, qui

lata, quae aditum in equestrem ordinem illi aperit, cui sint quadringenta HS, quam illa puerorum ludentium naenia, formula et cantilena, quae reges eos fore clamitat, qui recte fecerint, olim a Curiis illis et Camillis usurpata, qui dignitates et imperia optimis deferebant, melior, praeferenda sit? h. e. utrum auro an virtuti majus tribuendum sit pretium?

39) De Curiis et Camillis vide L. I. od. 11. not. 38 et 39. Hic positi sunt illi mares pro viris probis et generosis in genere.

40) Sensus: meliusne suadet tibi is, qui tibi consilium dat, ut rem, id est, opes colligas, quatenus id recte et honesto modo fieri potest; et si bono modo fieri non possit, ut id quocunque demum modo facias, donec tantas divitias congesseris, ut tibi Equiti in sede propiore et honoratiore spectare liceat Pupii tragoedias? An melius tibi consulit is, qui praesens adest tibi, hortans, aptans te ac confirmans, ut libera et erecta mente fortunae superbae, superbius contra te insurgenti, resistas ejusque munera contemnas?

41) Pupius tragoediographus ita affectus spectantium movit, ut eos flere compelleret, hinc tragoedias ejus poëta vocat, lacrimosa poëmata.

42) Sententia: quodsi forte me roget populus, cur, sicut in iisdem cum ipso porticibus deambulo, non eadem quoque cum ipso judicem, amem aut rejiciam, quae ipse amat aut respuit? respondebo, quod olim cauta vulpes aegrotanti leoni, illam ad se in cavernam invitanti, respondisse dicitur: Quia me vestigia terrent, videns omnia versus te spectantia, nulla vero retrorsum. Vulpes enim in fabula timet leonis insidias; poëta vero populi Romani pravitatem corruptosque mores exhorrescit.

43) Populum Romanum, modo hoc, modo illud vitiorum genus sectantem, alloquitur, ut monstrum multorum capitum: Quid enim amplectar, cujus sententiam sequar?

44) Conducere publica: intelligenda hic sunt imprimis vectigalia, unde, qui ea conducebant, praecipue equites dicti sunt publicani. Sed multa alia etiam, quae ad publica pertinebant, v. g. pontes, aedificia etc. conducebantur, id est, pro certa pecuniae summa exstruenda suscipiebantur a redemtoribus.

Crustis [45]) et pomis viduas venentur avaras,
Excipiantque senes, quos in vivaria [46]) mittant:
Multis [47]) occulto crescit res foenore. Verum [49])
Esto, aliis alios rebus studiisque teneri;
Iidem eadem possunt horam durare probantes?
Nullus [49]) in orbe sinus Bajis praelucet amoenis,
Si dixit dives, lacus et mare sentit amorem
Festinantis heri; cui si vitiosa libido
Fecerit auspicium, cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri. Lectus [50]) genialis in aula est:
Nil ait esse prius, melius nil coelibe vita;
Si non [51]) est, jurat bene solis esse maritis.
Quo [52]) teneam vultus mutantem Protea nodo?

45) Crustum est particula vel frustum placentae. Sensus: quidam placentulis, pomis aliisque hujusmodi rebus se avaris viduis insinuant, et senibus callide blandiuntur, ad haereditatem eorum captandam.

46) Vivaria sunt loca, ubi in futurum usum viva animalia, quadrupedes, aves, pisces etc. servantur. Lepide igitur capti senes, ut haeredipeta post mortem eorum captatae haereditatis fructus capiat, mitti ab eo dicuntur in vivaria.

47) Id est: multis placet clanculum foenore rem seu opes suas augere.

48) Sensus: sed esto sane, aliud aliis placeat; non id miror in tanta hominum multitudine, tanta varietate studiorum ac voluntatum; sed quis credat, eundem hominem in horas mutari, et modo hoc, modo illud probare?

49) Horatius jam exempla levitatis et mutabilis hominum animi adfert. Sensus et ordo: licet homo dives aliquis dicat: nullus in toto terrarum orbe sinus Bajis amoenis pulchrior est, et amoris hujus, quo Bajarum amoenitate captus est, argumenta lacus et mare sine mora accipiant ab hero seu domino, nova aedificia in mare procurrentia ibidem exstruente; tamen si vitiosa libido, si levitas illius aliud ipsi objecerit auspicium, id est, si alibi domum aedificare suaserit, crastina, id est, sequenti die jam iterum imperabit et dicet: Vos, fabri et operarii, deportate Bajis Teanum ferramenta et fabrilia instrumenta; pro vulgari: licet maxime delectentur divites nunc regione circa Bajas in Campania, mox iterum aliam huic praeferent. Auspicium est divinatio, ducta e volatu avium, sicut jam saepius dictum. Similiter etiam vitiosa libido dicitur facere auspicium iis, qui eam unam consulunt. Teanum, Campaniae oppidum a mari remotum; Bajae autem mari proximae fuerant.

50) Sensus: si quis est maritus, laudat coelibem vitam, et contra. Lectus genialis lectus erat nuptialis, qui in aula, id est, domo, vel in ea domus parte, quae atrium dicebatur, sterni et poni Genio consueverat, quia Genius nativitati hominum praesidebat. Vide Antiqu.

51) Si non est, nempe, lectus genialis ipsi, id est, si non duxit uxorem etc.

52) Sensus: quomodo compescam mutabilem divitis animum? et pro hoc dicit poëta: Quo modo, quo vinculo constringam et coërceam divitem, qui Protei instar tot formas induit? Proteus Deus marinus fuit, et Neptuni pa-

Quid[53]) pauper? ride: mutat coenacula[54]), lectos,
Balnea[55]), tonsores; conducto navigio aeque
Nauseat[56]) ac locuples, quem ducit priva triremis.
Si[57]) curatus inaequali tonsore capillos
Occurro, rides; si[58]) forte subucula pexae
Trita subest tunicae, vel si toga dissidet impar,
Rides. Quid[59])? mea cum pugnat sententia secum,
Quod petiit, spernit, repetit, quod nuper omisit;
Aestuat, et vitae disconvenit ordine toto;
Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis;
Insanire putas solemnia me, neque rides,
Nec medici credis, nec curatoris[60]) egere

stor, omnes formas induere, et in ignem, aquam, rupem etc. verti pro arbitrio solitus. Vide etiam L. II. sat. 3. not. 49.

53) Sensus: quid autem agunt pauperes? an sunt constantiores divitibus? Nequaquam; ride mecum, Maecenas, eorum levitatem; mutant et hi etc. pro vulgari: Pauperes aeque mutabiles sunt ac divites.

54) Coenaculum erat superior aedium pars apud Romanos, ubi habitabant et coenabant inquilini seu pauperes.

55) Balnea intellige publica, quibus utebantur pauperes; nam divites in suis quisque domibus exstructa habebant balnea.

56) Nauseat, id est, aeque fastidit, aeque pauperem capere solet satietas navigii, quod sibi conduxerat, quam divitem, qui privam h. e. propriam habet navim. Quem ducit, pro, qui vehit, ducitur in propria navicula.

57) Sententia, quam poëta in sequentibus amplificavit, est haec: si quid apud me animadvertis, Maecenas, quod externae vivendi rationi repugnat, rides; at, si ego homo varius et inconstans sum, dum me ad solennes hominum errores conformiter agere putas, non rides. Quod autem de se hic dicit, de omnibus intelligendum est. Si curatus capillos, Graeca constructio pro: si capillis a tonsore curatis. Inaequalis tonsor autem est is, qui inaequaliter capillos tondet.

58) Sensus: si sub pexa, idest, nova, villosa tunica geram tritam, id est, detritam et veterem subuculam; vel si togam non aequaliter pendentem ab humeris habeam, ita, ut plus hinc pendeat, quam illinc; etiam rides. Subucula, est vestis intima, vulgo indusium, nostris Hemd. Tunica est vestis exterior, et toga extima. Vide Antiqu.

59) Sensus: quid autem? cum mihimet ipsi, modo hoc, modo illud adpetenti, repugno; cum sperno, quod petii, repeto, quod modo abjeci; cum animi impetu et fervore huc illuc agitor, et totum vitae ordinem disturbo; cum destruo ac iterum destructa aedifico, quae sunt quadrata, rotunda facio; dum putas me insanire ad solennem hominum morem, id est, cum me communi laborare existimas insania, non me rides, nec me putas medico indigere, aut curatorem debere mihi a praetore dari; cum tamen meis studeas commodis, et graviter succenseas mihi ob rem levissimam, quae recedit ab externa elegantia; et pro hoc: si videris amici hominis, in te omnem spem reponentis, ac in te uno colendo occupati, ungues male praesectos esse.

A praetore dati, rerum tutela mearum
Cum sis, et prave sectum stomacheris ob unguem
De te pendentis, te respicientis amici?
Ad summam[61]): sapiens[62]) uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum;
Praecipue[63]) sanus, nisi cum pituita molesta est.

Epistola II.

Ad Lollium.

Occasio et argumentum.

Ad M. Lollium, qui anno aetatis Horatii 44. et Urbis 733. cum M. Lepido consul fuerat, scripsit Horatius L. IV. od. 8am; ast cum haec epistola scribatur ad juvenem quemdam Romanum, ut manifesto constat, legentibus, Lollius hujus epistolae omnino alius esse debet ab illo consulari, qui Horatio vel senior, vel certe aequalis aetate fuerat, ita, ut ad eum versu 67. non potuerit scribere: Nunc adhibe puro pectore verba puer. Locus ergo relinquitur conjecturae valde probabili, Lollium hunc unum esse de M. illius Lollii juvenibus filiis, et quidem natu maximum, qui Romae artibus liberalibus operam navans, in oratoria praecipue exercebatur. Vide vers. 1 et 2. et not. 2. Huic igitur Horatius parentis instar scribit e Praenestino, et hortatur eum, ut praeceptis sapientiae mentem quamprimum imbuat, atque ex iis vitam instituat; utatur autem potissimum Homero,

60) Curator dabatur insanis a praetore, ut eorum curaret bona, si propinquis carerent.

61) Ad summam, id est, ut breviter dicam.

62) Hac sententia: solus is, qui ad sapientiae praecepta vitam componit, felix et beatus est, praecepta philosophiae, quae tradidit hac epistola, concludit. Ast pro hac vulgari sententia posuit poëta Stoicorum axioma: Qui sapiens est, unum supra se Jovem habet, ille est etc. Vide etiam L. II. sat. 3. vers. 125 et 136.

63) Sensus: praecipue autem summa sanitate praeditus est; et poëta adjungit: animi quidem semper, sed non item corporis. Stoici dicebant, sapientem in gravissimis morbis et cruciatibus sanum ac valentem esse; negat hoc Horatius jocando, conceditque animi bona recte tribui sapienti, non item corporis, quae non sunt in nostra potestate. Pituita est humor frigidus et hic vox trium syllabarum, quia prima longa. Ceterum pituita etiam de gravedine intelligi potest.

cujus doctrina de moribus planior atque uberior sit, quam quorumcunque philosophorum. Subjungit dein ex ipsis his praeceptis quaedam, ad quae juvenibus vita dirigenda sit.

Trojani [1]) belli scriptorem, maxime Lolli [2]),
Dum tu declamas Romae, Praeneste [3]) relegi;
Qui [4]), quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius [5]) ac melius Chrysippo [6]) et Crantore [7]) dicit.
Cur [8]) ita crediderim, nisi quid te detinet [9]), audi.
Fabula [10]), qua Paridis propter narratur amorem
Graecia Barbariae lento collisa duello,
Stultorum regum et populorum continet aestus [11]),
Antēnor [12]) censet belli praecidere causam:
Quid Paris? ut [13]) salvus regnet vivatque beatus,
Cogi posse negat. Nestor [14]) componere lites

1) Sententia est: interim, dum tu, Lolli, Romae dicendi arte exerceris, ego ad Praeneste scriptorem belli Trojani Homerum relego, iterum lego.

2) De Lollio vide argum. Maxime, id est, natu maxime.

3) Praeneste urbs est in Latio; eo Horatius secedere, et ibi Musis atque sibi vivere solebat.

4) Qui poëta Homerus.

5) Planius, id est, majori perspicuitate.

6) Chrysippo, philosopho Stoico, vide L. I. sat. 3. vers. 127. not. 85.

7) Crantor erat Academicus philosophus, Xenocratis discipulus. Academici autem omnia in dubium vocabant, nihil certum esse contendebant.

8) Cur autem sic opiner et existimem.

9) Detinet, id est, si vacat tibi audire, nisi alia gravior res te detinet.

10) Homeri Ilias et in genere epopoeiae, tragoediae, comoediae fabulae dicuntur, quia multa in iis finguntur, et ad ornandam actionem primariam, quae poëmatis argumentum est, adduntur. Barbariae, id est, Phrygiae, Trojadi; Graeci enim ceteros populos omnes adpellare Barbaros solebant. Idem etiam apud Romanos moris fuit. Sensus est: poëma, in quo exhibetur Graecia tota longo bello cum Trojanis pugnans ob Paridis amorem in Helenam, quam rapuit. Duellum, positum est pro bello; et collisa, pro: commixta; qui enim invicem se petunt, colliduntur.

11) Aestus, id est, vehementiores animi motus et vitia; regum, id est, Agamemnonis et Achillis; et populorum, id est, Graecorum et Trojanorum.

12) Antenor, unus Priami filiorum. idemque prudentissimus, censet causam, ex qua bello Graeci petebant Trojanos, e medio tollendam, scilicet Helenam reddendam esse.

13) Sensus: ut regno potiatur incolumis, et beatam vitam ducat, persuaderi omnino nequit; contradicit sententiae Antenoris, et adfirmat, se invitum adigi nullatenus posse. Vide L. I. od. 13.

14) Nestor Graecus senex sapientissimus. Vide L. I. od. 13. not. 28.

Inter Peliden [15]) festinat et inter Atriden:
Hunc [16]) amor, ira quidem communiter urit utrumque [17]).
Quicquid delirant [18]) reges, plectuntur Achivi;
Seditione, dolis, scelere, atque libidine et ira,
Iliacos [19]) intra muros peccatur, et extra.
Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,
Utile proposuit [20]) nobis exemplar Ulyssem [21]);
Qui domitor Trojae, multorum [22]) providus, urbes
Et mores hominum inspexit; latumque per aequor,
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit adversis rerum immiserabilis [23]) undis.
Sirenum [24]) voces et Circae [25]) pocula nosti;

15) Pelides, Achilles, filius Pelei. Atrides, Agamemnon, filius Atrei.

16) Hunc, id est, Agamemnonem urit, agitat amor Briseidis captivae, quam quia eripuerat Achilli, magna est inter ambos orta dissensio, Achilles a bello abstinuit, et multae clades Graecis illatae sunt.

17) Utrumque, id est, Achillem et Agamemnonem.

18) Delirant, peccant, agunt perperam. Plectuntur, id est, sequaelae eorum, quae reges (intellige Agamemnonem et Achillem aliosque Graecorum duces) committunt, peccant, transeunt in Achivos, Graecos.

19) Troja etiam Ilium dicebatur ab Ilo, rege Trojanorum. Sensus: a Trojanis intra urbem, et a Graecis extra urbem, seu urbem obsidentibus, multa perperam, imprudenter facta sunt.

20) Proposuit nobis, idem Homerus nempe, in alio poëmate suo, Odyssea.

21) Ulyses fuit Ithacae insulae rex, sagacitate ac prudentia insignis, qui momentum ingens ad capiendam Trojam attulit; praecipue autem, detegendo Achillem, qui sub vestibus muliebribus in Lycomedis aula delitescebat, et Palladium simulacrum Minervae Trojanis rapiendo.

22) Multorum providus dicitur ob ingenii sui sagacitatem Ulysses. Expugnata vero Troja, in Ithacam, regnum suum, redire volens, per longam annorum seriem circumerravit. Hujus itineris fata describit Homerus in Odyssea. Multorum igitur hominum, id est, populorum urbes et mores expertus est hoc suo itinere.

23) Immiserabilis, pro, invictus, insuperabilis undis, id est, impetu adverso rerum seu fortunae.

24) Fuere Sirenes monstra marina superiore parte corporis virgines, inferiore autem pisces. Hinc fictum a poëtis est, eas fuisse Acheloi fluvii et Nymphae Calliopes filias tres, quae cum Siculum litus incolerent, cantus suavitate praeternavigantes deleniebant, et in scopulos naufragio aptos pertrahebant. Quod cum nonignoraret Ulysses, sociorum quidem aures cera obturavit, ne voces audirent, se vero ad navis malum alligavit.

25) Erat Circe famosa venefica, quae certis potionibus homines in belluas vertere dicebatur. Ejus insidias et pocula sapiens Ulysses respuit, cum ad ejus insulam, in ora maritima Italiae sitam, delatus fuisset tempestate; non item ejus socii, qui ab ea in porcos mutati fuere. Per Circen et Sirenes Homerus foedas voluptates adumbravit.

Quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis[26]) et excors,
Vixisset canis immundus, vel amica[27]) luto sus.
Nos[28]) numerus sumus, et fruges consumere nati,
Sponsi Penelopae, nebulones, Alcinoique[29]),
In cute curanda plus aequo operata juventus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies; et
Ad strepitum citharae cessatum[30]) ducere curam.
Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones;
Ut[31]) te ipsum serves, non expergisceris? atqui[32])
Si noles sanus, curres hydropicus: et, ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis, et rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere[33]). Nam cur,
Quae laedunt oculum, festinas demere; si quid
Est animum[34]), differs curandi tempus in annum?
Dimidium[35]) facti, qui coepit, habet: sapere[36]) aude;

26) Turpis, id est, pudendae conditionis homo abjectus. Excors, id est, sanae mentis expers.

27) Amica sus, id est, amans lutum et sordes sus, porcus.

28) Sensus et nexus: nos igitur, qui non virtutis et sapientiae exemplum, quod Ulysses dedit, sequimur, nos, qui in juventute vitae molliori nimis indulgemus, qui ad multam usque lucem dormire, et curas ex animo ad citharae cantum pellere pulchrum esse opinamur, nos inquam, non ad res gerendas, sed ad fruges consumendas et numerum tantum hominum explendum nati videmur, similes porcorum Penelopae, nepotes et luxuriosi, qualis describitur Alcinous apud Homerum.

29) Alcinous, rex erat Phaeacum in insula Corcyra, uni gulae et otio deditus, perinde, ac ceteri Phaeaces. Ab ejusmodi vita desidiosa, quam Penelopes porcos et Alcinoum vixisse refert Homerus, jam Horatius juvenes, nominatim Lollium, ad quem scripsit hanc epistolam, avocat, eumque, ut, lecto ante diem relicto, strenue animum studiis et rebus honestis intendat, nec tempus animi cultui impendendum in annum differat, exhortatur.

30) Cessatum, est supinum, pro: ut cesset; nempe, ut ab omni sollicitudine cessaret animus, eam cithara pulsata longe expellere.

31) Ut te serves, id est, ut te tutum praestes ab iis, quae tibi infesta sunt, ut vites improbam Sirenen, desidiam.

32) Sensus: certe si sanus, qui nunc es, nolueris currere, vires tuas exercere, in posterum, cum male valueris, sicut hydropicus, vel si desidiosa et luxuriosa vita factus fueris hydropicus; curres h. e. vires corporis exercebis deambulando et currendo ad medici mandatum.

33) Torquebere, id est, exagitaberis gravioribus animi adfectionibus, invidia, amore seu libidine etc.

34) Sensus: si quid est, quod animum exedit, absumit.

35) Est proverbium, exprimens: qui audacter et cito rem adgreditur, hoc

Incipe: qui recte vivendi prorogat horam,
Rusticus[37]) expectat, dum defluat amnis; at ille
Labitur, et labetur in omne volubilis[38]) aevum.
Quaeritur[39]) argentum, puerisque beata creandis
Uxor, et incultae pacantur vomere silvae.
Quod[40]) satis est, cui contigit, hic nihil amplius optet.
Non domus et fundus, non aeris acervus et auri
Aegroto domino deduxit[41]) corpore febres,
Non animo curas. Valeat[42]) possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.
Qui cupit, aut metuit, juvat illum sic domus[43]) et res,
Ut lippum pictae tabulae, fomenta podagrum[44]),
Auriculas citharae collecta sorde dolentes.
Sincerum[45]) est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.
Sperne[46]) voluptates: nocet emta[47]) dolore voluptas.
Semper avarus eget[48]): certum voto pete finem.

ipso jam dimidia parte perfectam considerare potest; quo libentius enim quis ad opus accedit, eo citius etiam illud absolvet.

36) Sapere aude, id est, aude solum, et incipe capessere vitae sapientis viam, philosophiae studio vacare.

37) Is, sicut stultus ille rusticus in fabulis, dum defluat amnis, expectat. Rusticus scilicet quidam ad amnem stetisse, et, ut sicco pede eum transiret, donec aqua defluxisset, expectare voluisse fingitur, pro vulgari: sed frustra expectat.

38) Volubilis, id est, celeri cursu.

39) Nexus et sententia: sed plurimi homines non animo excolendo et ad virtutem atque sapientiam conformando, sed divitiis colligendis augendisque unice intenti sunt. Et pro hoc: laboratur in quaerenda pecunia, et conjuge beata seu divite, et idonea ad filios procreandos; incultae etiam silvae vomere pacantur, excoluntur, arantur, mansvescunt, id est: loca inculta et vepribus obsita aratro purgantur et mitiora redduntur.

40) Sensus: qui habet, quod sufficit, nihil praeterea optare debet.

41) Deduxit, id est: depulit. Morbi et curae opibus non sanantur et arcentur.

42) Sensus et ordo: ille, qui cupit quaesitis jucunde frui, corpore et animo valere, sanus esse debet.

43) Domus et res, pro opibus et divitiis.

44) Podagra laborantem.

45) Sincerum, purum. Hoc transfer ad animum vitiis purum.

46) Enumerat poëta vitia et cupiditates, quibus animus est expurgandus, voluptatem nempe, avaritiam, invidiam, iram etc.

47) Sensus: voluptas enim ita parta et praecepta, ut dolor eam sequatur, nocet.

48) Eget, id est, plura cupit. Propone igitur tibi desideriorum aliquem certum finem.

Invidus [49]) alterius macrescit rebus opimis:
Invidia [50]) Siculi non invenere tyranni [51])
Majus tormentum. Qui non moderabitur irae,
Infectum [52]) volet esse, dolor [53]) quod suaserit et mens,
Dum [54]) poenas odio per vim festinat inulto.
Ira furor brevis est: animum rege: qui [55]), nisi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce [56]) catena.
Fingit [57]) equum tenera docilem cervice magister
Ire viam, qua monstret eques. Venaticus [58]) ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in silvis catulus. Nunc adbibe [59]) puro
Pectore verba puer, nunc [60]) te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. Quodsi [61]) cessas, aut strenuus anteis,
Nec tardum operior [62]), nec praecedentibus insto.

49) Invidus macrescit, tabescit, cum alios opima re, id est, opibus videt gaudere.

50) Sensus: nulla alia cupiditas magis excruciat animum, quam invidia, et pro hoc: Tyranni Siliciae nullum tormentum cruciandis hominibus invenere, quod comparari cum invidia possit.

51) Notus Dionysii ensis, Damoclis cervicibus imminens, de quo vide L. III. od. 1. not. 19. Notus est etiam Phalaris taurus; cum hic exquisita hominibus cruciandis supplicia quaereret, Perillus quidam faber ferrarius excogitavit aeneum taurum, in quo inclusi subjectis ignibus dire torquerentur; placuit inventum Phalaridi, at auctori nocuit; jussit enim tyrannus Perillum primum omnium in illum taurum conjici, et vivum exuri.

52) Infectum, irritum, non factum; volet non accidisse.

53) Dolor et mens, id est, mens dolore seu ira incensa.

54) Sensus: dum irae expiandae vel explendae causa festinanter vim infert; et pro hoc: dum, odium suum inultum esse dolens, properat poenas acceptae injuriae per vim et nefas exigere.

55) Qui, nisi paret, nisi tuo subjectus est imperio, ipse imperat.

56) Compesce cohibe frenis et catena.

57) Sensus: sed puerili aetate, ubi pectus adhuc purum et integrum est, virtuti opera danda est. Exprimit hoc poëta duplici allegoria ab equo et cane venatico ducta, qui etiam tenera nonnisi aetate finguntur, instituuntur a magistro.

58) Sensus: postquam adsimulatum cervum in aula allatravit canis venaticus, id est, postquam ei, adhuc juveni, injecta est venandi cupiditas, veros cervos in silva venatur, agitat. Cervus autem a venatoribus adsimuatur, cum pellis cervina stramine, musco etc. impletur atque intenditur.

59) Adbibe puer, imbibe. Alloquitur Lollium.

60) Melioribus, id est, doctioribus et sapientioribus trade, offer te docendum.

61) Finit Horatius epistolam hoc fere praecepto: Sed certum modum tene; quodsi enim in re suscepta aut cessas, aut nimis festinantius eam urgeas, scias, me neque cum cessantibus, neque cum nimis festinantibus facere.

62) Operior, expecto.

Epistola III.

Ad Julium Florum.

Occasio et Argumentum.

Viri amplo quodam munere reipublicae fungentes, cum in provincias suas proficiscerentur, praeter servos et libertos alios quoque ingenuos viros secum sumebant, quorum opera diversis in negotiis uterentur; et hi comites, amici, cohors amicorum, contubernales, commensales illius vocabantur. Tiberius itaque, privignus Augusti, a. u. 734, hoc jubente, expeditionem in Armeniam ducens, ut Tigranem regem ei praeficeret in locum Artabaci, ejus fratris, qui Armenis invisus erat, praeter alios comites uti Titium et Celsum, etiam Julium Florum secum habuit. Ad hunc, de quo nihil aliud constat, praeterquam quod etiam amicus Horatii fuerit, poëta hanc epistolam scribit, qua eum rogat, ut se certiorem faciat, in qua regione nunc versetur exercitus, et quid rerum tam ipse, quam ceteri comites Tiberii, in specie vero Titius atque Celsus, gerant; facit etiam discordiae, inter Florum et Munatium locum habentis, mentionem, et tandem utrique felicem reditum precatur et exoptat.

Juli [1]) Flore, quibus terrarum militet [2]) oris
Claudius [3]), Augusti privignus, scire [4]) laboro.
Thracane [5]) vos, Hebrusque [6]) nivali compede vinctus,
An [7]) freta vicinas inter currentia turres,
An pingues [8]) Asiae campi collesque morantur?
Quid [9]) studiosa cohors operum struit? haec quoque curo;

1) De Julio Floro vide arg.

2) Militet, id est, bellum gerat.

3) Claudius Tiberius Nero, Liviae filius, quae postea Augusto nupsit.

4) Scire laboro, id est, scire vellem.

5) Thraca, idem quod Thracia, ex Graeco Θράκη. Potuit autem Tiberius cum exercitu in Armeniam ire per Thraciam, ac proinde per Hellespontum, quo Asia ab Europa dividitur.

6) Hebrus, Thraciae fluvius, nivali compede vinctus, pro: glacie constrictus.

7) An freta, id est, mare angustum interjacens inter vicinas turres. Hellespontus nempe inter duas arces Sestum et Abydum situs, hodie; Dardanellen.

8) Pingues, fertiles.

9) Cum tantopere literas et literatos amaret Augustus, fiebat, ut apud principes viros in pretio essent. Tiberium ergo etiam in bellum proficiscentem sequuti sunt viri docti non pauci, quos eleganter vocat Horatius studiosam cohortem; et hi quid rerum agant, poëta rogat.

Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
Bella quis et paces longum [10]) diffundit in aevum?
Quid Titius [11]), Romana brevi venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus, et rivos ausus apertos?
Ut [12]) valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet, auspice Musa?
An [13]) tragica desaevit et ampullatur in arte?
Quid mihi Celsus [14]) agit? monitus multumque monendus,
Privatas [15]) ut quaerat opes, et tangere vitet
Scripta, Palatinus quaecunque recepit Apollo;
Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula [16]) risum
Furtivis [17]) nudata coloribus. Ipse [18]) quid audes?
Quae [19]) circumvolitas agilis thyma? non tibi parvum

10) In longum diffundit aevum, id est, scriptis mandat, ad posteritatem propagat, aeternitati consecrat.

11) Titius, poëta lyricus, brevi ob sua scripta celebrandus apud Romanos, qui non dubitavit, non timuit haurire aquam ex illo fonte recondito, ex quo Pindarus hauserat, id est: qui Pindarum ausus est imitari, contemto vulgari poëseos genere, quae omnibus patens et obvia est instar fontis publici.

12) Sensus: quomodo valet? estne nostri memor? et conaturne versu Latino imitari carminum Thebanorum mensuram et modos? Pindarus enim fuit Thebanus. Vide L. IV. od. 1. not. 1. Auspice Musa, id est, adspirante vel favente Musa.

13) Sensus: an in scribendis tragoediis versans poëtico furore corripitur, et altiore spiritu inflatus sublimiora adfectat? Dum laudat Horatius amicum suum Titium, eundem simul ut poëtam turgidum notare videtur. Desaevit, id est, acri et vehementi stylo utitur; ampullatur, id est, utitur verbis sonantioribus, grandioribus, et quasi inflatis; instar ampullarum, quae sunt vasa turgido ventre, aut bullae vento tumentes, et in aqua summa exstantes.

14) Celsus est poëta, qui aliorum scrinia compilabat.

15) Id est: ut versus edat Marte suo, neque aliorum scripta suffuretur ac sublegat, quae recepit bibliotheca prope templum Apollinis Palatini ab Augusto exstructa. id est, quae in ea servantur. Ibi enim praestantissimorum poëtarum scripta cum eorum imagine honoris ergo publice reponebantur.

16) Pro cornicula graculum vulgo habent fabulae, qui, cum collectis avium aliarum versicoloribus pennis superbus ambularet, iis detractis agnitus, et irrisus est. Sensus: caveat igitur Celsus, ne simile quidpiam ipsi contingat.

17) Furtivis nudata coloribus, id est, exuta pulchris pavonis pennis, quas suas fecerat cornicula.

18) Tu autem, quid audes; quid tractandum perficiendumque tibi sumsisti?

19) Poëtae apibus comparantur. Quos circum flores volas, ut ex iis succum legas melli conficiendo? id est, quae condis tu ipse carmina?

Ingenium [20]), non incultum est, nec turpiter hirtum.
Seu linguam [21]) causis acuis, seu [22]) civica jura
Respondere paras, seu condis amabile carmen;
Prima [23]) feres hederae victricis praemia: quodsi [24])
Frigida curarum fomenta relinquere posses,
Quo te caelestis sapientia duceret, ires.
Hoc [25]) opus, hoc studium parvi properemus et ampli,
Si patriae volumus, si nobis vivere cari.
Debes [26]) hoc etiam rescribere, si tibi curae,
Quantae conveniat, Munatius: an male sarta
Gratia nequidquam coit, et rescinditur? At [27]) vos,
Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat,
Indomita cervice feros, ubicunque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere foedus:
Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca.

20) Ingenium non excultum comparatur cum agro, qui, si non colitur, vepribus et spinis hirtus et hispidus est.

21) Linguam acuis, id est, te ad causas acute et diserte in judiciis dicendas praeparas; pro: sive causas defendis.

22) Sensus: sive consultus de jure civili respondes.

23) Sensus: semper hedera coronaberis victor. Poëtae nimirum coronabantur hedera, quae semper viret; versus enim aeternam pariunt gloriam.

24) Sensus: quodsi curas, quas foves, ejicere posses ex animo, ad altiora, quo te duceret divinae originis sapientia, evehereris, h. e. virtutis et doctrinae gloria conspicuus exsplendesceres. Videtur Horatius Floro mollius exprobrare divitiarum cupiditatem, quae neque parantur, neque possidentur sine curis, has igitur curas, quas alunt et fovent avari, eleganter vocat curarum fomenta, et quidem frigida, quia pectus, quod virtutis amore accendi, vel poëtico spiritu incalescere debet, reddunt frigidum.

25) Sensus: huic operi et huic studio vacare, omnes, parvi et magni, absque mora debemus, siquidem patriae et nobismet ipsis prodesse volumus, ut nempe curis ex animo pulsis virtuti exercendae adsuescamus.

26) Illud quoque, si dignam rem esse credideris, velim rescribas, id est, mihi significes; sit ne tibi tanta cura Munatii, quantam convenit esse? Num studiose ita erga veterem amicum Munatium te geras, uti erga illum te gerere fas sit? (discordia scilicet inter Florum et Munatium gliscere coeperat.) An male sarta gratia, amicitia male redintegrata parum firmiter cohaereat, et iterum disrumpatur? Translata haec sunt a vulneribus, quae, ut coëant, consuuntur et colligantur; aut, postquam coierunt, rescinduntur.

27) Sensus: vos certe, sive aetatis fervor, sive aliquis error disjungit, et dissidere pertinaciter vos facit, ubicunque agitis vitam, dignissimi, quos foedus fraternum conjunctos teneat, scitote: alitur a me juvenca, ex voto immolanda, cum primum ambo redieritis. Nota: intimus amicorum amor cum fratrum amore comparari solet. Quis autem iste Munatius fuerit, an idem

Epistola IV.

Ad Albium Tibullum.

Argumentum.

Albium Tibullum cultissimum poëtam, et sibi amicum, sed in praedio rustico suo curis aegrum, cujus aegritudinis causas autem non indicat, solatur Horatius, hortans, ut philosophiae studium sectetur, si quidem non careat ingenio; et ut interim, dum vivit, exemplo suo fruatur bonis, et genium curet.

Albi [1]), nostrorum sermonum [2]) candide [3]) judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana [4])?
Scribere [5]), quod Cassî Parmensis opuscula vincat?
An tacitum silvas inter reptare [6]) salubres,
Curantem [7]), quidquid dignum sapiente bonoque est?
Non [8]) tu corpus eras sine pectore. Di tibi formam,
Di tibi divitias dederant, artemque fruendi [9]).
Quid [10]) voveat dulci nutricula majus alumno,

cum illo Munatio Planco L. I. od. 6. argum. an alter aliquis, qui nomen nonnisi hoc Munatiorum gereret, quique ante hac amicissimus Floro fuerat, penitus ignoratur.

1) Albius Tibullus poëta in primis tersus, et Latinus, cujus exstant carmina cum Catulli et Propertii versibus vulgo excusa.

2) Sermonum, id est, satyrarum mearum, in quibus carmina proxime accedunt ad sermonem quotidianum, et colloquia familiaria; multi autem hoc scribendi genus non probabant, sive ob humilitatem quamdam dicendi, sive ob maledicendi licentiam, quae in his satyris exstat.

3) Candide, sincere, aeque.

4) Pedana, dicta a Pedo, Latii olim oppido, inter Praeneste, Tibur et Tusculum. Habebat hic Tibullus villam, in quam sese abdiderat moestus, sed hanc animi aegritudinem notam sibi fuisse dissimulat Horatius, ea tantum scribens, quae possint amicum a moerore abducere. Dicam, id est, existimem.

5) Sensus: an putem te scribere aliquod carmen, quod superet opera Cassii Parmensis, poëtae nobilis, a Parma civitate Italiae in Longobardia ejus patria ita dicti? Supplicio est affectus Augusti jussu, quod unus fuisset e Caesaris percussoribus.

6) Reptare, id est, deambulare.

7) Curantem, meditantem de iis, quae virum sapientem deceant et bonum.

8) Eras, pro, es. Sensus: non desunt tibi ingenii animique facultates.

9) Fruendi divitiis partis.

10) Sensus: quid melius posset optare blanda nutrix caro alumno suo,

Qui sapere et fari possit, quae sentiat, et cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus [11]) victus, non deficiente crumena?
Inter [12]) spem curamque, timores inter et iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum;
Grata superveniet, quae non sperabitur, hora.
Me [13]) pinguem et nitidum bene curata cute vises,
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

Epistola V.

Ad Torquatum.

Occasio et argumentum.

Poëta amicum suum Torquatum ad convivium, non quidem lautum, ast laetum, quo natalem Caesaris celebraturus erat, familiariter invitat, hortaturque, ut, negotiis in urbe paulisper sepositis, ad se cum pluribus aliis genio indulsurus veniat. Torquatus hic probabilius idem est cum illo ad quem L. IV. ode 7. directa est; hanc vide. Ceterum e versu 4to et 5to colligere licet, epistolam hanc non multo post a. u. 728 scriptam esse. Vide etiam infra not. 5.

Si potes Archiacis [1]) conviva recumbere lectis,
Nec [2]) modicâ coenare times olus omne patella;

quam ut sapientia imbutus sit; animi sensa voce possit depromere; ut gratia valeat apud homines; famaque vigens et valetudine, habeat, unde honeste vivat, crumena nunquam omnino vacua?

11) Mundus victus; ratio vivendi frugalis, nec tamen sordida.

12) Sensus: unumquemque diem, sive meliora speras et assequenda curas, sive mala imminentia times et animo perturbaris, vitae tuae ultimum illuxisse existima, et, si non est ultimus, quod praeter spem evenit, lucro adpone.

13) Sententia est: cum autem cupies ridere porcum Epicureum, fac visas me pinguem plane et cute bene procurata, corpore toto renidentem. Epicurei scilicet, qui summam voluptatem in corpore lautioribus et largioribus cibis curando ponebant, contemtim Epicuri de grege porci vocabantur. Inde tamen non licet colligere, Horatium quoque Epicureum fuisse; sed ille tantum jocando dicere: se vitae bonis, quamdiu licitum est, frui, et idem etiam amico suadere voluisse, putandus est.

1) Archiacis lectis recumbere, idem est ac: simplicibus et non admodum affabre factis lectis adcumbere. Archias enim faber fuisse videtur, qui nonnisi lectos vulgares conficere solebat. Lectis recumbere, pro: mensae adcumbere.

2) Sensus: nec coenam times, cujus vilia fercula unica patina neque admodum magna contineat. Coenare olus, pro: vesci leguminibus.

Supremo [3]) te sole domi, Torquate, manebo [4]).
Vina bibes iterum Tauro [5]) diffusa palustres
Inter Minturnas, Sinuessanumque Petrinum.
Sin [6]) melius quid habes, arcesse, vel imperium fer.
Jam dudum splendet [7]) focus, et tibi munda suppellex [8]).
Mitte [9]) leves spes, et certamina divitiarum,
Et Moschi [10]) causam: cras nato Caesare [11]) festus
Dat veniam somnumque dies; impune licebit
Aestivam sermone benigno tendere noctem.
Quo [12]) mihi, fortuna si non conceditur uti?
Parcus [13]) ob heredis curam, nimiumque severus
Assidet insano. Potare [14]) et spargere flores
Incipiam, patiarque vel inconsultus haberi.

3) Supremo sole: sole ad occasum vergente, extrema diei parte.

4) Manebo, expectabo.

5) Iterum Tauro h. e. Tauro iterum consule diffusa. Incidit autem secundus consulatus Tauri in annum R. 728. Diffundi dicitur id, quod e majori vase in minus transfunditur. Designatur porro hic vinum non optimae notae, quod licet ad Minturnas, Campaniae oppidum, loco tamen palustri esset natum. Petrinum est vicus prope Sinuessam, antiqui Latii oppidum.

6) Sensus: si melius quiddam tibi paratum ad coenam est, jube illud adferri, vel, sicut alii interpretantur, invita me; aut si hoc nolis, meo arbitrio et legibus vescere et morem mihi gere; quod ego adponi jussero, aequo animo accipe.

7) Splendet, lucet accenso igne; qui enim tenuem coenam parat, modico facit igne focum splendere; lautum vero paraturus convivium, cum multo fumo flammam rotat ingentem. Praeterea opus fuit igne, ut haberetur aqua fervens, omni tempore necessaria, ad temperandam frigidam balnei, quod ante coenam offerri solebat convivis.

8) Suppellex mensaria.

9) Sensus: desine levium rerum lucra sectari, et augendarum divitiarum contentionem remitte, et differ paululum Moschi causam; crastinus enim dies, propter natum Caesarem festus, vacationem a foro dat, et otium producendi mane somni; fas nobis erit bonam partem aestivae noctis fabulando traducere.

10) Moschus Pergamenus rhetor clarissimus, cum veneficii adcusatus esset, patronos, qui ejus causam dicerent, Torquatum et Pollionem nactus est.

11) Nato Caesare. Dies natalis Caesaris (divi Caesaris) qui a. IV. Id. Jul. a Romanis celebratus est.

12) Sensus: quorsum igitur mihi expetam fortunas, id est, opes, et alia fortunae bona etc.

13) Sensus: qui parce vivit ac duriter, ut heredi suo magnas opes relinquat, is adsidet, id est, proxime accedit, similis est insano.

14) Sensus: ex hoc jam incipiam potare et flores spargere, id est, vita frui, licet propterea parum consultus habear.

Quid non ebrietas designat [15])? operta [16]) recludit;
Spes [17]) jubet esse ratas; in proelia [18]) trudit inertem;
Sollicitis [19]) animis onus eximit; addocet [20]) artes:
Fecundi [21]) calices quem non fecere disertum?
Contracta [22]) quem non in paupertate solutum?
Haec [23]) ego procurare et idoneus imperor; et non
Invitus: ne turpe toral, ne sordida mappa
Corruget nares, ne non et cantharus et lanx
Ostendat tibi te; ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet; ut coëat par
Jungaturque pari. Butram [24]) tibi, Septiciumque,
Et nisi coena prior potiorque puella Sabinum
Detinet, assumam: locus [25]) est et pluribus umbris;
Sed [26]) nimis arcta premunt olidae convivia caprae.

15) Designat, profert, efficit, audet, suscipit.

16) Operta recludit, id est, arcana quaeque profert in lucem.

17) Spes jubet esse ratas, id est, dubitare non sinit de iis, quae optavimus.

18) Id est: ignavos facit fortes.

19) Sollicitis animis onus eximit, pro: levat animos pressos curarum pondere.

20) Addocet artes, id est, artium facit peritos.

21) Fecundi, largi, uberes, pleni.

22) Contracta paupertate, qua res admodum tenues in angustum quasi spatium contractae sunt, ac proinde: angusta, tristi. Solutum, sc. curis, hilarem.

23) Contextus et sensus: quae accepturus es apud me, non quidem multa sunt et lauta, attamen idoneus sum ad procuranda sequentia, et libenter in me suscipio horum procurandorum provinciam, si mihi demandatur: nempe, ut toralia, id est, vestes stragulae, quibus tori seu lecti teguntur, sint munda; ut mappa sordida non sit, quod nauseam convivis adfert, efficitque, ut prae fastidio nares corrugent; ut ciathi, ut patinae nitidae sint, adeo, ut in iis tamquam in speculo te contemplari possis; ne inter amicos sit, qui ea, quae dicentur liberius, foris evulget; ut pares convivae cum paribus adcumbant.

24) Sensus est: Brutam etiam atque Septicium, ut nobiscum sint, invitabo, adjungamque Sabinum, nisi forte illum alicubi lautior coena, et amica, quam praeferat, detinebit.

25) Sensus: est etiam adhuc spatium aliis, si quae tecum umbrae advenerint. Qui non invitati cum aliis venerunt ad coenam, umbrae dicebantur; et de his vide L. II. sat. ult. not. 25.

26) Nexus idearum et sensus: sed noli plures tecum adducere; nam, cum multi in eodem loco sunt stipati convivae, odor gravis alarum, qui ex calore nascitur, valde molestus est. Convivia posita sunt pro convivis. Odor teter sub alis capra seu etiam hircus adpellatur, quia hircus est animal imprimis foetidum.

Tu [27]) quotus esse velis, rescribe; et rebus omissis
Atria servantem postico falle clientem.

Epistola VI.

Ad Numicium.

Argumentum.

Scripta est haec epistola ad Numicium quemdam, de quo nihil aliud constat, quam, quod amicus Horatii, et fortasse in divitiis atque honoribus adpetendis, si ex argumento epistolae conjecturam facere licet, nimius omnino fuerit. Primarium illius argumentum in optima vitae ratione, quae hominem felicem reddat, designanda occupatum esse videtur, ita quidem, ut poëta cum Stoicis primum et praecipuum felicitatis momentum esse contendat: nihil admirari h. e. nulla cupiditate commoveri; solam enim virtutem, quae unica verum ac proprium rerum pretium determinat, omnesque cupiditates et delicias spernit, hominem beatum reddere posse. Ast Horatius, utpote nulli philosophicae sectae addictus sicut ipse fatetur Ep. I. vers. 13. 14. et 15. vide quoque not. 13 et 14. et fortasse etiam amico, cujus indoli haec philosophandi ratio minus placuerit gratificaturus, de hinc ex sententia Epicureorum subjungit: Quod si vero quis opes ac divitias felicitatem praebere existimet, is omni studio has conquirat; qui populi favorem et honores inter summa reponit bona, is omnino nihil ad hos consequendos intermittat; et qui lautis epulis curisque amoris felix esse cupit, is gulae atque amori serviat. His meliora si sciveris, claudit demum, mihi quoque illa perscribe. Scripta est epistola post a. u. 729. Vide infra not. 17.

Nil [1]) admirari prope res est una, Numici [2]),

27) Sensus: rescribe, quot umbras tecum adducturus sis, vel, quot apud me coenare tibi placeat; et rebus seu negotiis et causis, quas defendendas susceperas, omissis, sepositis tantisper, falle clientes, qui atrium domus tuae, tecum de sua lite acturi, obsident; atque furtim per posticas, coecas et remotas in extrema domo fores egredere, te subtrahe.

1) Sensus: nulla re, sive sit laeta, sive tristis, nimium adfici; sed aequam in rebus arduis pariter atque in bonis mentem servare, L. II. od. 3. v. 1. haec una propemodum res est, quae nos beatos et felices reddere possit.

2) Numicia gens Romae nobilis et patricia fuit, a Numico seu Numicio Latii fluvio dicta.

Solaque, quae possit facere et servare beatum.
Hunc [3]) solem, et stellas, et decedentia certis
Tempora momentis, sunt, qui formidine nulla
Imbuti spectent; quid censes munera terrae?
Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?
Ludicra quid, plausus, et amici dona Quiritis?
Quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?
Qui [4]) timet his adversa, fere miratur eodem,
Quo cupiens, pacto; pavor est utrobique molestus,
Improvisa simul species exterret utrumque.
Gaudeat, an doleat; cupiat, metuatne; quid ad rem;
Si quicquid vidit melius pejusve sua spe,
Defixis oculis, animoque et corpore torpet?
Insani [5]) sapiens nomen ferat, aequus iniqui,
Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.
I nunc [6]), argentum [7]) et marmor vetus, aeraque et artes

3) Sententia est: sunt qui solem istum et sidera, et quatuor anni tempora, ad solis cursum praestituto momento decedentia, nulla formidine, absque omni stupore et admiratione contemplantur; quid autem putas judicare; quomodo spectare, quo vultu et animo dispicere eos credis res multo illis coelestibus inferiores, v. g. fruges, quas profert terra, et maris munera, ex quo margaritas etc. colligunt Arabes et Indi, Asiae populi; ludos in Circo et theatro edi solitos; plausus, adclamationes et honores, dignitates, Romani populi suffragiis et favore partas?

4) Sensus: qui contraria his, quae dixi, nempe honoribus, plausibus etc. id est, qui dedecus, repulsam etc. timet, afficitur eodem modo, ac ille, qui cupit; pavet enim uterque; is, qui contraria timet, ne eveniant, quae timet; et is, qui cupit, ne non eveniant, quae cupit: sic utrobique pavor est molestus; species enim improvisa, id est, eventus non speratus terret tam timidum, quam cupidum, neque interest, h. e. nullum plane est discrimen, gaudio an dolore, cupiditate an metu aliquis perturbetur; si torpet, si haeret attonitus, si commovetur, quidquid melius aut pejus viderit sua exspectatione? Defixis oculis torpet, pro: vehementissime attonitus perturbatur; qui enim aliqua re nimium commovetur, is oculos in ea defigit, et animo atque corpore in ea haeret.

5) Nexus et sententia: tantum abest, ut rerum cupiditate aut metu perturbari debeamus, ut ne ipsa quidem virtus nimis optari aut nos perturbare debeat, insanusque dici homo sapientissimus, et iniquus haberi homo aequissimus possit, nisi moderate, et intra certos limites virtutem colat.

6) Nexus sententiarum: quod si virtus ipsa nisi moderato, et animo a perturbatione vacuo, adpetenda est, quid censendum de illis, qui argentum, statuas etc mirantur et optant? I ergo nunc etc. Formula, qua cum irrisione jubemus aliquem frustra quid tentare.

7) Argentum sc. factum, h. e. vasa argentea; marmor vetus, id est: veteres statuas ex marmore; aeraque et artes, id est, praestantium artificum

Suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores:
Gaude, quod spectant oculi te mille loquentem [8]):
Gnavus [9]) mane forum, et vespertinus pete tectum;
Ne [10]) plus frumenti dotalibus [11]) emetat agris
Mutus [12]), et, indignum [13])! quod sit pejoribus [14]) ortus,
Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis [15]) illi.
Quicquid [16]) sub terra est, in apricum proferet aetas,
Defodiet condetque nitentia: cum bene notum
Porticus [17]) Agrippae, et via te conspexerit Appî [18]),
Ire tamen restat, Numa [19]) quo devenit et Ancus.

opera ex aere; suspice, pro: contemplare, mirare; Tyrios colores, id est, purpuram cum gemmis ornatam.

8) Loquentem, id est, publice dicentem in concione.

9) Irrequietus semper et actuosus, postquam summo mane forum petisti, inde te domum nonnisi sub vesperam recipe, ad foenus, ut videtur, exercendum; vel ad fidem sponsione praestandam, ut Lib. II. sat. 6. vers. 23. not. 27.

10) Sensus et ordo: omnem curam ac studium impende, ne Mutus te opibus antecedat.

11) Dotalibus agris, quos in dotem accepit, cum uxorem duceret.

12) Mutus, homo ignobilis, uxoris dote dives factus.

13) Indignum! quod indignum sane esset.

14) Pejoribus, id est, ignobilioribus majoribus ortus.

15) Mirabilis, pro: invidendus. Sensus et ordo totius est: et conare, fac, ut invideat potius Mutus tibi ditiori, quam tu illi; indignum enim esset, si tu illi, qui loco ignobiliori natus est, invideres, ut ditiori.

16) Nexus idearum et sensus: ast quam inepte hoc a te fiat, et quantopere necessarium sit, ut cupiditates frenes et coërceas, perspicies recordando, omnes res humanas breves omnino et mutabiles esse. Hanc brevitatem rerum humanarum autem poëta sic exprimit: quidquid nunc latet, terra tegitur, in lucem proferetur quondam, venientes anni in apertum producent solem; et quae nunc splendent luci exposita, eadem aliquando alte defossa et densis tenebris sepulta abscondentur. Etiamsi maxima felicitate potitus fueris, tamen moriendum tibi erit.

17) Inter omnia M. Vipsanii Agrippae opera magnificentissimum fuit templum, quod Jovi et Diis omnibus consecratum, Pantheon inde est adpellatum. Ad illud porticum et thermas addidit, quae Agrippae sunt dictae, ubi beatiores Romani deambulare solebant. Utrumque autem perfectum Dio refert a. u. 729, quae etiam causa fuit notandi supra, epistolam scriptam esse post hunc annum.

18) Appia via Roma Brundusium usque per Appium Caecum Censorem magnifice strata fuit lapide, in hac ditiores Romani curru vecti se ostendere solebant. Qui ergo porticui Agrippae et viae Appiae bene notus erat, frequenter ibi se ostendere, ac proinde ditior, beatior esse debebat.

19) Numa et Ancus fuere reges Romani. Et hi ivere ad tumulum, id est, mortui sunt.

Si latus [20]) aut renes morbo tentantur acuto,
Quere fugam morbi. Vis recte vivere? quis non?
Si virtus haec una potest dare, fortis omissis
Hoc age deliciis. Virtutem [21]) verba putes, ut
Lucum ligna? cave ne portus occupet alter;
Ne Cibyratica [22]), ne Bithyna negotia perdas;
Mille [23]) talenta rotundentur; totidem altera porro, et
Tertia succedant, et quae pars quadret acervum.
Scilicet [24]) uxorem cum dote, fidemque, et amicos,
Et genus et formam regina Pecunia donat:
Ac bene nummatum decorat Suadela [25]), Venusque.
Mancipiis [26]) locuples eget aeris Cappadocum rex:
Ne [27]) fueris hic tu. Chlamydes [28]) Lucullus, ut ajunt,

20) Sententia et nexus: quodsi aegrotes, morbo remedium quaeris; sic etiam, si vis recte, id est, beate vivere, et quis hoc non vellet? unice virtutem sectare, haec una enim te beatum facere potest. Omissis deliciis, id est, spreta voluptate.

21) Sensus: an vero putas virtutem esse in verbis positam, sicut lucus, id est, silva Diis consecrata solis arboribus constat; satis esse ad virtutem, si quis de illa recte et sancte loquatur? hoc si putas, tunc omitte sane virtutis studium, et omnem curam in opibus conquirendis colloca; cave, ne alius mercator prius occupet portum, id est, lucrum, quam tu.

22) Cibyra est urbs Phrygiae, e qua mercatores Romani, et e Bithynia, Asiae minoris regione, merces suas petere solebant; qui ergo has non maturius advexit, negotia sua, h. e. questum perdidit.

23) Sensus: fac, conare, ut rotundo numero perfecta habeas talenta mille, vide L. II. sat. 3. not. 136. Fac, ut alia quoque mille, et tertio mille talenta accedant, tibi conquiras; tandemque, ut quadretur acervus, ut numeres quatuor millia talentorum.

24) Sensus est: pecunia enim regina potentissima est, quae uxorem dotatam, fidem, amicos, generis claritatem et famam, atque pulchritudinem donat et confert; praeterea nummis abundantem ipsa eloquentiae Dea et Venus ornant, id est, qui pecunia abundat, ab iis, qui divitias admirantur, facundus et amabilis habetur.

25) Suadela erat eloquentiae praeses et Dea.

26) Sensus: non una re tantum esto dives, ut mancipiis abundat unice rex Cappadocum indigens pecuniae; sed omnibus rebus, fac, ut locuples sis; imitare Lucullum, cujus domus tot rebus affluebat, ut earum ipse numerum ignoraret. Cappadocia, minoris Asiae regio, unde multa mancipia Romam deportari solebant. Lucullus vixit aevo Ciceronis, erat sui temporis locupletissimus. Laudatur hic in Orat. Cic. pro lege Manil.

27) Ne fueris hic tu, id est, ut rex Cappadocum, tantum una re dives.

28) Clamydes, fuere vestes militares, tunicae superinduebantur, et fibula connectebantur, utebantur illis etiam iter facientes.

Si posset centum scenae [29]) praebere [30]) rogatus,
Qui [31]) possum tot? ait; tamen et quaeram, et, quod habebo,
Mittam; post paulo scribit, sibi millia quinque
Esse domi chlamydum; partem, vel tolleret [32]) omnes.
Exilis [33]) domus est, ubi non et multa supersunt;
Et dominum fallunt, et prosunt furibus. Ergo
Si res [34]) sola potest facere et servare beatum,
Hoc [35]) primus repetas opus, hoc postremus omittas.
Si fortunatum species [36]) et gratia praestat;
Mercemur [37]) servum, qui dictet nomina, laevum
Qui fodicet [38]) latus, et cogat trans [39]) pondera dextram
Porrigere. Hic [40]) multum in Fabia valet, ille Velina;
Cui libet, is fasces [41]) dabit, eripietque curule [42]),

29) Scena, vox Graeca, σκηνή, significat umbraculum, tentorium, quia olim theatrorum ornamenta erant mera e silvarum frondibus umbracula.

30) Praebere, commodare.

31) Qui, id est, quomodo hoc est possibile, cum tot chlamydes non habeam.

32) Tolleret, acciperet is, qui comoediam edebat, vel aedilis, a quo Lucullus rogatus fuerat.

33) Exilis domus, id est, misera nimis ea domus est, in qua pauca superflua sunt, quae dominum fallunt, latent, a domino ignorantur et a furibus auferuntur. De epitheto, exilis, vide L. I. od. 4. not. 25.

34) Res, id est, opes et divitiae.

35) Sensus: in hoc opere, id est, in colligendis divitiis primam et ultimam operam colloca.

36) Species, id est, splendor, dignitas; gratia, id est, favor populi.

37) Sensus: conducamus mercede servum nomenclatorem, qui stans ad latus sinistrum compellat nos, saepius pungendo; ut per media plaustra, saxa et magnas trabes convehentia, adire cogat suffragatores eorumque manum prehendere. Solebant Romani, ad captandam populi gratiam et suffragia, obvium quemque suo nomine comite adpellare; in eam rem mercebantur servos, qui omnium fere nomina memoria tenerent, et ea, cum opus esset, suggererent dominis; illi servi nomenclatores dicebantur.

38) Fordicet latus, id est, admoneat, tacto leviter latere sinistro, quod tenebat nomenclator; servi enim et comites a laeva parte ibant, utpote minus honorata.

39) Trans pondera, id est, dextram trans ea, quae obstant, super plaustra oneribus et saxis onusta, extensam porrigere transeuntibus, ut solent, qui salutant et blandiuntur.

40) Verba sunt nomenclatoris, dominum admonentis, ut aliquem salutet, qui multum auctoritatis habet in tribu Fabia aut Velina. Populus enim Romanus in tribus, quarum numerus ad 35 accrescebat, divisus fuit; earum una dicta est Fabia a Fabiis, nobili familia; alia Velina a lacu Velino, seu Velia, urbe Italiae. Valet, id est, magna auctoritate pollet.

41) Fasces: consulatum aut praeturam. Consulibus lictor praeferebat fasces 12; praetoribus vero 6. De fascibus porro vide L. I. od. 11. not. 29. Cui libet, id est, ad libitum.

42) Ebur curule: magistratus majores; illis enim jus erat sellam gestandi eburneam in suo curru, in eaque considendi cum senatus habebatur. Sella curulis intelligitur, et positum est signum pro re. Importunus dicitur qui non antea quiescit, quam candidatum sibi invisum honore sperato dejecerit.

Cui volet, importunus ebur: Frater [43]), Pater, adde;
Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.
Si [44]), bene qui coenat, bene vivit; lucet, eamus,
Quo ducit gula: piscemur, venemur; ut olim
Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos
Differtum transire forum populumque jubebat,
Unus ut e multis populo spectante referret
Emtum mulus aprum. Crudi [45]) tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non, obliti, Caerite [46]) cera
Digni, remigium [47]) vitiosum Ithacensis Ulyssei,

43) Necte haec, quae sequuntur, cum superiori versu: si fortunatum species et gratia praestat; blandire insuper singulis, vocans patrem aut fratrem, prout cuique major aut minor aetas est, et comiter, lepide, per jucundum jocum illos adopta in familiam tuam; h. e. ita tracta eos, ac si in familiam tuam transiissent.

44) Sensus: quod si autem ii tantum, qui laute coenant, beati, felices sunt; tunc, quam primum dies illucescit, ea praeparemus et agamus, quae ad gulam pertinent: piscationem et venationem exerceamus, sicut quondam Gargilius, qui imperabat mane per forum differtum, id est, plenum populo, servos cum venabulis, plagis et retibus transire, ut rediret mulus e multis unus, inspectantibus omnibus, referens aprum pecunia emtum. Captat hanc occasionem poëta, ut obiter carpat Gargilium, ridiculum venatorem. Is enim, cum venatum iret, ut oculos hominum in se converteret, mane frequens forum transire solebat, retia, jacula, servos, mulos etc. secum ducens, quasi magnam e venatione praedam reportaturus esset. Sed ecce! e multis mulis unus tantum nil, nisi aprum, nec eum quidem captum vel fixum, sed emtum reportat. Nos quoque non raro e venatione videre solemus redeuntes, qui gestant manticam, non lepore ab ipsis percusso, sed emto turgentem.

45) Sensus: descendamus crudi, id est, pleni adhuc et cibo tumidi in balnea, ut ibi lavemur, non curantes quid deceat, quidve dedeceat; digni qui jure suffragii privemur, ut Caerites, et similes vitiosis remigibus Ulyssis, in Ithacam revertentis, qui maluerunt carere patria, quam nefaria voluptate.

46) Caerite urbs Etruriae fuit, cujus incolae, ob vestales virgines in bello Gallico benigne receptas, jus civitatis Romanae erant adepti; sed cum a Romanis postea defecissent, ea multati fuere poena, ut suffragii ferendi jure privarentur. Hinc factum est postea, ut Caeritum cera pro nota ignominiae usurpata fuerit, et qui ex tribu movebantur, quique privabantur jure suffragii etc. in Caeritum tabulas referri dicerentur. Porro cera in hoc proverbio significat tabellam ligneam, cera obductam, in qua scribebantur illi, qui privabantur suffragio etc.

47) Remigium, id est, sumus remigium, similes sumus remigibus Ulys-

Cui potior patria fuit interdicta voluptas.
Si [48]), Mimnermus [49]) uti censet, sine amore jocisque
Nil est jucundum; vivas in amore jocisque.
Vive, vale: si quid [50]) novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

Epistola VII.

Ad Maecenatem.

Occasio et argumentum.

Horatius provectioris jam aetatis, et infirmioris valetudinis cum esset, sub finem mensis Augusti, ut ex initio epistolae adparet, Maecenati valedicens, corpus suum reficiendi causa rus concessit. Sed ibi diutius commorans probabilius a patrono suo, qui licet omnibus in urbe abundaret rebus, consuetudinem tamen cum nostro poëta desiderabat, invitatus est, ut quantocius in Urbem ad se redeat. Respondet illi Horatius per hanc epistolam, satis liberaliter animi sui sensa exponens. Excusat primo longiorem suam apud Maecenatem absentiam, valetudinem minus prosperam incusans, cujus curandae causa etiam hiemem in aliis partibus Italiae sub coelo mitiori se transacturum et vere demum Romam reversurum profitetur. Subjungit dein gratam beneficiorum ab ipso acceptorum commemorationem, sed potiorem his esse valetudinem, omniaque bona libertati hujus curandae post habenda esse exemplo Vulteji contendit. Ultimo tandem addit episodion de nobili causarum patrono Philippo, et praecone Mena, quo, quantum dimissa petitis saepe praestent, docet, et indirecte priorem sententiam confirmat.

Quinque [1]) dies tibi pollicitus me rure futurum,

sis et sociis, qui foedam et vetitam voluptatem praetulerunt patriae, et apud Circen manere, ejus blanditiis capti et praestigiis, quam domum repetere maluerunt.

48) Sensus: denique, si, ut Mimnermus existimat, non potest vita jucunda et felix esse, si jocis et amoribus careat, in jocis et amoribus vive.

49) Mimnermus, poëta Graecus, sexcentis annis ante Horatium scripserat; secta et moribus Epicureus.

50) Sensus: si quid est tibi, quod credas istis sapientiae praeceptis melius, candidus imperti, id est, candide, sincere me participem fac, si autem nihil habes, quod sit praestantius, istis ambo utamur.

1) Sensus: licet discedens ex urbe promiserim tibi me tantum quinque dies in villa mea rusticaturum esse; nunc tamen jam toto mense sextili mendax sum, exspectas meum reditum.

Sextilem [2]) totum mendax desideror. Atqui,
Si [3]) me vivere vis recteque videre valentem,
Quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
Maecenas, veniam [4]); dum [5]) ficus prima, calorque
Designatorem [6]) decorat lictoribus atris;
Dum [7]) pueris omnis pater et matercula pallet;
Officiosaque [8]) sedulitas, et opella [9]) forensis
Adducit [10]) febres, et testamenta resignat.
Quodsi [11]) bruma nives Albanis [12]) illinet agris,
Ad mare descendet vates tuus, et sibi parcet [13]),
Contractusque [14]) leget; te, dulcis amice, reviset

2) Mensis Augustus sextilis dicebatur apud Romanos, quod sextus esset a Martio, qui mensis olim annum inchoabat.

3) Ordo: verum, si me vis videre valentem, recteque, id est, et quidem bene valentem vivere.

4) Veniam dabis, sc. in villa diutius commorandi facultatem dabis mihi, nunc adpropinquante auctumno, quo timeo, ne in urbe aegrotem; et sequitur poëtica auctumni circumscriptio.

5) Sensus: hoc tempore, quo fici maturescunt, et solis fervor perniciosam in corpore vim habet, et multos e medio tollit. Vide etiam L. II. sat. 6. v. 19. not. 21. et 22.

6) Designator is est, qui funebrem pompam designat, id est, ordinat, componit. Calor decorat designatorem lictoribus atris, id est, calor efficit, ut designator, a ministris suis stipatus, funera curare possit. Per ministros hic intelliguntur vespiliones, pollinctores, praeficae etc. quos facete lictores designatoris vocat, tamquam publici alicujus magistratus. Atri autem dicuntur, quia omne, quod ad mortem et inferos spectat, atro colore depingitur a poëtis.

7) Sensus: dum metu pallent pater et mater, timentes filiis; de illorum valetudine trepidant.

8) Officiosa sedulitas, id est, diligentia in praestandis amicitiae officiis v. g. in amicis visendis, procurandis eorum negotiis etc.

9) Opella forensis, id est, varia officiorum genera et negotia, quae in urbe viventi a primo mane usque ad noctem peragenda sunt.

10) Sensus: haec sedulitas et opella morbos causat et mortem adducit: pro morte autem ponit resignationem testamentorum; testamenta enim, obita morte, aperiuntur, resignantur.

11) Sensus: immo, ubi hiems advenerit, nondum tamen ego, vates tuus, redibo Romam, sed in aliquam civitatem maritimam, ubi aër est temperatior et benignior, valetudinis confirmandae causa me recipiam, et redeunte vere demum ad te redibo.

12) Illinet, id est, adsperserit, immiserit agris Albanis.

13) Sibi parcet, id est, diligentem valetudinis suae curam habebit.

14) Contractus, scil. in locum angustum leget. Horatius ait, se, cum ex agris late patentibus se recepturus sit in tectum vel cubiculum angustius, ibi tempus legendo transigere velle.

Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.
Non [15]), quo more piris vesci Calaber [16]) jubet hospes,
Tu me fecisti locupletem. Vescere [17]) sodes. —
Jam [18]) satis est. At [19]) tu quantumvis tolle. Benigne [20]).
Non [21]) invisa feres pueris munuscula parvis.
Tam [22]) teneor dono, quam si dimittar onustus.
Ut [23]) libet: haec porcis hodie comedenda relinquis.
Prodigus [24]) et stultus donat, quae spernit et odit.
Haec [25]) seges ingratos tulit, et feret omnibus annis.
Vir [26]) bonus et sapiens dignis ait esse paratus;
Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis.
Dignum [27]) praestabo me etiam pro laude merentis,

15) Nexus: si ego hunc in modum consulam valetudini, spero me id facturum te volente; nihil enim meae libertati detractum, opinor, voluisti, quamvis maximis me beneficiis ornaveris; etenim non ita in me liberalis fuisti, ut hospes aliquis rusticus in Calabria liberalis esse solet in hospitem suum. Sequitur nunc dialogus inter hospitem et rusticum, qui illum transeuntem domo sua excepit et mensa.

16) Calabria extrema pars Italiae est ad meridiem. Calaber hospes, pro quolibet rustico.

17) Verba rustici. Sodes, amice.

18) Responsio hospitis.

19) Verba rustici: At certe accipe, et tecum aufer, quantum voles.

20) Resp. Tu nimium benignus et liberalis es.

21) Rust. Rem gratam parvis pueris tuis feceris, si horum aliquid domum ipsis adferas.

22) Resp. Nihilo minus ob istam tuam voluntatem debeo tibi, quam si his onustus discederem.

23) Rust. Sicut placet, quae tu non abstuleris, comedent hodie porci nostri.

24) Sensus: sic tantum prodigi et insani donant, quae spernunt.

25) Sensus: ast ejusmodi sparsa a stultis et prodigis dona nunquam gratos animi sensus protulerunt, nec unquam proferent. Haec dona cum segete seu semente mala comparantur.

26) Sententia: viri probi vero et sapientes aliter agunt; dona sua dignis tantum se paravisse adfirmant, id est, se liberales fore tantum in eos, qui sua sint liberalitate digni; nec temere omnia profundunt in quoslibet, et magnum inter munera discrimen ponunt; norunt, quid minuta et vilia distent a magnis, ut a lupinis aera. Lupinus est genus leguminis, cujus folia nummis aureis similia sunt, et quibus non tantum pueri in ludis puerilibus, sed etiam histriones in comoediis pro vera pecunia et aere seu auro utebantur.

27) Nexus sententiarum et sensus: talis tu es, o Maecenas, talem te erga me praestitisti; ego quoque adnitar, ut praestem me dignum laude promerentis, h. e. ut videar tua munera esse promeritus. Ast non id mihi tamen imponam oneris, ut semper tecum Romae sim, a te nunquam discedam; hoc enim si velles, debebis etiam facere, ut iterum recuperem pristinum corporis robur etc.

Quodsi me noles usquam discedere, reddes
Forte latus, nigros [28]) angusta fronte capillos;
Reddes [29]) dulce loqui; reddes ridere decorum, et
Inter vina fugam Cinarae moerere protervae.
Forte [30]) per angustam tenuis nitedula rimam
Repserat in cumeram frumenti; pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra:
Cui mustella procul: Si vis, ait, effugere isthinc,
Macra cavum [31]) repetes arctum, quem macra subisti.
Hac [32]) ego si compellor imagine, cuncta resigno:
Nec [33]) somnum plebis laudo, satur altilium [34]), nec

28) Capilli Horatii jam albescere coeperunt.

29) Reddes dulce loqui, ridere decorum; et moerere etc. est Graeca constructio, pro: redde mihi iterum vocis et risus suavitatem, ac inter vina amatorias querelas de Cinara superbe me fugiente. Horatius hanc puellam prae aliis omnibus amasse videtur, ita, ut moerorem ob fugam illius post amatoriam altercationem, si conjecturae locus datur, ne inter pocula quidem dissimulare potuerit. Ceterum poëta non reposcit haec omnia a Maecenate, quasi contenderet, se paria dedisse bonis, quae ab ipso acceperat, ut quidam interpretes existimant: sed potius modeste excusat, quod jam senex eas habere non possit vires, quibus valebat juvenis, quaeque faciebant, ut apud ipsum esse posset assiduus, forma, jocis, conviviis etc. jucundus.

30) Nexus sententiarum: non sum homo, qui apud te, Maecenas, pasci et pinguescere volui; non in domum tuam, ut nitedula in cumeram frumenti, irrepsi; nam si comparor cum nitedula in fabulis, qui unice spectaverim hoc, ut apud te pinguefierem, omnia a te accepta reddere paratus sum. Nitedula est murium agrestium genus; nomen accepit a nitendo, vel enitendo, quia mures saltu enituntur in loca superiora.

31) Cavum, id est, locum angustum, foramen, unde in cumeram prorepsisti.

32) Sensus: si ad me transfertur haec fabula, quasi ego quoque hoc consilio, ut muneribus a te accipiendis fruerer, in tuam, Maecenas, amicitiam adrepserim, cuncta resigno, reddo.

33) Sensus: nec laudo beatam hominum infirmiorum tranquillitatem et securitatem, postquam dives factus sum, sed vere atque ex animo idem putaturus, si pauper essem: nec etiam mutandam puto Arabum omnibus divitiis vivendi libertatem, id est: quemadmodum non is sum, qui plebis more post coenam somno et inertiae indulgere cupiam: ita illud otium ubi libere mihi vivere et studiis meis vacare possum, summis quibusque divitiis praefero.

34) Altilia ad laetas epulas pertinent; h. e. anseres, gallinae, aves etc. quae aluntur et saginantur.

Otia divitiis Arabum [35]) liberrima muto.
Saepe [36]) verecundum laudasti; rexque paterque
Audisti coram; nec verbo parcius absens:
Inspice, si possum donata reponere laetus.
Haud male Telemachus [37]), proles patientis Ulyssei:
Non est aptus equis Ithace [38]) locus; ut neque planis [39])
Porrectus spatiis, neque multae prodigus [40]) herbae:
Atride [41]), magis apta tibi tua dona relinquam.
Parvum parva decent [42]): mihi jam non regia [43]) Roma,
Sed vacuum Tibur [44]) placet, aut imbelle Tarentum.
Strenuus [45]) et fortis, causisque Philippus [46]) agendis
Clarus, ab [47]) officiis octavam [48]) circiter horam

35) Arabes ditissimi credebantur. Vide L. I. od. 24. not. 1. 3.

36) Sensus: tu ipse saepe laudasti me, ut hominem verecundum, modestum in petendo, paucis contentum; ego quoque te regem meum, propter, liberalitatem et munificentiam, et patrem, propter tuam in me benevolentiam saepe adpellavi, cum praesens adesses; neque minora, cum abesses, loquebar; inspice, experire nunc, an sine animi moerore possim tibi reddere; quae donasti?

37) Telemachus, filius Ulyssis, adierat Menelaum resciturus, quid de patre suo factum esset, qui domum longo post expugnatam Trojam tempore non redibat; ei Menelaus praeter cetera munera equos dono dabat; recusavit Telemachus, cum diceret: Ithacam equis alendis non esse idoneam. Patientis, id est, labores multos et aerumnas ferentis Ulyssis.

38) Ithaca, insula in mari Jonio, Ulyssis patria.

39) Locus planis porrectus spatiis, pro: planities.

40) Prodigus multae herbae, id est, fertilis herbarum, qui multas habet herbas.

41) Atride, Menelaë, fili Atrei. Magis apta, tibi magis convenientia. Hoc Telemachi facto significare vult poëta; si forte nitedulae similis haberetur a Maecenate, videri nunc sibi, sapientius se facturum fuisse, si mediocri contentus fortuna opes ab ipso oblatas non accepisset.

42) Decent, congruunt.

43) Regia, id est splendida.

44) Tibur. Vide L. I. od. 6. not. 17. Vacuum, nempe a negotiis et curis forensibus, ubi otio et studiis vacare licet. Tarentum urbs Italiae inferioris, otio et deliciis adfluens, propterea dicitur imbelle.

45) Sensus: Philippus, in causis defendendis ob adsiduitatem atque constantiam omnibus notus, cum circa horam octavam officio perfunctus domum rediret, quereretur que jam aetate provecta, Carinas nimis a foro remotas esse; vidit, ut ajunt, quemdam, qui postquam rasus fuerat, in tonstrina tum forte vacua, cultello ungues sibi placido tranquilloque animo purgantem etc.

46) L. Marcius Philippus vir consularis et censorius, qui Crasso et Antonio eloquentia proximus erat.

47) Ab officiis, forensibus nempe.

Dum redit atque, foro nimium distare Carinas [49]),
Jam grandis natu queritur, conspexit, ut ajunt,
Abrasum quemdam vacua tonsoris [50]) in umbra,
Cultello proprios purgantem leniter ungues.
Demetri [51]) (puer [52]) hic non laeve jussa Philippi
Accipiebat) abi, quaere, et refer: unde [53]) domo, quis,
Cujus [54]) fortunae, quo sit patre, quove patrono [55])?
It, redit et narrat [56]): Vultejum, nomine Menam,
Praeconem [57]), tenui [58]) censu, sine crimine notum;
Et properare [59]) loco, et cessare, et quaerere, et uti,
Gaudentem parvisque sodalibus, et lare certo,
Et ludis, et, post decisa negotia, Campo.
Scitari [60]) libet ex ipso, quaecunque refers; dic,

48) Octavam, id est, secundam circiter post meridiem. Romani enim diem ab ortu solis usque ad occasum dividebant in 12 horas, ita ut meridies in sextam horam caderet.

49) Carinae, vicus quidam Romae erat, sic dictus a navium carinis, quia singulae domus ad carinarum similitudinem erant aedificatae, habitabat in hac regione Philippus, ibidem etiam fuerant aedes Ciceronis, a majoribus haereditate acceptae, et Pompeji.

50) Tonsoris umbra posita est pro tonstrina, seu taberna tonsoria.

51) Nexus sententiarum: invidia tactus hujus felicioris hominis adspectu, servum, qui quis sit ille, percontetur, in constrinam mittit etc. Ipsa haec narratio eo, quod personae tam loquentes quam agentes inducuntur, multo fit suavior et vividior; rem omnem autem, ut probaret sententiam: eos tantum recte felices dici posse, qui sorte sua contenti vivant, finxisse videtur Horatius.

52) Puer, id est, servus is, quae a Philippo jubebantur, non inepte, sedulo in effectum deducere solebat.

53) Id est: quanam e domo et familia sit?

54) Id est: pauper, an dives?

55) Patroni dicebantur viri nobiles, quorum in clientelam et fidem se conferebant tenuioris sortis cives.

56) Nunciat esse Vultejum Menam.

57) Quis fuerat Praeco. Vide Epod. IV. not. 12. et L. I. sat. 6. not. 53.

58) Tenui censu, id est, exigua re familiari praeditum.

59) Et properare, id est incumbere illum operi diligenter, et suo tempore ab eo cessare; quaerere rem, et nummos, lucro intendere, et uti quaesitis; amare eum, cum paribus seu sodalibus esse et conversari; habere domum certam et propriam, a qua a nemine pelli possit; spectare ludos scenicos et absolutis negotiis, quae ut praeco persolvere debebat, interesse eum cum ceteris in Campo Martio; ubi nempe animi recreandi causa juvenes et viri convenire, ambulare, natare et aliis gymnasticis exercitationibus detineri solebant.

60) Scitari, id est, rescire.

Ad coenam veniat. Non sane credere[61]) Mena:
Mirari secum tacitus. Quid multa? Benigne
Respondet[62]). Neget ille mihi? Negat[63]) improbus, et te
Negligit aut horret. Vultejum[64]) mane Philippus
Vilia vendentem tunicato scruta popello[65])
Occupat, et salvere jubet prior. Ille Philippo
Excusare[66]) laborem, et mercenaria vincla,
Quod non mane domum venisset; denique quod non
Providisset eum. Sic ignovisse[67]) putato
Me tibi, si coenas hodie mecum. Ut[68]) libet. Ergo
Post[69]) nonam venies; nunc i, rem[70]) strenuus auge.
Ut ventum ad coenam est, dicenda[71]) tacenda locutus,
Tandem dormitum[72]) dimittitur. Hic[73]), ubi saepe
Occultum visus piscis decurrere ad hamum,

61) Infinitivus pro tempore definito: non credidit Mena, dubitavit, et miratus est secum ipso hanc invitationem.

62) Id est, excusat se.

63) Negat improbus, ineptus, qui, quod honori sibi ducere debebat, repudiat; vel propterea, quod te negligit, vilipendit; vel ideo, quod te, virum nobilem, adire non audet ex verecundia.

64) Sensus est: postridie mane Philippus ipse invenit Vultejum miserae plebi vetustae nescio quid mercis vendentem; occupat, praevenit, et salvere jubet, salutat ipsum prior. Per vilia scruta intellige detritas vestes, vasa, instrumenta, et multa alia, tempore et usu viliora facta; ejusmodi merces venales habebant scrutarii. Jam vero, cum Menae in auctionibus, ubi ille praeco pretia licitantium pronuntiabat, commoda rerum obsoletarum commendandarum suppeditaretur occasio, quomodo factum sit, ut praeco simul esset scrutarius, facile adparet.

65) Tunicato popello: hic infima plebs notatur; haec enim fere tunicata incedebat, et sine toga, quae imponebatur tunicae, honestiorem aliquem in publicum prodire probrosum erat.

66) Excusare, id est, excusat. Per mercenaria vincla intelligenda sunt officia praeconi pro constituta mercede obeunda. Domum venisset, nempe, salutatum. Providisset, id est, eum venientem prior salutasset.

67) Sunt haec verba Philippi: Ea conditione veniam dabo, ignoscam tibi, ut ad coenam hodie venias ad me.

68) Vultejus: Fiet, si vis, imperas.

69) Post nonam, id est, tertiam a meridie, vide supra not. 48.

70) Rem strenuus auge, id est, lucro diligenter intende.

71) Dicenda tacenda, apta et inepta loquutus Vultejus Mena.

72) Dormitum, id est, domum.

73) Sensus: et postquam saepe visus est, tamquam piscis occulto hamo delectari, id est, ad aedes Philippi decurrere mane, ut cliens, illum salutandi gratia, ibique quotidie et adsiduo convivari; imperatum est illi tandem, ut per indictas ferias Latinas Philippum comitetur in praedium suburbanum.

Mane cliens et jam certus conviva, jubetur
Rura suburbana indictis comes ire Latinis[74]).
Impositus mannis[75]) agrum coelumque Sabinum
Non cessat laudare. Videt ridetque Philippus:
Et, sibi[76]) dum requiem, dum risus undique quaerit,
Dum septem donat sestertia[77]), mutua septem
Promittit, persuadet, uti[78]) mercetur agellum.
Mercatur: ne te longis ambagibus ultra,
Quam satis est, morer; ex[79]) nitido fit rusticus, atque
Sulcos et vineta crepat mera, praeparat ulmos,
Immoritur studiis, et amore senescit habendi.
Verum ubi oves furto, morbo periere capellae,
Spem[80]) mentita seges, bos est enectus arando;
Offensus damnis, media de nocte caballum
Arripit, iratusque Philippi tendit ad aedes.
Quem simul aspexit scabrum[81]) intonsumque Philippus,
Durus[82]) ait, Vultei, nimis attentusque videris
Esse mihi. Pol[83]), me miserum, patrone, vocares,
Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.
Quod te per Genium[84]), dextramque Deosque Penates
Obsecro et obtestor, vitae me redde priori.

74) Feriae Latinae erant festa quaedam toti Latio communia, et Jovi Latiali dicata, qui in Albano monte colebatur; indicebantur autem a Romano consule quotannis, hoc est, denunciabantur et imperabantur.

75) Manni sunt equi parvi, vilioris generis. Vide Epod. IV. not. 14. Impositus, id est, vectus mannis, coelum, temperiem coeli, aërem.

76) Sensus: dum sedem sibi quaerit, ubi, remotus ab hominum turba et negotiorum molestiis, quiete frui possit. Per risus intellige omnia, quae vitam exhilarant, praecipue jocos.

77) De sestertio saepius jam dictum. Vide L. II. sat. 3. not. 19.

78) Id est, ut emat parvum agrum in vicinia.

79) Ex nitido, id est, ex elegantioris cultus homine urbano. Crepat, id est, nihil magis loquitur, laudat, quam etc. Praeparat, aptas reddit ulmos vitibus illis inducendis. Immoritur studiis, id est, totum se studio agriculturae devovet, et tempus omne in re augenda ponit.

80) Sensus: postquam mendacis fundi proventus tenuis spem ipsius fefellit, et bos inter arandum exstinctus concidit; tot damnis et detrimentis perturbatus, media nocte equum conscendit, et etc.

81) Scabrum, plenum squaloris et sordis, horridum; postquam enim Mena ex nitido factus erat rusticus, externum corporis cultum neglexit.

82) Durus, id est, duri laboris patiens, attentusque, nempe ad rem, avarus, lucri cupidus.

83) Pol: Per Pollucem! potius miserum me voca, si vis me vero nomine compellare.

84) Genius erat Deus quidam, singulorum hominum custos.

Qui [85]) semel aspexit, quantum dimissa petitis
Praestent, mature redeat, repetatque relicta.
Metiri [86]) se quemque suo modulo ac pede, verum est.

Epistola VIII.

Ad Celsum Albinovanum.

Occasio et argumentum.

Epistola haec eadem occasione scripta est ad Celsum, qua 3ª hujus L. ad Florum; cum nimirum Tiberius Cl. Nero ab Augusto a. u. 734 in Armeniam cum exercitu missus fuerat, ut Tigranem regem ei praeficeret. Vide Arg. Ep. 3. Erat hic Celsus Albinovanus in comitatu Cl. Neronis, eique pro scriba datus, et idem probabilius, quem supra Ep. 3. vers. 15. ut poëtam, aliorum scrinia compilantem noster commemorat. Non spirat haec epistola illum amorem, et molliores illos animi sensus, quos passim Horatius erga alios amicos in carminibus suis expressit. Semetipsum, ut hominem minus mente validum, sive, ut hominem malo, quod vocant, hypochondrico laborantem, et tam amicorum, quam medicorum consiliis obnitentem describit ab initio; dein admonet etiam Celsum, ut, scriba factus Tiberii Neronis, et unus de ejus comitibus, non abutatur praesenti fortuna, sed moderate agat cum omnibus, seque et alios veteres amicos suos non contemnat, indicans his, illum natura fastosum et arrogantem fuisse.

Celso [1]) gaudere, et bene rem gerere, Albinovano,
Musa rogata, refer, comiti [2]) scribaeque Neronis.

85) Sensus: quisquis, ut ego, continuat Mena, aspexit, animadvertit semel, quanto sint meliora haec, quae amisit, quam, quae desideravit, ad illa quam primum se referat.

86) Ita, concludit exinde Horatius, verum, aequum, rectum est, ut quisque intra mensuram sui moduli ac pedis sese contineat. Et similem se quoque illi Menae libenter fore, innuit Horatius, seque ait, malle priori vitae, libertati et egestati restitui, quam libertatis jacturam facere.

1) Ordo et sensus: ô Musa, rogo te, refer Celso Albinovano meam salutem, et jube illum, qui comes et scriba Neronis est, gaudere et bene rem gerere. Est haec formula, quam Graeci praefigere solebant epistolis.

2) Comites adpellabantur, qui viros principes aut magistratus honoris causa, vel necessitatis ergo, sectabantur in provincias, e quibus eorum aula quaedam et familia constabat. Vide Argum.

Si quaeret, quid agam, dic, multa et pulchra minantem [3]),
Vivere nec recte, nec suaviter: haud quia grando
Contuderit vites, oleamve [4]) momorderit aestus,
Nec quia longinquis [5]) armentum aegrotet in agris;
Sed quia [6]), mente [7]) minus validus, quam corpore toto,
Nil audire velim, nil discere, quod laevet aegrum;
Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur [8]) me funesto properent arcere veterno;
Quae nocuere, sequar, fugiam, quae profore credam:
Romae Tibur amem ventosus [9]), Tibure [10]) Romam.
Post [11]) haec, ut valeat, quo pacto rem gerat, et se;
Ut placeat Juveni [12]), percontare, utque cohorti [13]).
Si dicet, Recte; primum gaudere [14]); subinde [15])

3) Minantem, id est, molientem, et perficere velle profitentem. Sensus: dic illi, quod ego, licet multa et praeclara moliar, animo designem, tamen non jucunde, non bene vivam, id est, non sim contentus. Alludit ad minus prosperam valetudinem, qua provectiori jam aetate usus, et impeditus fuerat, multa illa praeclara, quae in animo habuerat, in effectum deducendi. Quae autem illa praeclara fuerant, ignoratur.

4) Id est: oleis aestus et siccitas nocuerit.

5) Longinquis in agris, id est, in remotis pascuis. Romanorum enim beatiores armenta in remotis regionibus, praecipue in Calabria et Lucania, ubi erant bona pascua, alere solebant.

6) Sensus est: sed quod mente minus, quam corpore valens, attendere nolim ad ea, quibus curari posset aegritudo; quod fidos medicos ferre non possim, et amicis succenseam, qui fatalem pigritiam mihi excutere conantur; quod noxia quaeque amplectar, quae profutura erant, rejiciens; et quod, animo levis, Romae Tibur, et Tibure Romam desiderem.

7) Mente minus validus; morbus enim, qui nunc vocatur hypochondria, licet proprie in corpore sedem suam habeat, attamen in mente se potissimum exserit.

8) Id est: quod a me arcere studeant veternum pernitiosum. Est autem veternus languor quidam, dormiendi necessitatem adferens, lethargus.

9) Venti instar mutabilis, inconstans, levis.

10) De Tibure, oppido Sabinorum, vide L. II. od. 4. not. 6.

11) Sensus: sciscitare deinde quomodo valeat, quam bene illi succedant res, id est, negotia et munus suum; qua sit apud Juvenem principem gratia; et quam ejusdem comitatui carus?

12) Tiberio Cl. Neroni. Vide argumentum.

13) Cohorti, id est, amicorum et comitum Neronis gregi. Vide hujus Libri epist. 3. not. 9.

14) Gaudere, subaudi, te significabis et me, id est, meo nomine gratulare.

15) Subinde, deinde illius auribus istiusmodi monitum insusurra.

Praeceptum auriculis hoc instillare memento;
Ut [16]) tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

Epistola IX.

Ad Claudium Neronem.

Argumentum.

Hac epistola commendat Horatius amicum suum Septimium, ut virum fortem et bonum Tib. Cl. Neronis favori et benevolentiae, singulari plane artificio temeritatis suae excusationem intexens; ast ostendit simul hac commendatione gratiam haud mediocrem, qua ipse apud hunc principem fruebatur. Putant aliqui hunc Septimium esse eundem cum illo, de quo Ep. 3. vers. 9. mentionem facit poëta, et ad quem L. II. od. 4. directa est. Quodsi huic conjecturae locus detur, in aperto est eum fuisse Romanum equitem, poëtam, et amicum nostro carissimum. Vide L. I. Ep. 3. not. 11. et L. II. od. 4. argum. Efficitur inde etiam hanc epistolam ante a. u. 734. scriptam fuisse, quod in hac commendatus Neroni Titius Septimius in Epistola 3a, a. u. 734 scripta, jam inter comites Tiberii commemoratur.

Septimius [1]), Claudi, nimirum intelligit unus,
Quanti me facias: nam cum rogat, et prece cogit,
Scilicet ut tibi se laudare et tradere coner,
Dignum mente domoque legentis honesta Neronis,
Munere [2]) cum fungi propioris censet amici,
Quid possim, videt ac novit me valdius [3]) ipso.

---

16) Sensus: qualem tu, Celse, in fortuna, quae tibi nunc arridet, erga nos praebebis, tales erga te nos praebebimus; id est: si me, veterem tuum amicum, praesente tua fortuna, ut antea, amabis, vicissim et ego te amabo.

---

1) Sensus et ordo: agnoscit haud dubie, o Claudi, Septimius unus, quanti me facias, quanto sim apud te in loco et pretio. Cum enim tantis precibus obsecrat, ac pene me cogit, ut ipsum apud te commendatum coner tuum efficere quippe dignum, ut admittatur in amicitiam et familiam tuam, qui nihil, nisi honestum probas, nullos, nisi honestos et probos, eligis amicos; sane e tuis propioribus amicis esse me credit, et intelligit profecto liquidius, quam ego ipse, quid a te obtinere valeam.

2) Munere fungi propioris amici. Propior amicus idem est, qui familiaris et intimus, ut cui liceat propius accedere.

3) Valdius, comparativus ab adverbio valde, id est, magis, certius.

Multa [4]) quidem dixi, cur excusatus abirem:
Sed [5]) timui, mea ne finxisse minora putarer;
Dissimulator [6]) opis propriae, mihi commodus uni,
Sic [7]) ego, majoris fugiens opprobria culpae,
Frontis [8]) ad urbanae descendi praemia. Quodsi [9])
Depositum laudas ob amici jussa pudorem,
Scribe tui gregis hunc, et fortem crede bonumque.

Epistola X.

Ad Fuscum Aristium.

Argumentum.

Fuscum Aristium vitam in urbe omnibus reliquis bonis praetulisse ex epistolae exordio patet. Nec forte erraveris, si eum morbo illo, tum communiter grassante, divitias conquirendi et dignitates ambiendi studio, non penitus immunem fuisse dixeris, ita, ut Horatius, qui aliter longe his de rebus sentiebat, sapiens amico consilium dare non

---

4) Sensus: equidem multis excusavi, ne me cogeret scribere, tibi molestum esse.

5) Sententia est: sed timui, ne in suspicionem venirem, me consulto, meam apud te auctoritatem minorem fingere; ne crederet me propterea fingere et persuadere illi velle, meam gratiam apud te minorem esse, quam sit, ac si meis unius intentus commodis, aliena plane negligerem, aliis plane nullam opem ferre vellem.

6) Dissimulator opis, id est, potentiae, qua quis multum pollet, multum efficere potest; vocat autem hanc propriam, quasi ea unice in suum ipsius commodum utatur.

7) Sensus: sic factum est, ut, gravioris culpae notam devitans, adductus sim, hominis urbani personam adsumere. Nam qui alium, quem pro gratia sua commendere potest, commendare refugit, hac inhumanitate majorem culpam sibi contrahit, quam is, qui perfricta fronte in aliis commendandis laudem captat.

8) Frontis urbanae; facete frontem duram (impudentiam) vocat urbanam, quia non raro in urbe inveniuntur, qui, ut versu sequente dicitur, pudorem deponant. Descendere dicuntur ad aliquid, qui perpelluntur tandem ad rem aliquam faciendam, quam primum facere nolebant. Praemia hoc loco sonant urbanae frontis honorem, sive famam et existimationem, quam haec commemorata temeritas ipsi adferebat.

9) Sensus: quodsi me putas bene egisse, quodsi non improbas, quod amici jussu, id est, in amici gratiam impudens factus sim; hunc in tuorum accipe numerum, eumque strenuum ac probum virum esse ne dubita.

dubitaverit. Igitur se vitam rusticam vitae urbanae, sive vitae simplicitatem externo splendori longe praeferre, in hac una re ab amico suo Fusco urbis amatore discrepans, ab initio statim epistolae confitetur. Enumerat hunc in finem ruris amoenitates, quibus et ipsos urbis incolas non penitus carere posse demonstrat, transit dein ad contrarium, et urbis delicias, in specie vero divitiarum amorem libertate hominem privare, adjecto mythico exemplo, docet. Tandem monet adhuc Fuscum, ut, quod unice veram parit felicitatem, sapienter modico contentus vivat.

Urbis amatorem Fuscum [1]) salvere jubemus
Ruris amatores, hac in re scilicet una
Multum dissimiles, ad cetera paene gemelli [2]),
Fraternis animis, quicquid negat alter, et alter;
Annuimus [3]) pariter vetuli notique columbi.
Tu nidum [4]) servas, ego laudo ruris amoeni
Rivos, et musco circumlita [5]) saxa, nemusque.
Quid [6]) quaeris? vivo [7]) et regno, simul ista reliqui,
Quae vos ad coelum effertis rumore secundo,
Utque sacerdotis fugitivus [8]) liba, recuso:
Pane [9]) egeo, jam mellitis potiore placentis.
Vivere [10]) naturae si convenienter oportet,

1) De Fusco Aristie Grammatico istius aevi, jocoso homine ac jucundo et Horatio intimo amico mentio facta est L. I. sat. 9. vide not. 48. Ad eundem etiam scripta est L. I. od. 19. Vide Arg.

2) Sensus: prope tamquam gemelli fratres in ceteris rebus eosdem animi sensus gerimus, ita ut idem velimus ac nolimus.

3) Annuimus, id est, assentimur, probamus idem pariter, sicut columbi vetuli, id est, columbarum par, dudum familiare inter se; notique, id est, consuetudine invicem sibi facti noti, et mutuo amore inter se juncti.

4) Adcommodate ad institutam comparationem nidum posuit pro urbe, ubi Fuscus, sicut columba in nido ovis incubans, haerebat.

5) Circumlita, obducta, vestita.

6) Quid quaeris? id est, ne multa.

7) Nexus et ordo: simul ac ista vitae urbanae commoda, quae vos urbis amatores ad coelum usque extollitis, et quae ego, ut servus fugitivus sacerdotis liba, contemno, reliqui; simul ac ex urbe rus secessi, mihi in villa mea vivo, ibique regno, pro animi mei arbitrio omnia facio. Rumore secundo, id est, faustis acclamationibus.

8) Servus fugitivus: utque servus nequam, in sacerdotis domo nutritus, herumque suum deserens, qui liba et placentas, dulciaria crustula, Diis oblata, edere consuevit, iis saturatus, panem optat: sic ego urbem fastidiens, rus amo, ubi operam do philosophiae, qui verus animi panis est.

9) Sunt verba fugitivi: Mihi opus est pane, quem placentis mellitis praefero.

10) Sensus: si vita illa beata est, quae est naturae humanae conveniens,

Ponendaeque domo quaerenda est area primum,
Novistine locum potiorem rure beato?
Est [11]) ubi plus tepeant hiemes? ubi gratior aura
Leniat et rabiem Canis [12]) et momenta Leonis,
Cum semel accepit solem furibundus acutum?
Est ubi [13]) depellat somnos minus invida cura?
Deterius [14]) Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior [15]) in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe [16]) inter varias nutritur silva columnas,
Laudaturque domus, longos quae prospicit agros.
Naturam [17]) expellas furca, tamen usque recurret,

nonne rusticana vita est naturae convenientissima? Et pro hoc dicit poëta: equidem, si vivere vitam debemus humanae naturae congruentem, idque ut fiat, quaerendus ante omnia locus est aedificandae domui aptus; potestne alibi aptior, quam rure esse? etc.

11) Estne locus, ubi hiemes mitiores sint, vel frigus minus sentiatur?

12) Canis sidus est coeleste, cum oritur unacum sole mense Julio et Augusto, maximos calores adferens. Leo est signum in Zodiaco; ingreditur hoc signum sol etiam sub finem Julii. Sensus: ubi ventus magis mitiget aestum solis? et pro hoc: rabiem Canis, et momenta Leonis, id est, horas aestivas, calida tempora, quibus sol acutus, ferventissimus ingreditur Leonem? et pro hoc: quum recipit quasi in domum suam solem Leo furens ob calorem et aestum?

13) Sensus: ubi curae minus somnum interturbent? adpellatur autem cura, invida, quia tranquillitatem animi et somnum turbando, eam quasi invidere videtur hominibus.

14) Sensus: an ruri herba deterioris est coloris vel odoris, quam gemmae et marmora Africana? E secto in minimas particulas marmore pavimenta sternebant, quod opus musivum adpellabant.

15) Sensus: puriorne est aqua illa, quae plumbeis canalibus et fistulis in urbem deducitur, quam quae tremulo defluens rivo blande murmurat. Per, tendit rumpere, pulchre exprimitur intenta quasi vis, qua aqua nonnunquam canales illos, quibus in urbem deducitur, rumpit. Pronus, idem ac, declivis.

16) Nexus sententiarum et ordo: documento est, naturam rure delectari; quod vel in ipsa urbe rus amamus, et inter porticus fultas columnis, factis e vario, id est, versicolore marmore, arbores videmus exsurgere tot, tantasque, ut silvas putes; eaque domus ceteris praestare existimatur, ex qua in agros patet prospectus longior.

17) Nexus et ordo: etsi coneris exstinguere communes et genuinos illos, quos indidit nobis natura, sensus, eosque ex animo per vim, et quasi cum furca expellas; tamen semper redibunt, et superabunt mala fastidia; id est, quamvis simplicitatem illam rusticam divites et urbani fastidiant, spernant que, furtim tamen et tacite amabunt rus, duce natura, vel in ipsa urbe. Furca expellere, est locutio proverbialis de rebus, quas vi a nobis avti-

Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.
Non [18]), qui Sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera [19]) fucum,
Certius accipiet damnum, propiusve medullis,
Quam qui non poterit vero distinguere falsum.
Quem res plus nimio delectavere secundae,
Mutatae quatient; si quid mirabere, pones
Invitus: fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges et regum vita praecurrere amicos.
Cervus [21]) equum pugna melior communibus herbis

---

mus et pellimus. Furca est instrumentum rusticum, quo stramenta et alia ex uno loco in alium protruduntur.

18) Sententia: qui adulterinum purpurae colorem, quali Aquinates decipere solent imperitos, non discernere didicit contendendo, conferendo illum cum genuino purpurae colore, is haud certiores et graviores erroris et imperitiae poenas dabit, quam ille, qui falsum a vero distinguere non poterit. Videtur hic jam urbanae vitae incommoda insectari poëta, ac si diceret: Illa bona, quae urbs suppeditat, hominem non aeque reddunt felicem, ac scientia, veram a fucata felicitate dignoscendi; igitur rus incolentes feliciores sunt iis, qui in urbe degunt.

19) Vellera potantia fucum Aquinatem, hoc est, vellera apud Aquinates, incolas Aquini, oppidi Volscorum, fuco, colore purpureo adulterato tincta. De fuco vide L. III. od. 5. not. 26. Contendere, id est, comparare cum velleribus, Sidonio ostro, colore purpureo genuino tinctis. Callidus, bene alicujus rei peritus. Damnum propius medullis, id est, quod penitius, magis sentitur.

20) Sensus: qui secundarum rerum felicitate plus justo delectatur, adversis idem plus justo perturbabitur; quod enim plurimi facis, aegre etiam amittes; fuge itaque magna, id est, divitias, honores amplos etc. fas est in domo paupere quoque vitam degere feliciorem, quam reges ipsi et amici horum, id est, ii, quos diligunt reges. Vita praecurrere, pro: felicitate vitae anteire et vincere.

21) Cum Himeraei, seu Himerenses Phalaridi, Agrigentinorum in Sicilia Tyranno, quem in auxilium vocatum summum ducem praefecerant suo exercitui, custodiam corporis quoque dare constituissent, Stesichorus Himerenses de imprudentia, qua se traderent potentiori, fabula de cervo et equo, quam hic narrat Horatius, monuisse dicitur. Sensus est ergo: cervus olim equo pugnacior, hunc communibus pascuis abigebat, donec equus, infirmior in longa rixa, rogavit hominem, ut sibi adesset, passusque est sibi frenum injici: verum ubi jam hominis ope factus violentior, ferocior, de hoste, cervo, victoriam reportavit, ab eo tempore equitem dorso portare et frenum ore mordere coactus est: sic, qui, non paucis contentus, divitiarum colligendarum cupiditati rem pretiosissimam, libertatem, postponit, pecuniae experietur imperium, aeternumque serviet. Libertate caret, potiore metallis, id est, libertati renunciat, quae auro et argento, seu, divitiis longe praeferenda est.

Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frenumque recepit:
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum depulit ore.
Sic, qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.
Cui [22]) non conveniet sua res, ut calceus olim,
Si pede major erit, subvertet; si minor, uret.
Laetus [23]) sorte tua vives sapienter, Aristi:
Nec me dimittes [24]) incastigatum, ubi plura
Cogere [25]), quam satis est, ac non cessare videbor.
Imperat [26]), haud servit, collectâ pecuniâ cuique,
Tortum [27]) digna sequi potius, quam ducere, funem.
Haec tibi dictabam [28]) post fanum putre Vacunae [29]),
Excepto, quod non simul esses, cetera laetus.

Dominum vehet: accommodate ad fabulam: pecuniam, sicut equus equitem, dominum suum portabit, h. e. pecuniam sibi imperare patietur. Improbus, ita etiam: pauperiem veritus, designat avarum, qui malo et improbo studio divitias congerit. Quia parvo nesciet uti, pro: quia paucis non est contentus.

22) Sensus: cui res suae non conveniunt, cui opes suae non congruunt, eae, si erunt nimis amplae, ut calceus, qui pede major est, illum subvertent et prosternent; at si fuerint angustiores, ut calceus angustior, urent eum atque vexabunt. Olim: aliquando, ut plurimum.

23) Sensus: Beatus igitur eris, Aristi mi, si in illis, quae habes, sapiens acquiescas.

24) Nec me dimittes incastigatum, id est, etiam me castiga.

25) Cogere, colligere; ac non cessare, id est, sine intermissione congerere divitias.

26) Sensus: pecunia avaro, sicut eques equo, imperat, non servit, vide supra versu 40. Avarus serviet aeternum.

27) Haec loquutio translata est ab animalibus, quae fune ducta ductorem sequuntur. Sensus: digna est pecunia, quae potius sequatur, ac serviat; quam praeeat et imperet, pro vulgari: divitiis potius sapienter uti oportet.

28) Dictabam, nempe, puero, ad te mittenda.

29) Vacuna, Dea quaedam, apud Sabinos culta, maxime ab otiosis rusticis, et operum vacuis, Victoriam eam fuisse, quidam putant, quod ejus beneficio vacamus curis, et otio indulgemus. Huic Deae apud Sabinos dicati erant luci cum fano, pene vetustate jam consumto, propterea: fanum putre, vetustum, vitiosum.

30) Non simul, id est, non mecum esses.

Epistola XI.

Ad Bullatium.

Argumentum.

Bullatius, nomine tantum notus, videtur fuisse dives et animo aeger, qui curarum abigendarum causa Asiam et Graeciam peragravit. Horatius igitur amicum suum hortatur, ut Romam redeat, curas enim non peregrinationibus, quibus coelum tantum, non animus, mutetur, sed prudentia et ratione pelli posse.

Quid tibi visa Chios [1]), Bullati, notaque Lesbos?
Quid concinna Samos? quid Croesi regia Sardis?
Smyrna quid, et Colophon? majora [2]) minorave fama?
Cunctane prae Campo et Tiberino flumine sordent?
An [3]) venit in votum Attalicis ex urbibus una?
An Lebedum [4]) laudas, odio [5]) maris atque viarum?
Scis [6]) Lebedus quid sit; Gabiis desertior atque
Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem,

1) Chios, Lesbos, Samos, tres insulae maris Aegaei. Lesbos nota, id est, nobilis, celebris, quia patria est Sapphus et Alcaei. Samos concinna, ob aedificiorum concinnitatem et elegantiam, erat Junoni sacra. Sardis, urbs princeps Lydiae in Asia minori. Smyrna et Colophon sunt Joniae, in Asia minori itidem, civitates. Sensus: quid, seu quales tibi videntur, quid judicas de his urbibus, quas vidisti, quas adivisti?

2) Sensus: num famam, qua celebrantur hae urbes, superant, an minus ei respondent? An eas contemnendas esse censes prae campo Martio et Tiberi, id est, an Roma tibi magis adhuc placet, quam civitates istae? Sordent, pro: displicent?

3) Sensus: an in una urbium Attalicarum vivere optas? an una ex urbibus, quibus Attalus praefuit, a te Romae praefertur? Ad urbes nobiliores, quibus imperabat rex Pergami Attalus, pertinent Myndus, Apollonia, Tralles, Thyatira etc. De rege Attalo vide L. I. od. 1. not. 12.

4) Lebedus, urbs Joniae maritima, et celeberrima, sed inde a Lysimacho, qui eam evertit, et incolas ejus deduxit Ephesum, deserta; hinc vocatur vicus desertior, scil. ab incolis, infrequentior, quam Gabii, oppidum Latii inter Romam et Praeneste, atque Fidenae, oppidum Sabinorum.

5) Odio maris, atque viarum: itinerum maritimorum et pedestrium pertaesus dicitur lassus maris et viarum L. II. od. 4. vers. 7.

6) Sunt haec Bullatii verba, quem Horatius inducit loquentem, et postea refellit. Sensus: scis quam desertus sit vicus Lebedus; attamen, inquis, malim solus ibi manere, vitam illic degere, meorum immemor, et ex eorum quoque memoria delendus, et illinc contemplari eminus saevientis maris procellas, quam Romam redire.

Oblitusque meorum obliviscendus et illis:
Neptunum procul e terra spectare furentem.
Sed [7]) neque, qui Capua Romam petit, imbre lutoque
Aspersus, volet in caupona vivere; nec, qui
Frigus collegit, furnos et balnea laudat,
Ut fortunatam plene praestantia vitam.
Nec, si te validus jactaverit Auster in alto,
Idcirco navem [8]) trans Aegaeum mare vendas.
Incolumi [9]) Rhodos [10]) et Mitylene pulchra facit, quod
Penula [11]) solstitio, campestre [12]) nivalibus auris,
Per brumam Tiberis [13]), Sextili [14]) mense caminus.
Dum [15]) licet, et vultum servat Fortuna benignum,
Romae laudetur Samos, et Chios, et Rhodos absens.
Tu [16]), quamcunque Deus tibi fortunavererit horam,
Grata sume manu; nec dulcia differ in annum,
Ut, quocunque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas; nam si ratio et prudentia curas,

7) Hic respondet Horatius hac fere sententia: sed quaecunque tibi placuerit urbs vel regio, fac, quaeso, redeas Romam; nam quemadmodum is, qui Capua Romam petit, non ideo in caupona volet vivere, quoniam ibi corpus imbre adspersum siccare, reficere, et a luto purgare potuit, vel is, qui nunc frigore collecto furnos, et balnea laudat, non ideo illa ad summam felicitatem refert; ita tu quoque non in locis, quae te nunc delectant, haerebis, nec, in alto jactatus, vendita nave a reditu in patriam te abstrahi patieris.

8) Navem vendas: qui trans mare profectus navem suam vendit, domum redire non potest.

9) Incolumi, id est, illi, qui bona valetudine utitur Rhodus et Mitylene idem sunt, quod aliae res, quae, per se bonae, nisi opportuno tempore adhibeantur, nocent magis, quam prosunt; et sequitur harum rerum enumeratio.

10) Rhodus, insula in mari Carpathio ad meridiem Asiae minoris. Mitylene urbs primaria Lesbi.

11) Penula vestis villosa contra imbres. Solstitium, quod cadit in finem mensis Junii, aestivum, pro magno calore positum est.

11) Campestre, vestis levis, subligaculum; illa utebantur, cum exercebant corpus in campo Martio aestate; nivalibus auris, pro hieme.

13) Tiberis, id est, natatio in Tiberi, qui Romam praeterfluit, quae aestatis tempore fiebat.

14) Sextilis est Augustus mensis. Vide supra Ep. 7. not. 2. Caminus, seu focus, apud nos fornax.

15) Sensus: quamdiu igitur possumus, et Fortuna nobis adridet, Romae maneamus, et laudemus insulas illas longe a nobis remotas: sic etiam tu Romam redi, et hic lauda extera illa loca remotus, absens ab iis.

16) Sensus: Fruere bonis, quae fortuna tibi offert, ut, ubicunque fueris, jucunde vixisse dicere possis; nam si non loci alicujus amoenitas, sed rationis usus et sapientia, curas evellit ex animo, profecto ii, qui trans mare currunt, non animum sed coelum tantum mutant.

Non locus [17]), effusi late maris arbiter, aufert;
Coelum, non animum, mutant, qui trans mare currunt.
Strenua [18]) nos exercet inertia [19]): navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere: quod petis, hic est;
Est Ulubris [20]), animus si te non deficit aequus.

Epistola XII.

Ad Iccium.

Argumentum et occasio.

Iccium jam e L. I. od. 24. novimus, qui a. u. 730, omisso philosophiae studio ditescendi causa miles factus est; tardius autem procuratoris munere fungebatur in latifundiis Agrippae, quae hic possidebat in Sicilia. In hanc provinciam iter facientem Grosphum commendat Horatius amico suo Iccio, quae commendatio scribendae hujus epistolae occasio fuisse videtur. Jocatur primum egregrie in insatiabilem ejusdem Iccii avaritiam, ab eo nihilominus philosophiae conjunctam studio; dein ad primarium epistolae argumentum, Pompejum Grosphum commendando, transit; et ultimo tandem subjungit quaedam de statu imperii Romani politico nova. Epistolam autem ante annum 736 non esse scriptam, patet e versu 26. not. 25.

Fructibus [1]) Agrippae Siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris, non [2]) est, ut copia major

17) Locus, effusi late maris arbiter, id est, locus, e quo libere prospici potest in late patens mare; hic enim dominus quasi maris, et amoenissimus est.

18) Sensus: sed sic sumus homines; navibus et quadrigis vecti, procul petimus, quod in propinquo est, et ante pedes jacet.

19) Strenua inertia. Agimus et laboramus plurimum, ut nihil agamus; id est, inertes sumus, quia non quaerimus felicitatem, ubi est, laboris ac virtutis taedio; et simul strenui atque agiles sumus, qui eam ibi quaerimus operose, ubi non est. Non raro enim homines inertes in iis quae non suscipere et exequi debebant, gnavos se probant ac strenuos.

20) Ulubrae oppidum exiguum in agro Pomtino. Sensus: quod petis, nempe felicitas est etiam Ulubris; etiam Ulubris eam invenies, modo animum habeas perturbationis expertem.

1) Sensus et ordo: o Icci, qui cogendis Agrippae Siculis reditibus praefectus es; si sapienter uteris procurationis tantae commodis, nihil tibi potest uberius ab Jove dari; noli itaque jam ultra conqueri, neque enim se pauperem dicere debet, cui suppetunt res necessariae in usum. De Agrippa Vipsanio vide arg. L. I. od. 5.

2) Non est, id est, fieri non potest etc.

Ab Jove donari possit tibi; tolle querelas [3]);
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si ventri [4]) bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil
Divitiae poterunt regales addere majus.
Si forte [5]) in medio positorum [6]) abstemius [7]) herbis
Vivis et urtica [8]), sic vives protinus [9]), ut te
Confestim liquidus fortunae rivus inauret [10]):
Vel [11]) quia naturam mutare pecunia nescit;
Vel quia cuncta putas una virtute minora.
Miramur [12]), si Democriti [13]) pecus edit [14]) agellos
Cultaque, dum peregre [15]) est animus sine corpore velox;

3) De paupertate sua Iccius saepius querebatur.

4) Sensus: si ventre, et latere et pedibus vales, pro vulgari: si bona valetudine uteris, neque, si regias opes acciperes, augeretur felicitas tua.

5) Sensus: Quodsi in media copia bonorum tibi expositorum nihilominus aqua, oleribus, et vilibus herbis vivere mavis, hac etiam ratione fies ditissimus, et totus inauraberis.

6) Positorum, id est, expositorum tibi bonorum, quorum data tibi est copia fruendi.

7) Abstemius a verbo abstineo et temetum, quae vox antiqua vinum significat, ac proinde idem, ac, vino abstinens.

8) Urtica, vile genus herbarum, nostris Nessel.

9) Protinus, hoc in loco non significat statim, sed, deinceps, postea; sic deinceps perges vivere, ut coepisti, quamvis ditescas.

10) Inauret; proverbiali locutione inaurari dicuntur, quibus tanta est vis auri, ut eo obrui videantur.

11) Duas Horatius adfert rationes, ex quibus cumulus pecuniae apud Iccium crescere debeat: vel quia naturam hominum non potest mutare pecunia, nec efficere, ut tu, qui esses parcus et avarus, laute atque indulgenter te tractes; vel quia philosophus cum sis, frugalitatem diligis et vitam beatam non in lauto victu et deliciis, sed in una virtute sitam putas, cui cetera omnia post habenda censes. Hoc Iccii ludendi causa protulisse videtur Horatius.

12) Sensus: quodsi miramur, Democritum toto animo ita philosophiae studio defixum fuisse, ut ille, nulla rerum domesticarum habita cura, vicinorum pecora agros suos depasci sineret, multo magis mirari debemus, te, Icci, inter tantam scabiem et contagia lucri, inter tam foedam et contagiosam ditescendi cupiditatem ultra ea, quae parva sunt, sapere et in rerum sublimium, h. e. coelestium et physicarum causas et origines, ut olim, inquirere.

13) Democritus fuit philosophus insignis, qui res humanas ridere perpetuo solebat, tantoque flagrabat studio philosophiae, ut oculis ipse se orbaverit, patrimonium neglexerit, suosque agellos alienis pecudibus depascendos permiserit, quo liberius illi vacaret.

14) Edit, depascit fertiles agros et culta rura.

15) Peregre, id est, aliis rebus occupatus est animus sine corpore velox; praeclare de animo, qui, sejunctus a corpore, per se viget, cogitat, ratiocinatur.

Cum tu inter scabiem tantam et contagia lucri
Nil parvum sapias, et adhuc sublimia cures:
Quae [16]) mare compescant causae; quid temperet [17]) annum;
Stellae [18]) sponte sua, jussaene vagentur et errent;
Quid [19]) premat obscurum Lunae, quid proferat orbem;
Quid velit et possit rerum concordia [20]) discors;
Empedocles [21]), an Stertinii deliret acumen.
Verum seu pisces [22]) seu porrum et caepe trucidas,
Utere Pompejo Grospho; et, si quid petet ultro,
Defer: nil Grosphus nisi verum orabit et aequum.
Vilis [23]) amicorum est annona, bonis ubi quid deest.
Ne [24]) tamen ignores, quo sit Romana loco res:
Contaber [25]) Agrippae, Claudi [26]) virtute Neronis

16) Sequitur hic enumeratio rerum sublimium. Mare compescant, id est, intra terminos suos cohibeant.

17) Temperet annum, id est, moderetur annum vicissitudinibus ad certas leges constitutis.

18) Stellae, id est, planetae. Disputant philosophi an astra innato motu agantur, an adscititio, et alieno impulsu.

19) Sensus: quid lunae orbem modo tegat, modo iterum ostendat, collustret.

20) Id est, quo spectet elementorum inter se pugnantium conspiratio ad commune bonum orbis, et discors concordia.

21) Empedocles, Agrigentinus poëta et philosophus, qui de rebus physicis scripsit; statuit, quatuor elementa esse principia rerum omnium. Fuit homo arrogantissimae superbiae, qui ut Deus haberetur, in Aetnam ardentem insiluit, ut, cum nusquam appareret sublatus in sidera putaretur. De Stertinio Stoico vide L. II. sat. 3. not. 31. Sensus est: an Empedocles, an vero acutus Stertinius deliret, erret in placitis suis philosophicis.

22) Intelligit poëta per pisces epulas lautiores; per porrum autem et caepe mensam parcam. Trucidas, interficis; alludit forte hic Horatius ad Pythagoram, qui in fabis et porris latere animas hominum dictitabat. Utere, id est, adhibe coenae. De Pompejo Grospho vide L. II. od. 5. argum. Sensus est: seu laute vivis, seu parce, invita Grosphum ad coenam tuam, et si quid a te praeterea postulaverit, morem illi gere; omnino, nisi quod aequum atque honestum sit, ille te rogabit, a te postulabit.

23) Vilis annona proverbiali locutione de iis, quae, sicut annona, vili pretio acquiruntur. Sensus est: si enim vir bonus, qualis est Grosphus, re aliqua, qua ille indiget, a te juvabitur, vili pretio eum tibi amicum parare poteris, quia ea tantum, quae vilioris pretii sunt, a te petet; hoc autem generali sententia expressit poëta: vili enim pretio amicitiam bonorum et proborum comparare nobis possumus.

24) Sensus: ut etiam novi quid de statu rerum Romanarum politico rescias, sequentia tibi scribo.

25) De Cantabris ab Agrippa tandem perdomitis a. u. 736. vide L. III. od. 7. not. 17.

Armenius cecidit [27]): jus imperiumque Phraates [28])
Caesaris accepit genibus [29]) minor: aurea [30]) fruges
Italiae pleno defudit Copia cornu.

Epistola XIII.

Ad Vinium Asellam.

Argumentum.

Horatius libros suos Augusto mittens per Vinium Asellam, mandata et praecepta, quomodo illa portanda et Caesari porrigenda sint, jocose exponit hac in epistola, quam lima haud perpolitam, subito tantum chartae illevisse videtur. De tempore ejus vix quiddam probabile statui potest. Vide infra not. 3.

Ut proficiscentem docui te saepe diuque,
Augusto reddes signata [2]) volumina [3]), Vini [1]),
Si validus [4]), si laetus erit, si denique poscet;
Ne studio [5]) nostri pecces, odiumque libellis

26) Anno U. 734. Tiberius ab Augusto missus est in Armeniam, ut Regem Tigranem ei praeficeret in locum Artabaci, ejus fratris, qui Armenis invisus erat.

27) Cecidit, id est, devictus, subjugatus est.

28) De Phraate, qui signa cum captivis, Crasso erepta, reddidit Augusto a. u. 734 vide L. III. od. 7. not. 16.

29) Genibus minor, id est, provolutus in genua supplex et humilis. Non Phraates ipse Romam venit, sed a Perside misit legatos et obsides, qui ejus nomine ad genua Caesaris acciderent.

30) Sensus: beata abundantia pleno cornu omnis generis fruges in Italiam effudit. De cornu copiae vide Mythol.

---

1) Fuit Vinius Asella tabellarius, servilis conditionis homo, quem cum litteris proficiscentem jam saepe multumque, quomodo dextre obiret tabellarii officium, Horatius docuerat.

2) Signata, id est, sigillo impresso obsignata.

3) Non exprimit Horatius, quos libros tradat Vinio deferendos ad Caesarem; aliqui putant, omnia carmina quae variis temporibus Caesari oblata fuerant, a poëta nunc demum in unum collecta et ipsi tradita fuisse; quod si autem integram collectionem operum Horatii hic intelligas, epistolam hanc ante annum 745 non scriptam fuisse probabile fit ex eo, quod L. IV. od. 13. circa hunc annum scriptam fuisse constet.

4) Validus, id est, sanus.

5) Nexus sententiarum: cave, ne, dum meis rationibus servire studes,

Sedulus importes opera vehemente minister.
Si te forte meae gravis uret[6]) sarcina chartae,
Abjicito potius, quam, quo perferre juberis
Clitellas[7]), ferus impingas, Asinaeque paternum
Cognomen vertas in risum, et fabula fias.
Viribus[8]) uteris per clivos, flumina, lamas:
Victor[9]) propositi simul ac perveneris illuc,
Sic[10]) positum servabis onus, ne forte sub ala[11])
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum;
Ut vinosa glomos furtivae Pyrrhia[12]) lanae;
Ut[13]) cum pileolo soleas conviva tribulis.
Ne[14]) vulgo narres te sudavisse ferendo
Carmina, quae possint oculos auresque morari

rem tuam sinistre agas; odiumque importes, id est, neve, dum praecipitantius et nimia sedulitate libellos tradis, Augustum offendas; Minister sedulus, id est, tabellarius male vel nimis sedulus.

6) Uret, id est, si gravius tibi videtur voluminum meorum pondus.

7) Id est: quam sarcinam librorum, quasi clitellas, instar feri, id est, asini aut equi fatigati, excutias, sub onere corruendo illudque terrae impingendo, ex eo enim caperent homines ansam tui ridendi ob cognomen tuum paternum, Asella, dicendi: nihil te alienum a tuo cognomine fecisse, clitellas asini more abjiciendo. Fabula, id est, jocus, ludibrium.

8) Sensus: corporis robore tibi opus erit ad colles superandos trananda flumina, et ut lutosis viarum lacunis te expedias. Lama: locus palustris, lutosus, paludosus.

9) Victor propositi, id est, propositam viam emensus. Illuc in domum Augusti.

10) Sic positum servabis onus, librorum fasciculum tenebis; id est, hunc in modum apte et decenter positum; fortasse Horatius etiam, dum ajebat: sic, ostendit gestum aliquem, quo significabat Vinio, quomodo gestari ab eo libros velit.

11) Sub ala, id est, sub lacertis.

12) Pyrrhia, nomen est ancillae in quadam fabula Titinnii, quae furata lanae glomos, id est, lanam, in formam globi convolutam, ita se gestavit, ut deprehenderetur. Vinosa, pro: bibax.

13) Sensus: sicuti tribulis ex plebe vel rure, a superiore vel ditiore ejusdem tribus ad coenam vocatus, soleas cum pileolo sub ala portare solet. De soleis vide L. II. sat. 8. vers. 77. not. 66. Tribulis, id est, ad eandem tribum pertinens. Soleas autem portabant tales homines de plebe invitati, ne iis, quibus uterentur adcumbentes, lectulos inquinarent. Piliolis obtegebant extremam partem capitis, iique ad externum tantum convivarum cultum pertinuisse videntur.

14) Sensus: vide ne passim omnibus ac sine delectu dicas, te non absque sudore carmina detulisse, digna, quae Caesaris oculos et aures detineant, id est, quae Caesari placeant.

Caesaris; oratus[15]) multa prece, nitere porro.
Vade, vale, cave ne titubes, mandataque[16]) frangas.

Epistola XIV.

Ad Villicum suum.

Occasio et argumentum.

Horatius, mortuo fratre Lamiae, intimi amici sui, hunc, super hoc eventu tristem consulaturus diutius Romae commoratus est, licet maximo ruris et villae suae teneretur desiderio. Villicus Horatii fuerat prius servus in urbe, qui vitae urbanae adsuetus, rus summopere fastidiens, illam sibi praeoptavit. Arrepta hac occasione praesentem poëta scripserat epistolam, quam potius fictam contentionem dixerim Horatii cum Villico suo, rationes exponentis, cur vita rustica urbanae praeferenda videatur.

Villice[1]) silvarum et mihi me reddentis agelli[2]),
Quem tu fastidis, habitatum quinque[3]) focis, et
Quinque bonos solitum Variam dimittere patres;
Certemus[4]), spinas animone ego fortius, an tu
Evellas agro; et melior sit Horatius, an res.

15) Sensus: etiamsi a curiosis multum rogatus fueris, non responde illis et continua iter.

16) Mandata frangas, carmina corrumpas, disperdas.

---

1) Est villicus, qui in praedio rustico agriculturae praeest et servis.

2) Agelli, scil. Sabini. Homines urbani tot negotiis officiisque districti sunt, vix ut sint sui; vacant aliis, non sibi, eos sibi restituit villula, otium; hinc: agelli, me mihi reddentis.

3) Per quinque focos intelligendae esse videntur quinque domus, in quibus habitabant adhuc quinque familiae. Sensus est: quem agellum tu fastidis, contemnis, licet quinque in eo familiae sint, ac soleant ex eodem eligi quinque patres, id est, viri senes, et Variam, quae oppidum est Sabinorum ad Anienis ripam dextram, mitti negotiorum causa. Qualia haec fuerint negotia, determinari nequit, forsitan erant talia, quae rem rusticam spectabant. Non sine causa porro Horatius ex hac parte commendat villam suam; nam quo amplior illa fuit et frequentior, eo jucundius ibi vivere poterat villicus.

4) Spinas evellere agro, sensu proprio; evellere animo, sensu metaphorico dictum est de curis, quae animum pungunt et lacerant. Sensus est: certemus, experiamur, egone validius animum curis expurgem, quam tu agros vepribus; et sinne ego meliore statu, quam res, id est, villa, praedium meum.

Me [5]), quamvis Lamiae [6]) pietas et cura moratur,
Fratrem moerentis, rapto de fatre dolentis
Insolabiliter; tamen istuc mens animusque
Fert, et [7]) amat spatiis obstantia rumpere claustra.
Rure ego viventem [8]), tu dicis in urbe beatum:
Cui [9]) placet alterius, sua nimirum est odio sors.
Stultus [10]) uterque locum immeritum causatur inique;
In culpa est animus, qui se non effugit unquam.
Tu mediastinus [11]) tacita prece rura petebas;
Nunc urbem et ludos et balnea villicus [12]) optas:
Me [13]) constare mihi scis, et discedere [14]) tristem,
Quandocunque trahunt invisa negotia Romam.
Non [15]) eadem miramur; eo [16]) disconvenit inter
Meque et te: nam, quae deserta et inhospita tesqua [17])
Credis, amoena vocat, mecum qui sentit; et odit,

Exprobrat nempe villico taedium villae, in qua tamen sine curis ipsi vivere liceat; cum e contra urbs tantas secum ferat curas, ut iis se homo non facile expedire possit.

5) Sensus et ordo: ego, quamvis Romae detineor pietatis officio, quod debeo Aelio Lamiae, incredibili luctu dolenti defunctum fratrem; animo tamen toto eo feror, ubi tu es, conorque omnes tollere obices et impedimenta, quibus impedior, ne istuc properem.

6) De Aelio Lamia, quem, ut ex hoc loco adparet, intimo amore amplexus est Horatius, vide L. I. od. 21. arg. et L. III. od. 12. arg.

7) Et amat obstantia claustra spatiis rumpere, id est, impedimenta itineri in villam objecta e medio tollendi cupiditate impellitur. Claustra alias idem sunt, ac carceres in Circo.

8) Viventem, subaudi, beatum dico, et felicem.

9) Nexus: nimirum ita fieri solet, ut illi sua displiceat vitae conditio, qui alienam meliorem putat.

10) Sensus est: uterque stulte et immerito locum accusat, in quo vivit, cum culpa tota in animo resideat, qui a se ipso discedere nequit.

11) Mediastinus videtur esse servus, qui mediis in aedibus ad quaevis obeunda servitia praesto adstabat. Sensus: tu, cum adhuc servus esses infimae sortis in urbe, optabas tacitus mitti in villam.

12) Villicus, id est, cum es in villa.

13) Me constare mihi, id est, me idem semper optare.

14) Discedere tristem, id est, nec nisi moestum discedere e villa, quoties invitum rapiunt negotia semper ingrata me Romam.

15) Non eadem miramur, id est, non eodem sensu iisdem de rebus adficimur.

16) Eo, id est, idcirco fit, ut parum inter me teque conveniat, ut tantopere dissentiamus.

17) Tesqua sunt loca aspera, inculta, hospitibus vacua.

Quae tu pulchra putas: fornix [18]) tibi et uncta [19]) popina
Incutiunt urbis desiderium, video; et [20]) quod
Angulus iste feret piper et thus ocius uva;
Nec vicina [21]) subest, vinum praebere taberna
Quae possit tibi: nec [22]) meretrix tibicina, cujus
Ad strepitum salias terrae gravis: et [23]) tamen urges
Jam pridem non tacta ligonibus arva, bovemque
Disjunctum curas, et strictis frondibus exples:
Addit opus pigro rivus, si decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere prato.
Nunc [24]), age, quid nostrum concentum dividat, audi.
Quem [25]) tenues decuere togae nitidique capilli,
Quem scis immunem Cinarae placuisse rapaci,
Quem, bibulum liquidi media de luce Falerni [26]),

18) Fornices subterranei plures erant Romae, ubi homines de infima plebe se diversis modis distrahebant.

19) Popina uncta, pro: pingues popinae, ubi laute vivitur.

20) Sensus: et quia angulus iste, id est, villa mea sterilis est, quae citius piper, thus et aliud quidvis fert, quam vinum, tu vero uvas prae ceteris fructibus amas.

21) Vicina subest, id est, prope est, vicina est taberna, unde possis vinum accipere.

22) Sensus: quia nec meretricula, tibia canens, adest, ad cujus sonum saltans terram gravi pede percutias. Rustici enim, praecipue vino graves, cum saltant, gravius pulsant terram pedibus.

23) Sensus et nexus: et tamen non diffluis ignavo otio, quod excitare possit urbis desiderium; sed mox insudas agro inculto ligonibus fodiendo; mox iterum boves curas in stabulo jugo solutos, et illos foliis, ex ramis arborum strictim decisis, saturas; occuparis insuper nonnunquam, labore vacuus et otiosus, in rivo coërcendo, quum ob copiam pluviarum exundat, et opus est aggeribus oppositis, ne prato optimo et soli exposito noceat. Docendus, id est, cogendus mole seu aggeribus, ne exundans noceat prato vel agro.

24) Sensus: nunc accipe, quae causa sit, quod non concinamus, conveniamus, idem de hac re sentiamus. Concentus hic idem est, ac consensus.

25) Sensus: me, qui olim togis molliter textis et e subtili panno confectis, unguentoque delibutis capillis delectabar; quem non ignoras immunem, id est, sine oblato munere carum exstitisse Cinarae rapaci, id est, avarae, munerum appetentissimae; quem scis ab ipso meridie consuevisse Falernum bibere, nunc coenula magis delectat, et somnus ad rivum in gramine; neque vero pudori mihi est, quod olim luserim, amoribus et genio indulserim, sed non incidere, non intermittere ludum illum, non finem facere juvenili proterviae, id pudori et dedecori esset.

26) Vinum Falernum, de quo jam saepe dictum, stat hic pro vino in genere. Cinara, nomen est puellae, quam Horatius amabat.

Coena brevis juvat, et prope rivum somnus in herba:
Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.
Non istic[27]) obliquo oculo mea commoda[28]) quisquam
Limat[29]); non odio[30]) obscuro morsuque venenat:
Rident[31]) vicini glebas et saxa moventem.
Cum[32]) servis urbana diaria[33]) rodere mavis?
Horum tu in numerum voto ruis? Invidet[34]) usum
Lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti.
Optat[35]) ephippia bos piger: optat arare caballus.
Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.

Epistola XV.

Ad Numonium Valam.

Occasio et argumentum.

Epistola haec, ut e parenthesibus insertis longioribus adparet, incuriosius scripta, quam reliquae, directa est ad Numonium Valam, quem quidam legatum, Vari, a Germanis caesi, dicunt, quive ut ipsius epistolae argumentum clare prodit, non ultimus familiarium Horatii fuerat. Poëta nimirum, suadente medico Musa Antonio, lavandi causa non Bajas, sed Veliam et Salernum profecturus, hunc suum amicum Valam de aëris in his duobus oppidis temperie, de hominum, qui ibi vivant, moribus et ingenio; denique de via eo ducente, atque de victu et annonae vilitate percontatur. Se autem hoc facere ait propterea, quod, licet quolibet, etiam vilissimo, victu contentus sit; attamen meliori etiam, et lautiori, si hujus facultas sibi data sit, libenter omnino utitur; hocque exemplo Maenii facete illustrat.

Quae[1]) sit hiems Veliae[2]), quod coelum, Vala, Salerni,
Quorum hominum regio, et qualis via; (nam[3]) mihi Bajas
Musa[4]) supervacuas Antonius, et tamen illis[5])
Me facit invisum, gelida cum perluor unda
Per[6]) medium frigus. Sane[7]) murteta relinqui,
Dictaque cessantem nervis elidere morbum;

---

27) Isthic, id est, cum rure sum.

28) Mea commoda, id est, fortunas meas.

29) Limat, id est, obliquis oculis adspicit, ut invidi solent; limus enim adjectivum, idem est, ac obliquus, transversus.

30) Sensus: nemo mea commoda odio obscuro, tecto et morsu, sicut anguis, id est, ore maledico venenat, veneno quasi inficit, carpit.

31) Sensus et nexus: maximum malum, quod mihi rure obtingit, est; cum vicini rident, videntes me tollentem lapides et ferentem glebas, id est, labores ruris peragentem.

32) Sensus: tu vero mavis victum habere tenuem inter servos urbanos, et summum tuum votum est illis adnumerari?

33) Diaria rodere, id est, consumere cibos, qui dantur servis in singulos dies. Diarium alias etiam significat ephemeridem; hoc in loco est victus unius diei. Voto ruis: desiderio raperis.

34) Sensus: at contra calones tuae felicitati invident, et te beatum esse putant, quia rure habes affatim ligna, quibus utaris, pecora, et hortum. Calones proprie erant servi castrenses, quibus ad ligna et alia necessaria convehenda milites utebantur; hic eo nomine etiam adpellat Horatius servos, qui civibus in urbe eadem praestabant obsequia non sine magno labore suo. Arguti dicuntur, id est, callidi, astuti; quia hujus generis homines tales plerumque reperiebantur.

35) Concludit poëta: insipienter facere villicum dum urbem optat, cum ruri aptus, non urbi, sit. Et pro hoc dicit: sic etiam desiderant boves tardi equorum velocium phaleras; et vicissim equi, boum aratra. Ego vero auctor, esse omnibus vellem, ut cujus quisque artis peritus est, in ea se occupet, libens. Uterque, refertur ad equum et bovem.

---

1) Oratio, duabus longioribus parenthesibus interrupta, usque ad v. 25. progreditur. Sensus orationis, paulo molestius junctae, inchoandus est a versu 25. Par est te nobis scribere, id est: aequum, o Vala, est, ut tu roganti mihi scribas, quales esse hiemes soleant apud Veliam, et quale coelum Salernitanum; qua indole, et quibus moribus indigenae sint utrobique, et qualis sit via illuc ducens; et ego tibi scribenti credam, id est, illis, quae tu mihi scripseris, consentaneum consilium capiam.

2) Velia et Salernum sunt Italiae extremae oppida maritima. Salernum quidem in sinu Paestano, qui Puteolanum sinum proxime sequitur, inter Campaniam et Lucaniam; Velia vero in ipsa Lucania prope promontorium Palinurum.

3) Sensus: nam Bajas sive thermas valetudini meae non convenire, me docuit medicus, Antonius Musa, et quamvis non mea, sed medici auctoritate utor balneis frigidis, tamen id aegre ferunt Bajarum incolae.

4) Antonius Musa, medicus, Romae et in tota Italia celebris factus, ex quo a. u. 731. Augustum gravi morbo explicuit lavacris et potionibus frigidis, ob quam curationem multam ab Augusto pecuniam, et multam a Senatu accepit, cum jure annuli aurei, quod ante non habebat, quia libertus erat. Idem ille Horatio suaserat, Bajas ante adire solito, ut frigidis aquis ac marinis uteretur. Itaque Horatius sollicite de Velia et Salerno, maritimis oppidis, inquirit.

5) Illis, id est, Bajanis aquis me facit invisum; nempe oderunt me Bajani, quod Antonius mihi suaserit frigida balnea, cum prius semper thermis Bajanis usus fuerim. De Bajis vide L. II. od. 15. not. 21.

6) Per medium frigus, id est, hieme.

7) Sensus et ordo: profecto, vicus Bajanus, id est, Bajarum incolae,

Sulphura contemni, vicus gemit, invidus aegris,
Qui caput et stomachum supponere [8]) fontibus audent
Clusinis [9]), Gabiosque petunt, et frigida rura.
Mutandus [10]) locus est, et diversoria nota
Praeteragendus equus: quo tendis! non mihi Cumas
Est iter, aut Bajas, laeva stomachosus habena
Dicet eques: sed equi frenato est auris in ore.)
Major [11]) utrum populum frumenti copia pascat;
Collectosne bibant imbres, puteosne perennes
Jugis aquae: (nam vina nihil [12]) moror illius orae:
Rure [13]) meo possum quidvis perferre patique;
Ad [14]) mare cum veni, generosum et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet

murteta, id est, myrteta sua, loca myrtis consita, relinqui, et aquas sulphureas, quae jactabantur nervis elidere, id est, depellere morbum cessantem, raro intermittentem, nempe arthritidem vagam, contemni gemunt, vere dolent, invidentes, id est, indignantes aegris, balnea frigida alibi petentibus.

8) Supponere; aquae enim non tantum bibebantur, sed etiam aegris partibus, capite, humeris et stomacho excipi solebant, profluentes e fonte suo.

9) Clusium est Etruriae oppidum; Gabii autem fuere vicus Latinorum; in ambobus locis balnea erant frigida, ideo vocat illa frigida rura.

10) Sensus: interim tamen parendum est medico, mutanda sunt balnea. Facete autem Horatius jam animo sibi fingit instans iter, atque continuat: et si forte equus viam dextrorsum Bajas aut Cumas ducentem ob nota sibi in hac via diversoria transire nolet, ego, eques stomachosus, iratus, dicam: quo tendis? non mihi Cumas est iter, aut Bajas, non quidem verbis, sed habena laeva, id est, sinistrorsum equum flectente dicam; non audit enim equus, sed equi auris est in freno, h. e. equus non verbis, sed freno paret. Nota: Capuam et Neapolim a Roma proficiscentibus, et inde Veliam ac Salernum euntibus, sinus et vicus Bajanus ad dextram est

11) Pergit Horatius quaestiones proponere, ad quas Valam ipsi respondere par sit. Confer not. 1. Sensus: scribe mihi porro, utrum incolae Veliae et Salerni majori copia frumenti gaudeant, id est, utrum tractus ille feracior sit frumenti? bibantne aquas in cisternis collectas, an ex puteis hauriant perenni fluxu scaturientes? Jugis aquae, pro, jugiter promanantis aquae fontanae.

12) Nihil moror, id est, non curo, vina illius regionis non aestimo, ac proinde facile iis carere possum.

13) Sensus: didici quidem in villa mea tolerare quidvis, id est, qualibet re, quolibet vili victu et vino contentus esse; modo mihi e perennibus, jugis, aquae fontibus bibere liceat. Per, quidvis, intelligit quidem Horatius omnem victum viliorem, quem non recuset rure vivens, nominatim tamen ut docent sequentia, regionis illius vinum, quo se haud invitum abstinere ait.

14) Sensus: sed ubi ad mare descendero, ubi in Veliam sive Salernum, loca maritima in Lucania, profectus fuero, generosum et lene, id est, suave,

In venas animumque meum, quod verba ministret,
Quod me Lucanae juvenem commendet amicae:)
Tractus [15]) uter plures lepores, uter educet apros:
Utra magis pisces et echinos aequora celent,
Pinguis ut inde domum possim Phaeaxque [16]) reverti;
Scribere [17]) te nobis, tibi accredere, par est.
Maenius [18]) ut, rebus maternis atque paternis
Fortiter absumtis, urbanus coepit haberi;
Scurra vagus [19]), non qui certum [20]) praesepe teneret,
Impransus [21]) non qui civem dignosceret hoste,
Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus,
Pernicies [22]) et tempestas barathrumque macelli,
Quicquid [23]) quaesierat, ventri donabat avaro.
Hic [24]) ubi nequitiae fautoribus et timidis nil,

tantum vinum bibam, quod curas abigat, quod influens in venas animum mihi bona spe compleat, quod me facundum reddat, et quod me, senem licet, Lucanis puellis et feminis, ac si essem juvenis, juvenili amoenitate gratum efficiat. Manare, idem ac, fluere.

15) Pergit hic iterum poëta interrogare. Sensus: scribe insuper, ubi sit major leporum et aprorum copia, an in tractu, sive regione Veliae, an Salerni? in utro mari plures pisces et echini delitescant, ut similis Phaeacibus pinguis et obesus inde domum redire possim. Echini sunt pisciculi e genere cancrorum, pilis quibusdam, ut spinis, obsiti. Vide L. II. sat. 4. not. 25.

16) Phaeaces erant molles et voluptuarii populi insulae Corcyrae, eorum rex Alcinous. Vide supra Epist. 2. not. 29.

17) Vide supra hujus Epist. not. 1.

18) Horatius jam L. I. sat. 1. vers. 101. et sat. 3. vers. 2. Maenium ut vappam et nebulonem produxit. Ut, idem ac, postquam. Rebus maternis, id est, bonis a patre et matre haereditate acceptis. Fortiter absumtis, id est, strenue, impigre profusis. Urbanus coepit haberi, id est, facetus homo, risum movens ad captandas divitum in urbe mensas factus est.

19) Vagus, nulli certae mensae addictus.

20) Certum praesepe, domum statam et certam, ubi adcubaret mensae.

21) Sensus: qui impransus, id est, jejunus adeo saevus fuit, ut in cives perinde ac si hostes fuissent, saeviret, non amicum ab inimico dignosceret, quemvis contumeliosis verbis peteret.

22) Sensus: qui omnia esculenta, quae in Macello venduntur, unus devorabat; propterea dicitur pernicies, tempestas et barathrum seu vorago omnia obsorbens totius Macelli. In Macello autem venibant res, quae vescendi causa in urbem adferebantur, praecipue autem pisces, et caro animalium.

23) Sensus: qui, quidquid demum collegerat, lucrifecerat sua scurrilitate, in ventrem avidum conjiciebat, abliguriebat.

24) Sensus: hic idem Maenius, ubi ab iis, qui hanc illius nequitiam seu luxuriam alebant et fovebant, timentibus, ne sibi deesset, quod donarent, aut nihil aut parum acceperat; contentus erat cibis vilissimis, v. g. omaso, (omasum autem sunt intestina pecudum) praeterea vili carne agnina; et

Aut paulum abstulerat, patinas coenabat omasi,
Vilis et agninae, tribus ursis quod satis esset;
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos, corrector Bestius [25]). Idem [26])
Quicquid erat nactus praedae majoris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem: Non hercule miror,
Ajebat, si qui [27]) comedunt bona; cum sit obeso [28])
Nil melius turdo, nil vulva pulchrius [29]) ampla.
Nimirum [30]) hic ego sum; nam tuta et parvula laudo,
Cum res deficiunt, satis inter vilia fortis:
Verum ubi quid melius contingit et unctius [31]), idem
Vos sapere, et solos [32]) ajo bene vivere, quorum
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

Epistola XVI.

Ad Quinctium.

Argumentum et occasio.

Cum accepisset Horatius, Quinctium quaedam de suo Sabino praedio sciscitatum esse maligno animo et contem-

---

quidem tanta copia his vescebatur, ut tribus ursis suffecissent patinae, quas exhauriebat; et simul tamquam corrector Bestius, id est, tamquam homo sapiens et jam emendatus, qui omnem luxuriam summopere odisset, dicebat, nepotum, dissolutiorum, helluonum ventres urendos esse lamina et ferro candenti, ut poenam intemperantiae suae luerent.

25) Bestius videtur fuisse homo avarus, qui nepotes et prodigos acerbissime tractandos censebat.

26) Sensus: idem tamen Maenius, cum in praedam majorem inciderat, postquam momento omnia in fumum cineremque converterat, id est, decoxerat, absumserat.

27) Id est: esse homines, qui laute vescendo suas opes male perdant.

28) Obeso, id est, pingui.

29) Nihil pulchrius, id est, nihil suavius vulva suilla satis magna, scilicet ventre et mamillis porcae, mensarum tunc deliciis.

30) Talis etiam ego sum, nempe Maenio simillimus, quod ad animum, utrique sorti sese adcommodantem, adtinet; nam, cum res deficiunt, pauperis sortem, ut tutiorem divitis sorte, laudo, et in vili ac tenui victu me virum fortem ac sapientem praesto, satis fortiter absentes delicias contemno.

31) Unctius, pro: lautius.

32) Sensus: solos eos felices praedico, quibus in villa pulchre exstructa vitam transigere licet, unde magni fructus et proventus percipiantur; unde census, in praediis et agris fundatus, est certior et tutior.

---

tim; ipse injuriam epistola ista ulturus, post veras villae suae laudes expositas, in mores Quinctii vicissim inquirit satyrice, dubiumque facit, num ille adfectata virtutis specie hominibus imponat, sapientiam simulans, cum intus vitiis suis omnino non careat. Ille enim, philosophatur porro, non est vere bonus vir, qui externa tantum specie leges observat, servo similis, qui ob metum poenarum nihil sceleris committit. Quia vero Quinctium fortassis etiam avaritiae macula adspersum sciverat poëta, in specie ad hoc vitium in amico carpendum transit, illoque laborantem, in quem habendi cupiditas dominetur, vere servum, ac ideo inter sapientes ac bonos nequaquam numerandum esse, ostendit. Concludit ultimo: is enim tantum vere bonus et sapiens est, qui humana omnia vitamque ipsam contemnit.

Ne [1]) perconteris, fundus meus, optime Quincti [2]),
Arvo [3]) pascat herum, an baccis opulentet [4]) olivae,
Pomisne [5]) an pratis, an amicta vitibus ulmo:
Scribetur [6]) tibi forma loquaciter, et situs agri.
Continui [7]) montes, nisi dissocientur opaca
Valle; sed ut veniens dextrum latus adspiciat sol,
Laevum decedens curru fugiente vaporet.
Temperiem [8]) laudes. Quid [9])? si rubicunda benigne

---

1) Ne perconteris, id est, noli inquirere.

2) Quinctus Hirpinus, ad quem etiam directa est L. II. od. 8. vide hujus arg. Gens Quinctia nobilis erat apud Romanos.

3) Arvo pascat, id est, utrum villa mea frumento in agris collecto dominum alat?

4) Opulentet, pro: opulentum, divitem reddat.

5) An pomis, an pratorum proventibus, an vero ulmis vitibus circumdatis; ulmi enim ei praecipue inserviebant usui, ut vites cum earum trunco jungerentur. Vide etiam L. II. od. 12. not. 5.

6) Sensus: ego ipse tibi describam fusius praedii formam et situm.

7) Continui, id est, ambiunt illud ex omni parte montes continua serie, nisi essent separati valle umbrosa, ita tamen, ut ejus dextrum latus sol oriens collustret, adspiciat, sinistrum vero occidens vaporet, id est, calefaciat. Sol enim occidens curru suo fugere dicitur a poëtis.

8) Coelo utitur ita temperato, ut merito eam ob rem laudari debeat.

9) Sententia est: quid autem, si addidero, vel ipsos vepres cornorum illic atque prunorum abunde feraces existere, quercus vero et ilices pecori pastum, hero umbram praebere liberaliter? putes pulchrum Tarentum propius huc ad nos accessisse cum jucundissima sua viriditate. Tarentum porro est urbs in Calabria, Italiae extrema parte ad meridiem non procul Brundusio; et Tarentinam regionem refert Horatius ad amoenissimas Italiae regiones.

Corna vepres et pruna ferant? si quercus et ilex
Multâ fruge pecus, multâ dominum juvat umbrâ?
Dicas adductum propius frondere Tarentum.
Fons [10]) etiam, rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior Thracam, nec purior ambiat Hebrus [11]),
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hae [12]) latebrae dulces, et jam, si credis, amoenae,
Incolumem tibi me praestant Septembribus horis.
Tu [13]) recte vivis, si curas esse, quod audis:
Jactamus jam pridem omnis te Roma beatum.
Sed [14]) vereor, ne cui de te plus, quam tibi credas;
Neve putes alium [15]) sapiente bonoque beatum;
Neu, si te populus sanum recteque valentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules, donec manibus [16]) tremor incidat unctis.
Stultorum [17]) incurata pudor malus ulcera celat.

10) Sensus: adest etiam fons tam copiose fluens, ut rivi nomen possit statim accipere, gelidus adeo et purus, ut nec frigidiores aut puriores aquas Hebrus circa Thraciam volvat; sanandis capitis doloribus et ventris idoneus, utilis. Hunc fontem, Blandusiam, sive Bandusiam, laudavit Horatius L. III. od. 9.

11) Hebrus fuit nomen fluvii in Thracia, regione ad septemtrionem maris Aegaei sita.

12) Sensus: his ego latebris non suaviter modo, sed quod vix forte credas, magna cum voluptate me abdo, tibique sanus servor auctumni tempore. Autumni tempus Romae insanum, morbos adeo et mortem copiose adferre credebatur. Vide L. II. sat. 6. vers. 19. et Epist. 7. not. 5.

13) Sensus: quod ad te attinet, tu quidem vitam agis beatam, si talis esse revera curas, qualis putaris; jam dudum enim tota Roma felicem te praedicat.

14) Sensus: sed vereor, ne aliorum de te plus, quam tuo ipsius judicio credas (quia probe scis, te non esse eum, qui vulgo esse diceris) vereor porro, ne alium, quam eum, qui sapiens et bonus sit, beatum habeas; vereor denique, ne, licet omnes te sanum esse et bene valere dictitent, reapse tamen aegrotes, vel plane similis sis ei aegroto, et guloso, qui febrim sub edendi tempus, ne cibi sibi denegentur, occultat, donec febris, cum manus tremere incipiunt, prodatur. Ex hoc loco haud vulgarem Horatio cum Quinctio intercessisse amicitiam, satis certe colligi potest. Quis enim sumat sibi cuiquam, nisi intimo amico, dicere vel scribere: tu non es is, qui esse diceris, tu vitia tua, sicut aegrotus febrim, dissimulas.

15) Alium sapiente, id est, diversum a sapiente, alium, quam sapientem, v. g. divitem.

16) Manibus unctis, ob tractatos cibos.

17) Sensus: stulti nimirum mala sua, occultantes pudore noxio, curare negligunt. Incurata, id est, quibus nihil adhibent curationis et medicinae, quia vitioso pudore ducti ea celant ac dissimulant.

Si [18]) quis bella tibi terra pugnata marique
Dicat, et his verbis vacuas permulceat aures:
„Tene magis salvum populus velit, an populum tu,
Servet in ambiguo, qui consulit tibi et urbi,
Jupiter;" Augusti laudes agnoscere possis?
Cum [19]) pateris sapiens emendatusque vocari,
Respondesne tuo, dic sodes, nomine? — Nempe [20])
Vir bonus et prudens dici delector ego, ac tu.
Qui [21]) dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet; ut, si
Detulerit fasces [22]) indigno, detrahet idem.
Pone [23]), meum est, inquit; pono, tristisque recedo.
Idem, si clamet [24]) furem, neget esse pudicum,
Contendat laqueo [25]) collum pressisse paternum;
Mordear [26]) opprobriis falsis, mutemque colores?
Falsus [27]) honor juvat, et mendax infamia terret,
Quem, nisi mendosum et medicandum? Vir [28]) bonus est quis?

18) Sensus: si quem narrantem, celebrantem audires bella a te terra et mari gesta, qui tibi aures vacuas, id est, adulationibus patentes, his verbis deleniat: Jupiter, qui tibi et urbi consulit, qui te et urbem amat, hoc semper incertum esse velit, an tu sis populo Romano carior, an populus Romanus tibi! certe facile intelligere posses, non te his verbis, sed Augustum laudari. Cum vero sinis te sapientem et perfectum appellari, dic amabo, tuone nomine respondes? id est, respondesne ita, ac si tibi hoc proprie dictum sit, et non alteri?

19) Cum pateris sapiens emendatusque vocari; Graece pro: cum pateris te sapientem emendatumque vocari.

20) Sensus: dices fortasse: Certo nos ambo, ego et tu, viri boni et prudentes vocari amamus.

21) Responsio: Verum qui hodie hujusmodi adpellatione sine nostro merito nos donat, eam cras, si libuerit, iterum nobis adimet; quemadmodum, si immerenti Magistratum populus detulerit, idem ipse cras iterum adimet eum.

22) Fasces, pro Magistratu; signum pro re.

23) Depone, inclamat populus hic, hos fasces, mei sunt, iste honor mihi debetur; et illico depono, atque moerens discedo.

24) Si clamet, id est, si adcuset me idem populus furti, impudicitiae, et parricidii.

25) Colum pressisse laqueo paternum, id est, patrem occidisse.

26) Sensus: anne movebor forte fictis criminibus? anne colorem vultus mutem, expallescam et rubescam eapropter? Adde: neutiquam sane, quia non sum mihi conscius istorum scelerum.

27) Sensus et ordo: quemadmodum itaque ignominia ficta neminem terret, nisi vitiosum, qui scelerum, quae sibi vitio dantur, conscius est, ita etiam honor falsus, gloria immerita neminem delectat, nisi medicandum, id est, insanum, stultum, helleboro curandum.

28) Sensus: quod si interrogetur: Quis ergo vir bonus est? responsum communiter accipies: Ille vir bonus est, qui religiosus est observator se-

Qui consulta [29]) patrum, qui leges juraque servat;
Quo multae magnaeque secantur judice lites;
Quo res sponsore, et quo causae teste tenentur.
Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
Introrsus [30]) turpem, speciosum pelle decora.
Nec furtum feci, nec fugi; si mihi dicat
Servus: Habes [31]) pretium, loris non ureris, ajo.
Non [32]) hominem occidi: Non pasces in cruce corvos.
Sum [33]) bonus et frugi: Renuit negitatque Sabellus.
Cautus [34]) enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, et opertum milvius [35]) hamum.
Oderunt [36]) peccare boni virtutis amore:
Tu nihil admittes [37]) in te formidine poenae:
Sit spes [38]) fallendi, miscebis sacra profanis:

---

natus - consultorum, et legum omnium; cujus arbitrio dirimuntur plurimae gravesque controversiae; quo sponsionem faciente, et quo teste secantur, deciduntur, obtinentur causae et lites.

29) Senatus Consultum dicebatur quodvis decretum, a senatu legis auctoritate sancitum; quodsi vero legi cuidam, de qua referebatur in senatu, aliquis, cui intercedendi jus competebat, contradixisset, ea tantum senatus auctoritas dicebatur. Reliqua vide in Antiquit.

30) Introrsus turpem, id est, intus in animo esse turpissimum, domesticis vitiis et libidinibus infamem, solaque extrinsecus pelle pulchrum et honestum videri; specie tantum virtutis et honestatis eum fulgere subintellige: hic igitur certe vir bonus esse nequit. Omnis domus, id est, tota familia.

31) Sensus: respondeo illi: Mercedem inde habes tuam, nempe, non ureris non caederis flagellis, non vapulas.

32) Nexus sententiarum: si dixerit idem servus: non etc. Respondeo: Propterea non ageris in crucem, ut ibi corvos pascas.

33) Verba servi prius inducti: Sum itaque vir bonus et virtute conspicuus. Hoc verum esse plane nego. Suavissime Horatius vocat se Sabellum, ob praedium suum, ubi frequentissimus erat, quasi, qui rure vivunt, liberius et apertius loquantur.

34) Addit nunc rationem, cur illum, qui non est fur, non homicida etc. hominem bonum esse negarit: quia nempe non amore virtutis, sed metu poenae a sceleribus abstinet. Poëtice hoc tractat per comparationes cum lupo, qui foveam timet et ab ea sibi cavet; cum accipitre, qui laqueos, et cum milvio, qui hamum tectum metuit.

35) Milvius; non rapax tantum avis e genere accipitrum; sed rapax quoque piscis nomen gerit milvii, qui volanti similis praedae captandae causa supra mare se attollere dicitur. Hamum opertum, id est, tectum, absconditum esca.

36) Sensus: quicunque boni sunt, vitant vitia et culpas virtutis studio.

37) Nihil admittes, id est, nihil sceleris committes.

38) Sit spes fallendi, id est, detur tibi latendi spes; si speras fore, ut

Nam [39]) de mille Fabae modiis cum surripis unum,
Damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto.
Vir bonus [40]), omne forum quem spectat et omne tribunal,
Quandocunque Deos vel porco, vel bove placat,
Jane [41]) pater, clare, clare cum dixit Apollo,
Labra movet, metuens audiri: Pulchra Laverna [42]),
Da mihi fallere, da justo sanctoque videri;
Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.
Quî [43]) melior servo, quî liberior sit avarus,
In triviis fixum cum se demittit ob assem,
Non video: nam [44]) qui cupiet, metuet quoque; porro
Qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam.
Perdidit [45]) arma, locum virtutis deseruit, qui

---

lateas, non detegaris, tunc perinde res sacras violabis et profanas, nihil inter utrasque discriminis pones.

39) Sensus: cum enim ex mille Fabae modiis unicum furto mihi tollis, minore quidem damno me adficis, peccati tamen te nihilo minoris reum existimo, quam si omnes surriperes; nam omnia peccata sunt aequalia: ita Stoici contendunt, quos hic Horatius sequitur. Porro non alloquitur his poëta ipsum Quinctium, sed unum e multis; secunda enim persona pro tertia saepe sic usurpatur.

40) Sensus: bonus ille vir opinione vulgi, non reipsa; qui nempe nihil sceleris non admittat, si speret clam fore; quem omne forum, id est, omnis populus, et omne tribunal, id est, cuncti magistratus spectant, admirantur, quoties porcum aut bovem Diis immolat; postquam clara et alta voce intonavit suum: O Jane pater! aut, o Apollo! labra vix movet, timens, ne audiatur, cum subjicit: Pulchra Laverna, fac, quaeso, ut fallam, et nihilo minus justus et sanctus videar; absconde tenebris mala, quae ago, et fraudes meas involve nube.

41) Janus, ut Deus, tam toto anno, quam unoquoque die rebus suscipiendis favens, invocabatur. Vide L. II. sat. 6. v. 20. not. 23. De Apolline vide Mythol.

42) Laverna erat furum Dea, quibus amica nox, fraudibus apta et latrociniis.

43) Sensus et ordo: non video, qua ratione avarus, qui se ob assem, in triviis fixum, demittit, servo melior et liberior sit. Faciunt hoc ipsum hodie pueri astute improbi, cum vel adulterinum nummum, vel aliud quidpiam specie bonum, sed reipsa inutile, in vicos projiciunt, ad quod tollendum cum se demittere transeuntes conspexerint, rident.

44) Sensus: qui enim pecuniae cupiditate laborat, cruciabitur ejusdem amittendae metu, qui autem vivit in metu, eum liberum nunquam putabo.

45) Sensus: Ille non est recensendus inter homines probos, et virtute praeditos, qui avarus est. Metaphora sumitur a militia, in qua milites nequam, et desertores abjiciunt arma; locum et stationem, sibi destinatam a duce, deserunt. Dux vitae virtus est, ea locum unicuique suum adsignat etc. Perdidit, id est, abjecit arma, quibus contra vitia, nominatim, contra avaritiam

Semper in augenda festinat et obruitur re.
Vendere [46]) cum possis captivum, occidere noli;
Serviet utiliter: sine pascat durus, aretque;
Naviget, ac mediis hiemet mercator in undis;
Annonae prosit; portet frumenta penusque.
Vir [47]) bonus et sapiens audebit dicere: Pentheu [48]),
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges? Adimam [49]) bona. Nempe [50]) pecus rem,
Lectos, argentum: tollas licet. In [51]) manicis et
Compedibus saevo te sub custode tenebo.
Ipse [52]) Deus, simul atque volam, me solvet. Opinor [53]),
Hoc sentit; Moriar; mors ultima linea rerum est.

pugnari debet; per arma intellige virtutis praecepta. Locum virtutis deseruit, id est, locum, ubi virtus exerceri debet, deseruit homo avarus, qui divitiis semper augendis insudat, et rei pecuniariae negotiis, vel pecuniae acervo obruitur.

46) Facete hic avarus, ut desertor virtutis et servus pecuniae, vocatur captivus, captivi autem tam vendi, quam occidi poterant. Sensus: interim hunc captivum noli occidere, sed vende illum potius. Addit nunc rationes, ex quibus captivo nostro parcendum sit: Non enim inutilem hero navabit operam; laboris patiens pecora pascat, et terram aret; imponatur in navem, et merces convehens hieme tota in mari sit; annonam augeat, frumenta convehat et cetera ad vitam necessaria.

47) Jam definit nunc poëta, quis vere dicendus sit vir bonus, nempe qui humana omnia, vitamque ipsam contemnit. Nexus sententiarum: longe aliter res se habet, cum viro vere bono et sapiente, is enim vim sibi allaturo sine omni timore audebit dicere, quod captivus vinctusque Bacchus Pentheo dixerat.

48) Pentheus, filius Echionis, et Thebarum rex, qui fingitur Deorum contemtor, et nominatim Bacchum tyrannice vexasse. Hic tamen nullis territus malis aut minis, ostendit, qualem esse oporteat virum, qui bonus revera sit, nempe infractum animo ad quaevis mala; quique nullius quantumvis magni commodi spe, aut incommodi metu desciscat a virtute ad vitium.

49) Adimam bona: sunt verba Penthei.

50) Responsum vere boni viri seu Bacchi.

51) Minae Penthei. Sensus: vinculis tibi manus et pedes constringam.

52) Respondet vir bonus, sive Bacchus. Per Deum intellige Jovem, Bacchi et omnium virtutem colentium pater. Per Bacchum autem non est intelligendus ebrietatis et vinolentiae Deus; sed ille omnis ordinatae laetitiae praeses, qualem veteres coluere. Vide Myth.

53) Sensus: hoc credo intelligit: Mortem mihi consciscam, postquam nihil aliud restat. Ultima linea rerum, ultimus peracti cursus terminus, meta, calx, rerum humanarum finis. Sumtum est a Circo vel stadio, in quo locus, ubi desinit, vocabatur linea, quia ducta linea designabatur.

Epistola XVII.

Ad Scaevam.

Argumentum.

Haec et sequens epistola ejusdem fere sunt argumenti, ambae enim regulas et praecepta vitae tradunt pro iis, qui favore alicujus magni viri, ut Horatius Maecenatis, gaudent, vel illum inire cupiunt. In hac vero scribens Horatius ad Scaevam, qui in flore aetatis ad familiaritatem potentiorum adspirasse videtur, de artibus, quibus rem non periculosam minus quam arduam consequi possit, eum, qui rem aliquam strenue et prudenter peragat, multo potiorem esse illo, qui illius suscipiendae et tentandae molestiam fugiat. Ipsemet quidem, ait, tibi satis prudens esse videris, attamen et meum consilium non aspernaberis. Habet certe vita privata suas amoenitates, sed et potentiorum gratia et familiaritas suis non caret commodis. Inducens hanc in rem Aristippi et Diogenis litem, illius vitam in Aula Dionysii potiorem vita sordida hujus esse, demonstrat. In captanda vero divitum gratia strenue quidem agendum, ast et prudentia, ab omni importunitate remota, opus esse docet, quod in fine adhuc exemplo importuni mendici atque impostoris confirmat. Horatii amicus, Scaeva, videtur quibusdam filius ejus Cassii Scaevae, quem virum fortem laudat Jul. Caesar. B. C. III. 53.

Quamvis [1]), Scaeva, satis per te tibi consulis, et scis,
Quo tandem pacto deceat majoribus [2]) uti;
Disce [3]), docendus adhuc, quae censet amiculus, ut si [4])
Caecus iter monstrare velit; tamen [5]) adspice, si quid
Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.
Si [6]) te grata quies, et primam [7]) somnus in horam

1) Sensus: etsi satis tibi sit consilii et prudentiae; etsi tua ipsius prudentia satis tibi consilii suppetat.

2) Id est: qua ratione se gerere erga ditiores; agere, versari cum potentioribus oporteat.

3) Nexus: ne dedignare tamen accipere, audire etc. Amiculus, Horatius nempe.

4) Ut si, ac si; licet quasi caecus iter tibi monstrare velim.

5) Sensus: vide nihilominus, an ego etiam aliquid dicam; quod proprium tibi facere, in usum tuum convertere velis.

6) Sensus: si sectari vis ea, quae animo tuo grata et jucunda sunt,

Delectat; si te pulvis strepitusque rotarum,
Si laedit caupona; Ferentinum [8]) ire jubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia solis;
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit [9]).
Si prodesse tuis, pauloque benignius [10]) ipsum
Te tractare voles, accedes siccus [11]) ad unctum [12]).
Si [13]) pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus [14]). Si sciret regibus uti,
Fastidiret olus, qui me notat. Utrius [15]) horum
Verba probes et facta, doce; vel junior audi,
Cur sit Aristippi potior sententia; namque
Mordacem Cynicum [16]) sic eludebat, ut ajunt:

quietem et dulce otium; vitare autem ea, quae tibi ingrata et molesta sunt, vehiculorum in urbe strepitum, excitatum pulverem, clamores in cauponis, age, secede in Ferentinum; non solis enim divitibus concessa est voluptas, quae in locis amoenis percipitur; non divites soli vitam felicem et beatam degunt. At si familiae tuae rationibus consulere, et tuum ipsius simul corpus mollius curare voles, age, concilia tibi divitem, apud quem lautius vivitur.

7) Primam in horam, id est, usque ad ortum solis; Romani enim diem et noctem 24 horis definientes, ab ortu solis numerare incipiebant primam, secundam etc.

8) Ferentinum, parvum et infrequens apud Hernicos in Italia oppidum.

9) Fefellit, latuit, obscurus et ignotus fuit. Sensus: neque miseri sunt, qui et in vitam veniunt sine strepitu, et etiam ab illa abeunt, ut nemo neque ad nascentem, neque ad mortuum advertat.

10) Benignius: referendum est in primis ad largiorem epularum copiam.

11) Siccus, pauper, jejunus.

12) Ad unctum, divitem, sumtuosum.

13) Sunt haec verba Diogenis, quibus exprobrabat Aristippo, quod mensam regum, id est, divitum captaret: si posset Aristippus contentus esse oleribus, id est, tenui mensa, nollet uti regibus, h. e. careret mensa et familiaritate nobilium. Respondebat illi Aristippus: Tu, qui me notas et carpis, o Diogenes, non vescereris oleribus, si artem scires versandi cum regibus, quam quia ignoras, domi te cum tuis oleribus contines. Diogenes Synopaeus, philosophus Cynicus, qui opes contemsit, et mendicans libere carpebat errantes, et nulli adulabatur.

14) Aristippus Cyrenaeus, auditor Socratis, hic voluptatem statuit esse summum bonum, et in aula Dionysii Syracusani versatus est; quare Diogenes eum vocavit, regium canem.

15) Sensus: tu dic, utrius horum tibi verba et mores magis probentur? vel cum sis me aetate minor, intellige, cur Aristippi sententiam praeferendam existimem? Nam mordacem maledicum Cynici dentem sic effugiebat, h. e. ad maledica Cynici verba haec respondebat.

16) Philosophi Cynici vocati sunt a Graeca voce, κυων, κυνος, quae canem significat, quia insignis erat eorum impudentia et obtrectandi libido

Scurror [17]) ego ipse mihi, populo tu: rectius [18]) hoc et
Splendidius multo est: equus ut me portet, alat rex,
Officium facio: tu poscis vilia rerum
Dante minor, quamvis fers te nullius egentem.
Omnis [19]) Aristippum decuit color, et status, et res,
Tentantem majora [20]) fere, praesentibus aequum.
Contra [21]), quem duplici panno patientia velat,
Mirabor, vitae via si conversa decebit.
Alter [22]) purpureum non exspectabit amictum,
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,

qua omnes mordere, ut canes, videbantur. In iis praecipuus Diogenes fuit.

17) Sensus: ego, ut mihi ipsi prosim, scurram ago apud potentiores et ditiores, tu vero tua philosophica scurrilitate placere studes populo. False autem philosophum scurrari dicit.

18) Sensus: certe, multo aequius est hoc, imo et longe dignius: si fungor omni urbanitatis officio et munere, et rursus accipiam a potente ac rege, quibus egeo, nempe victum, equum ad iter faciendum etc. Tu vero vilibus rebus contentus, petendo has demittis te infra eum, qui eas tibi dat, subministrat, quamvis profitearis, praedices, jactites, nullius rei te egere.

19) Nexus et sensus: in Aristippo mihi maxime placet hoc, quod se ad omnem fortunae ac vitae rationem accommodaverit. Color: externa fortunae species; vitae ratio, conditio. Res: opes, et census.

20) Tentantem majora, id est: nitebatur ille quidem ad commodissima quaeque et amplissima, si posset; contentus idem tamen erat praesentibus et acquiescebat in tenui fortuna, si melior non adesset.

21) Sensus: at Cynicus, qui philosophica patientia pallio, e crassiore panno confecto, sese involvit, vix decenter, puto, ad fortunae quamdam mutationem sese accommodabit. Alii duplicem pannum accipiunt de pallio, quod super alterum humerum rejectum quasi duplicetur; sed adjecta vox, patientia, satis ostendit, sermonem esse de pallio corpori admodum gravi et molesto. Hinc duplex hoc loco idem, ac, crassior, densior. Vitae via conversa, id est, fortunae conditio mutata. Non decebit illum, pro: ille vix feret.

22) Alter, id est, Aristippus iter facturus, non desiderabit amictum splendidum, sed qualibet, vel vilissima veste indutus loca celeberrima peragrabit, et in utraque sorte, sive amictus pulcher et tenuis, sive vilis et crassus ei gestandus sit, partes suas apte sustinebit: at Cynicus chlamydem e lana pretiosa contextam, ut rem perniciosam et abominabilem fugiet, seque necari frigore sinet; nisi reddatur ipsi pallium suum. Reddatur illi ergo pallium, et vivat ineptus, id est, sinite illum ut hominem ineptum vivere. Ajunt nempe Aristippum, invitato Diogene ad balneas, dedisse operam, ut omnes prius egrederentur, ipsiusque pallium induisse, illique purpureum reliquisse; quod Diogenes cum induere noluisset, suum repetiit. Tunc Aristippus increpuit Cynicum, qui algere mallet, quam conspici in veste purpurea.

Personamque feret non inconcinnus utramque:
Alter Mileti [23]) textam cane [24]) pejus et angue
Vitabit chlamydem; morietur frigore, si non
Retuleris pannum; refer, et sine vivat ineptus.
Res [25]) gerere et captos ostendere civibus hostes,
Attingit solium Jovis, et coelestia tentat.
Principibus placuisse viris non ultima laus est
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
Sedit [26]), qui timuit, ne non succederet: esto:
Quid, qui pervenit, fecitne viriliter? Atqui
Hic est, aut nusquam, quod quaerimus: hic onus horret,
Ut parvis animis et parvo corpore majus:
Hic subit et perfert. Aut virtus nomen inane est,
Aut decus et pretium recte petit experiens [27]) vir.

23) Miletus urbs insulaque Asiae, ubi pretiosissimae texturae panni fiebant.

24) Cane pejus et angue: proverbium, id est, vehementissime; canem autem rabiosum intellige.

25) Sensus: si magnum est et laude dignum, res praeclaras gerere, hostes bello captos per urbem in triumpho ducere; si hoc est proximum Jovi decus, et par coelestibus honor, id est, divinum quidpiam et coelestibus rebus simillimum; certe etiam non postrema, non contemnenda est laus et gloria, viris principibus placuisse, principum gratiam promereri; ea enim non omnibus contingit, quemadmodum paucis evenit, ut in Corinthi portum navem inoffensam provehant. Erat enim aditus in portum angustior, et periculosus. Adagium hoc, de difficili aditu Corinthi quidam etiam sic explicant: non cuivis, sed ditioribus tantum aditus ille obtingit, nemo enim urbem illam opulentissimam sine magnis sumtibus frequentare poterat. De Corintho vide L. I. od. 6. not. 4.

26) Continuatur hic allegoria: Qui de successu hujus itineris anxius atque sollicitus fuit, deses domi mansit; bene; sed quaero, an non ille, qui eo pervenit, fortiter egit, et ut virum se praestitit? Atqui ea, quae quaerimus, et assequi studemus, hoc ipso viriliter tentandi omnia studio, aut nusquam reperiuntur et impetrantur. Hic, id est, alius autem rei alicujus suscipiendae molestiam refugit, tanquam ei perferendae exiguae animi corporisque vires impares sint; et hic, id est, alius rem strenue adgreditur et peragit. Certe igitur aut virtutis vocabulo nihil significatur, aut gloriam et opes tamquam sibi debitas exigit, qui difficilia audet et experitur. His omnibus autem Horatius Scaevae commendat gnavum studium, quo potentiorum colligenda sit gratia. Ac si diceret: Id agitur, id quaeritur, uter laude dignior sit, is qui principum amicitiam prudenter colit, aut ille, qui eam fugit. Patet certe illum, qui scit uti potentioribus, virilius facere et fortius, atque adeo recte illi praemium et laudem deberi, quae virtuti debetur; nisi quis virtutem rem inanem esse putet, ac nullius fructus, nullius utilitatis, quod certe non sic se habet.

27) Experiens, qui rem tam difficilem, quam difficilis est amicitia principum, experiri et tentare audet, qui voti compos fit.

Coram [28]) rege sua de paupertate tacentes
Plus [29]) poscente ferent: distat [30]), sumasne pudenter,
An rapias; atqui [31]) rerum caput hoc erat, et fons.
„Indotata mihi soror est, paupercula mater,
„Et fundus nec vendibilis, nec [32]) pascere firmus,"
Qui dicit [33]), clamat: „Victum date:" succinit [34]) alter,
„Et mihi dividuo findetur munere quadra."
Sed [35]) tacitus pasci si corvus posset, haberet
Plus dapis, et rixae multo minus invidiaeque.
Brundusium [36]) comes [37]) aut Surrentum ductus amoenum,

28) Nexus sententiarum: adde his etiam illud: Qui coram rege, id est, patrono suo divite etc.

29) Plus poscente, id est: plura obtinebunt et auferent a suo rege, quam is, qui aperte poscat, seque pauperem esse clamitet.

30) Distat, est discrimen aliquod, an pudenter, verecunde accipias dona, an vero rapias, id est, extorqueas importunis precibus.

31) Sensus: atqui in hoc vertitur ars illa, de qua hic agimus; hoc unum maxime necessarium est ad colendas potentiorum amicitias; haec est prima et praecipua causa colendi ditiorum gratiam, ut aliquid lucri faciamus; nempe, ut nihil, aut prudenter et modicum poscamus. Vulgo enim homines precum et querelarum, quas fundunt, formulis molestiam iis, a quibus petunt, creant. Et ejusmodi formula egregie ab Horatio, ad vulgarem precantium morem composita, statim subjicitur.

32) Id est, qui non sufficit ad me alendum. Nec vendibilis, quia emtor hujus agelli reperiri non potest.

33) Sensus: qui sic cum suo rege queritur: Habeo sororem nubilem, sed carentem dote etc. is idem facit, ac si clamitaret: aperteque posceret victum, pecuniam etc.

34) Nexus sententiarum et sensus: audit alter, et pariter clamat, rogatque secum dividi quadram. Munere dividuo, id est, ita, ut munus dividatur inter illum et me. Quadra est frustum panis vel placentae in formam quadri decisum.

35) Altos clamores, quos corvi, quibus esca contingit, excitant, comparat cum importuna precantium vociferatione, id enim unice in hac comparatione spectandum est. Fingit autem Aesopus corvum gestientem, quod caseum reperisset, ab avibus supervenientibus, orta de caseo rixa mulctatum, et parte dapis spoliatum fuisse.

36) Brundusium, Apuliae oppidum maritimum. Surrentum, Campaniae oppidum ad sinum Puteolanum.

37) Comes. Qui divitem aliquem colit, assectatur, comitatur. Sensus: qui a suo rege, Brundusium aut pulchrum Sarrentum petente, comes assumtus, viae et frigoris asperitatem, atque imbres conqueritur, qui viatoriam arculam per vim apertam, et viaticum furto sublatum luget; imitatur astutias argutas et notas meretricis, quae multa se perdidisse ait, ut aliquid nummorum ab amatore auferat; ast in fine hoc adsequitur, ut nemo fidem habeat, etiam cum veris damnis et vero dolore lamentatur.

Rui queritur salebras, et acerbum frigus, et imbres,
Aut cistam effractam, aut subducta viatica plorat;
Nota refert meretricis acumina, saepe catellam [38]),
Saepe periscelidem raptam sibi flentis; uti mox
Nulla fides damnis verisque doloribus adsit.
Nec [39]) semel irrisus triviis attollere curat
Fracto [40]) crure planum [41]); licet illi plurima manet
Lacrima: per sanctum juratus dicat Osirim [42]):
Credite; non ludo; crudeles, tollite claudum;
Quaere peregrinum, vicinia rauca reclamat.

Epistola XVIII.

Ad Lollium.

Argumentum.

Sicut in praecedente epistola Scaevae, ita in hac Lollio praecepta dat Horatius, ad quae is, qui gratus et jucundus esse cupit potentioribus, se gerere debeat. Ab initio statim, egregie adumbrata scurrae et hominis asperi imagine, docet medium inter adulantem scurrilitatem et agrestem austeritatem esse tenendum. Hortatur porro Lollium, ne potentioris patroni luxum imitetur, neque commissa sibi ab ipso arcana prodat; ut vero indoli illius se accommodare studeat et cautus sit, non minus in societate eorum, qui inter familiares et domesticos ejus numerantur, quam etiam in conversatione cum ipso domino; in genere autem id agat,

38) Catella, id est, catenula et monile. Periscelis; taenia, qua crus ligatur et ornatur.

39) Nec vero, qui semel est delusus, in trivio jacentem imposterum curat erigere; quantumvis multis lacrimis deprecetur hic, et jurans per sanctum Osirim his verbis supplicet: Credite etc.

40) Fracto crure vere nempe; sed homini jam fraude noto nulla fides habetur.

41) Planum, id est, circumvagum, circumforaneum impostorem.

42) Osiris Aegyptius Deus cum conjuge Iside, etiam Romae magna cultus religione, quod tanquam alter Aesculapius morbis mederi credebatur; quare et hic a plano nostro fingitur invocari.

43) Sensus: respondent enim vicini omnes: Advenam quaere, quem possis fallere. Peregrinum, id est, hominem cui sis ignotus, quales sunt hospites et peregrini.

quod huic placet, et sereno semper vultu coram eo compareat. Sed et philosophiae studium, quo veram animi tranquillitatem, adeoque veram felicitatem doceatur, suo ipsius exemplo confirmans, nullatenus negligendum esse monet poëta. Ceterum Lollius idem esse videtur, ad quem scripta est epistola hujus libri secunda, scilicet Maximus Lollius, M. Lollii Palicani, ad quem directum est carmen lyricum 8um Libri IV. filius. Anno vero urbis 734. aut non multo post, exaratam esse hanc epistolam, patet e versu ejus 57. Vide not. 46.

Si bene te novi, metues, liberrime [1]) Lolli,
Scurrantis [2]) speciem praebere, professus [3]) amicum.
Ut [4]) matrona meretrici dispar erit, atque
Discolor, infido [5]) scurrae distabit amicus.
Est huic [6]) diversum vitio vitium prope majus,
Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
Quae se commendat tonsa cute, dentibus atris;
Dum vult libertas dici mera, veraque virtus.
Virtus [7]) est medium vitiorum, et utrinque reductum.
Alter [8]) in obsequium plus aequo pronus, et imi

1) Liber dicitur, qui alienus ab omni simulatione, quae sentit et judicat, libere et ingenue profert et aperit.

2) Scurrantis, illiberaliter adulantis.

3) Professus amicum, id est, si semel te alicujus amicum professus es. Sensus et ordo: si bene novi tuum ingenium, Lolli, qui liberrime soles proferre, quid de quaque re sentias, tu certe, quando alicujus amicus esse profiteris, huic scurrarum more nequaquam adulaberis.

4) Eleganter matrona, cujus honesta species diversa est a meretricis specie inhonesta, vocatur meretrici discolor, pro vulgari: dissimilis.

5) Sensus: ita amicus a malae fidei scurra discrepabit.

6) Huic vitio, nempe, scurrili dicacitati, et facetiis placendi studio. Sensus: sed huic vitio aliud prope magis noxium opponitur, morum nempe asperitas rustica, et omnibus gravis, molesta, odiosa, quae se commendat, conspiciendam praebet, tonsa cute, id est, breviter adtonso capillo capitis, et dentibus nigris; dum ejusmodi homines asperis moribus suis videri volunt tam candidi, qui omnia libere dicant, quam verae virtutis studiosi.

7) Sensus: sed virtus mediam quasi sedem inter duo dicta vitia tenet, pari spatio ab utroque reducta, sive remota.

8) Sensus: alter, scurra nempe, plus aequo placendi cupidus, nec nisi eos, qui in infimo lecto accumbunt, jocis petere solitus, divitis convivatoris ita nutus omnes observat, sic omnes ejus sermones et minima quaeque vocabula repetit admirando, ut putes te audire puerum ea, quae a magistro severo accepit, singulatim reddentem, aut secundarum partium actorem scenicum.

Derisor [9]) lecti, sic nutum divitis horret [10]),
Sic iterat voces, et verba cadentia tollit,
Ut puerum saevo credas dictata magistro
Reddere [11]), vel partes [12]) mimum tractare secundas:
Alter [13]) rixatur de lana [14]) saepe caprina,
Propugnat [15]) nugis armatus; scilicet [16]), ut non
Sit mihi prima fides, et, vere quod placet, ut non
Acriter elatrem [17]); pretium [18]) altera aetas sordet.
Ambigitur [19]) quid enim? Castor sciat, an Dolichos plus?
Brundusium [20]) Minucî [21]) melius via ducat, an Appî?
Quem [22]) damnosa Venus, quem praeceps [23]) alea nudat,

9) Derisor, qui alios illudendo risum captat in imo lecto; scurrae enim una cum convivatore in imo lecto triclinii adcumbere solebant. Vide L. II. sat. 8. not. 24.

10) Horret: plenus horroris et verecundiae observat.

11) Reddere, id est, accepta vel audita recitare, proferre.

12) Partes secundas tractare, agere, idem est, ac: rem ita agere sicut primus actor. In actoribus enim comoediarum erat actor quidam praecipuus, qui primariam fabulae personam agebat, alii, qui alias; isti hoc servabant cavebantque, ne tanta contentione agerent loquerenturve, quanta primus actor, sive primarum partium.

13) Alter, id est, agrestis, homo asper, et inurbanus.

14) De lana caprina, id est, de re nullius momenti; ex veteri proverbio.

15) Propugnat, id est: pugnat pro nugis, quasi res armis ageretur; nugatoriis argumentis instructus contendit.

16) Sensus: evincere scilicet conatur; ne mihi potius credatur, quam ipsi; et quod pretiosius vita existimat, ipsique summe placet; ne ego ejus dicta magna voce confutem.

17) Elatrem. Qui enim summa pulmonis intentione vociferantur, non loqui, sed sicut canes latrare dicuntur.

18) Pretium sordet, id est, vilius pretium est. Sensus: non concedit, ut ego dicta ejus refutem, etiamsi promittatur ipsi altera aetas, id est, tantum vitae, quantum hactenus exegit, in praemium.

19) Sensus: de qua autem re disceptatur? utrum Castor, an Dolichos artis gladiatoriae peritior sit. Erant hi duo illius temporis nobiles gladiatores.

20) Sensus: qua via melius Brundusium eatur, Minucia, an Appia?

21) Minucii via, a L. Minucio strata et ornata. Is in seditione per Spurium Melium excitata, utilem reipublicae operam navavit, quam ob causam statua illi posita fuit ante portam Trigeminam, quae idcirco etiam Minucia dicta est; ducebat haec via a porta illa per Sabinos Brundusium. De via Appia vide Epod. IV. not. 14. De Brundusio, urbe maritima in inferiori parte Italiae, saepius jam dictum.

22) Jam hic enumerat vitia, a quibus is, qui ditioris gratia frui cupit, sibi cavere debeat.

23) Praeceps, id est, periculosa alea, seu ludus. Nudat, pro: bonis exuit.

Gloria quem supra vires et vestit [24]) et ungit,
Quem tenet argenti sitis importuna famesque,
Quem paupertatis pudor et fuga [25]), dives amicus,
Saepe decem vitiis instructior, odit et horret:
Aut, si non odit, regit; ac, veluti pia mater,
Plus quam se sapere, et virtutibus esse priorem
Vult; et ait prope vera: Meae (contendere noli)
Stultitiam patiuntur opes; tibi parvula res est:
Arcta decet sanum comitem toga; desine mecum
Certare [26]). Eutrapelus [27]), cuicunque nocere volebat,
Vestimenta dabat pretiosa: beatus [28]) enim jam
Cum pulchris tunicis sumet nova [29]) consilia, et spes;
Dormiet in lucem; scorto [30]) postponet honestum
Officium; nummos [31]) alienos pascet; ad imum [32])

24) Quem gloria vestit et ungit, id est, qui ex vana ostentatione et jactantia supra suas vires sumtum in vestes et mensam facit. In mensis enim lautioribus a cibis manus quasi unguntur pinguedine.

25) Quem pudor et fuga tenet, id est, qui prae paupertatis pudore nomen pauperis fugit.

26) Sensus et ordo totius est: gratia et favor majorum saepe tantum eo pessumdatur, quod illis similiores justo nos esse profiteamur; si quis enim cliens, aut tenuioris conditionis homo opes suas damnosa et foeda libidine aut alea periculosa dilapidat; si supra vires suas sumtum in vestes et mensam facit; si nunquam satiatur argento, et paupertatis notam plus aequo timet ac fugit; illum certe locuples patronus et amicus, licet ipse vitiis decies sit locupletior, decies pauperem superet aliis vitiis, tamen odit et abominatur; aut si non odit illum et aspernatur, saltem admonet, et tanquam amantissima parens hortatur, ut se virtute ac sapientia superet, talibusque illum monitis prudentibus, et quidem veris, instruit: Noli mecum certare sumtibus et luxu; divitiae enim meae insanis, stultis, immensis istis sumtibus pares sunt; tibi angusta domi res est, tu ideo modum tenebis in vestibus; clientulo enim, qui patronum officii causa comitatur, bene congruit arcta toga; noli mecum contendere. Arctam togam gestabant pauperes, laxam divites.

27) Laudi, quam homo dives opibus suis tanquam stultitiae clypeo tribuit, statim Horatius in divitiarum contemtum subnectit narrationem de Eutrapelo, qui iis, quibus nocere volebat, pretiosa vestimenta dedisse, et his corruptelarum illecebris a virtutis via illos abducere tentasse dicitur. Eutrapelus probabilius nomen fictum est.

28) Nexus idearum: sic enim apud se reputabat beatus, id est, eleganter vestitus, lautus et dives etc.

29) Nova consilia, id est, altiores sumet spiritus, et majora sperabit.

30) Sensus: scorti gratia officium suum negliget.

31) Nummos alienos pascet, id est, nummos mutuo sumtos absumet et abliguriet.

32) Ad imum, id est, ad extremum Threx seu gladiator erit. De hoc gladiatorum genere vide L. II. sat. 6. not. 40.

Threx erit; aut [33]) olitoris aget mercede caballum.
Arcanum [34]) neque tu scrutaberis illius unquam;
Commissumque teges, et vino tortus et ira.
Nec tua laudabis studia [35]), aut aliena reprêndes:
Nec, cum venari volet ille [36]), poëmata panges.
Gratia [37]) sic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi, dissiluit, donec [38]) suspecta severo
Conticuit lyra. Fraternis [39]) cessisse putatur
Moribus Amphion, tu cede potentis amici
Lenibus [40]) imperiis; quotiesque educet in agros
Aetolis onerata plagis [41]) jumenta canesque:
Surge et inhumanae [42]) senium depone Camoenae,
Coenes ut pariter pulmenta [43]) laboribus emta.

33) Id est, aut olitoris equum certo pretio ducendum sumet, pro vulgari: aut erit auriga apud olitorem. Praeceptum ergo quod his omnibus tradit poëta, sequens est: Noli potentibus et divitibus, quorum gratiam inire cupis, nimis adsimilari, aut eos imitari.

34) Sensus: cavebis etiam, ne, quod ille dives esse arcanum cupit, tu curiose rimeris; et id, quod fidei tuae et taciturnitati creditum est, occultabis tam vino, quam ira accensus h. e. neque inter pocula, neque ira abreptus reteges.

35) Studia, occupationes, exercitationes. Reprêndes, pro, reprehendes, vituperabis.

36) Ille, nimirum dives et potens. Panges, facies.

37) Jam ut doceat, inter duos diversa studia sectantes non constare posse amicitiam. Amphionis et Zethi, Jovis ex Antiopa filiorum, exemplum adfert. Amphion celebratissimus fidicen, erat homo mitioris et mollioris ingenii, Zethus pastor et rerum agrestium studiosus. Gratia, id est, concordia, mutuus amor; dissiluit, id est, discissa, rupta est.

38) Sensus: donec Amphion lyram tacere jubens, fraternis moribus cessit, et lyram deposuit, quae fratri severo, id est, severioribus, quam musicae, nempe operi rustico adsueto, suspecta et odiosa fuit.

39) Nexus sententiarum: sicut Amphion, ita tu etc.

40) Imperia lenia dicuntur, dum quis petendo aliquid nobis imperat, vel a nobis postulat.

41) Plagae sunt retia densiora, et arctioribus maculis distincta. Aetolae dicuntur ab Aetolia provincia Graeciae ad occidentem Achajae, ubi erat rex Meleager, qui aprum Calydonium in venatione cepit. Vide Ovid. Metam. L. VIII. vers. 270 et Myth. Calydon urbs est in Aetolia. Sensus: quoties venatum iverit.

42) Inhumanae Camoenae senium depone, id est, depone taedium. morositatem, qua versaris in studiis, a comitate et facilitate alienis, pro: depone Musas venatori odiosas.

43) Pulmenta ex carne ferina confecta. Laboribus emta, id est, venationis labore parta.

Romanis [44]) solemne viris opus, utile famae,
Vitaeque et membris; praesertim cum valeas, et
Vel cursu superare canem, vel viribus aprum
Possis; adde, virilia quod speciosius arma
Non est, qui tractet; scis, quo clamore coronae
Proelia sustineas campestria: denique [45]) saevam
Militiam puer et Cantabrica [46]) bella tulisti
Sub duce, qui templis Parthorum signa refixit [47]),
Nunc et, si quid abest, Italis adjudicat armis.
Ac [48]), ne te retrahas et inexcusabilis absis;
Quamvis nil extra numerum [49]) fecisse modumque
Curas, interdum nugaris rure paterno:

44) Sensus: Romanis certe usitatissima semper fuit venatio, qua acquiritur fama, et confirmantur vires; tuque eam in primis amare debes, quia tam agilis et fortis es, ut canes currendo, et apros viribus superare valeas; adde, quod nemo te aptius arma virorum propria tractare soleat; nosti enim, quo spectantium plausu exerceas te in ludicris Campi Martii certaminibus. Speciosius; eleganter, quia species, status, ars et dexteritas armorum tractandorum in spectantium oculos incurrit. Clamor, applausus coronae, id est, spectantium te cingentium. Campestria; exercitationis causa in Campo Martio pugnata.

45) Sensus: tu denique adhuc in tenera aetate graves militiae labores tolerasti in Cantabrica expeditione sub eo duce, qui signa nuper nostra sustulit e Parthorum templis, nunc vero, si quid nondum imperio subjectum erat, pergit victor adjicere.

46) Quodnam bellum Cantabricum puer Lollius gesserit sub duce Augusto, non satis liquet, et conjectura utendum est. Octavius Caesar a. u. 728 in Hispaniam venit, ubi Cantabri et Asturi rebellabant, et victi hostes sunt hoc et sequenti anno. Anno dein 734 Phraates, Parthorum rex, signa Romana restituit Augusto, et eodem anno etiam Armenia adhuc expugnata est a Tiberio, quem Augustus miserat, ut regem Tigranem huic provinciae praeficeret in locum Artabazi, fratris ejus, qui Armenis invisus erat. Quod si hanc provinciam subactam hic innuit poëta, etiam tempus epistolae hujus ad a. 734 circiter referri poterit.

47) Refixit, revulsit. Italis adjudicat armis, id est, armorum vi parere jubet Italis, seu Romano imperio; vel parere jubet Italis armis, id est, Romani imperii potentiae.

48) Sensus esse videtur: ac, ne te a venatione cum potentiore amico retineri patiaris, et ratione, quae neutiquam te excuset, inductus ab ea absis, cogita, quaeso, haud ignotum esse, quod tu ipse, quantumvis ab eo, quod decet et rectum est, haud facile recedas, nonnunquam ludicres exercitationes rure paterno tractes.

49) Numerus et modus sunt proprie rhythmus et certi pedes, quibus versus componitur. Extra numerum modumque, ergo idem ac, extra normam, ad quam aliquid exigi debet; et in hoc quidem loco: praeter decorem, praeter ea, quae decent et tibi conveniunt.

Partitur [50]) lintres exercitus; Actia [51]) pugna
Te duce per pueros hostili more refertur;
Adversarius est frater; lacus, Adria; donec
Alterutrum velox victoria fronde coronet.
Consentire [52]) suis studiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice [53]) ludum. —
Protenus [54]) ut moneam (si quid monitoris eges tu)
Quid de quoque viro, et cui dicas, saepe videto:
Percontatorem [55]) fugito, nam garrulus idem est,
Nec retinent patulae [56]) commissa [57]) fideliter aures;
Et semel emissum volat irrevocabile verbum. —
Qualem [58]) commendes, etiam atque etiam adspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur [59]), et quondam non dignum tradimus: ergo

50) Sequitur hic enumeratio harum nugarum et exercitationum: Dividuntur naviculae in duas partes, quasi essent duo navales exercitus; exhibetur a domesticis, tanquam si hostes essent, pugna Actiaca te imperatore; agit adversarium, qui fraterno te amore diligit; lacus in villa, seu stagnum aliquod repraesentat mare Adriaticum; pugnaturque, donec breve certamen unius victoris fronti laurum imponat, id est, donec una pars victoriam reportet.

51) Actia pugna pugnata est inter Augustum ex una, et Antonium atque Cleopatram ex altera parte a. u. 723. Vide arg. L. I. od. 31. et arg. Epod. 8.

52) Sententia: si vis istas ludicras, quae tibi placent, exercitationes ab amico probari, tu illius quoque occupationes, v. g. venationem etc. proba, neque te retrahe ab illo, cum venatur etc.

53) Utroque pollice, id est, summo favore; pollex enim pressus erat signum favoris et gratiae, pollex versus, subversus, subrectus signum infensi animi. Pollicem premere, autem nihil aliud erat, quam sublata manu, pugnoque facto, pollicem ipsum intra pugnum arcte vehementerque comprimere.

54) Protinus; praeterea illud adhuc te monere volo (si tamen tibi monitore opus est) etc. Vel: praeterea, ut ulterius progrediar in te monendo.

55) Percontatorem; curiose de omnibus interrogantem.

56) Aures patulae, patentes audiendis narrationibus, quas illae retinere non possunt.

57) Commissa, arcana sibi credita cum fide non servant.

58) Sensus: commendaturus aliquem, fac illum penitus cognitum, perspectumque habeas; ne, quae ille peccaverit, brevi pudorem adferant tibi. Per aliena peccata intelligenda sunt illa commendati hominis.

59) Sententia est: si tamen fallaris, et quondam indignum tradideris, commendaveris; eum, qui te decepit, postquam culpa sua illum premi compereris, defendere noli; ut, quemadmodum eum, qui tibi penitus notus et spectatus est, cujus exploratam habes virtutem, si tenetur et petatur criminationibus, tuae confidentem tutelae, fortiter servabis et tutabe-

Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri;
Ut penitus notum, si tentent crimina, serves,
Tuterisque tuo fidentem praesidio: qui
Dente Theonino [60]) cum circumroditur, ecquid
Ad te post paulo ventura pericula sentis?
Nam [61]) tua res agitur, paries cum proximus ardet;
Et neglecta solent incendia sumere vires.
Dulcis [62]) inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
Oderunt [63]) hilarem tristes, tristemque jocosi;
Sedatum [64]) celeres, agilem gnavumque remissi:
Potores bibuli [65]) media de nocte Falerni
Oderunt porrecta negantem [66]) pocula, quamvis
Nocturnos jures te formidare vapores.
Deme [67]) supercilio nubem: plerumque modestus

ris; nam si ille impune mordetur dente Theonino, maledico, annon verendum est, ne idem paulo post etiam tibi ipsi accidat?

60) Theonem fuisse tradunt poëtam maledicentissimum, quem hic obiter more suo perstringit Horatius.

61) Sensus: certe, si paries, domus proximi ardet, etiam tua maximo in periculo versatur; et si flamma illico exstingui negligatur, vires sumit, accipit, vehementior fit, et eo certius tua quoque domus ab illa corripietur. Sensus hujus allegoriae in plano est.

62) Sententia: studium, quod in colendo potentiore amico ponitur, dulce videtur iis et amoenum, qui nondum ejus fecerunt periculum; at ii, qui illud experientia cognoverunt, non sine timore et circumspectione ei operam dant. Hinc tu, dum favet tibi fortuna, dum felici navigas cursu, omnibus conare viribus, ne, verso in contrarium vento, retrorsum feraris, id est: cum gratiam et favorem potentis amici semel inivisti, adeptus es, omni studio caveas, ne illam iterum perdas.

63) Hic exprimit Horatius sententiam: diversi ingenii homines non inter se conveniunt; ad ingenium igitur patroni tui te accommodare, et in ejus agendi sentiendique rationem amice conspirare debes; amant enim potentes suae indolis speciem quamdam et in clientibus; hinc oderunt tristes patroni etc.

64) Sedatum, id est, quietioris et lentioris animi hominem. Alacres: vividioris et alacrioris ingenii patroni. Remissi: qui vires non intendunt, arcui laxato et remisso sunt similes.

65) Bibaces vini Falerni; vino, Falerno ad mediam usque noctem sese ingurgitantes etc. Vinum Falernum optimum in Campania.

66) Negantem, id est, te, si oblata tibi pocula recusaveris, quamvis tibi a nocturnis vaporibus cavendum esse jures.

67) Sensus: Frontem itaque explica, et exhilara vultum; non raro enim evenit, ut, quae modestia est, astuti hominis tectique indoles existimetur; taciturnitas vero austeritatis et morositatis cujusdam nimiae praeferat speciem.

Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.
Inter[68]) cuncta leges et percontabere doctos;
Qua ratione queas traducere leniter aevum:
Ne te semper inops agitet vexetque cupido[69]),
Ne[70]) pavor et rerum mediocriter utilium spes:
Virtutem[71]) doctrina paret, naturane donet:
Quid[72]) minuat curas, quid te tibi reddat amicum:
Quid[73]) pure tranquillet, honos, an dulce lucellum,
An secretum iter, et fallentis semita vitae?
Me quoties reficit gelidus Digentia[74]) rivus,
Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus,
Quid sentire putas, quid credis, amice, precari?
Sit mihi, quod nunc est; etiam minus: et mihi vivam,
Quod superest aevi, si quid superesse volunt Dî:
Sit bona librorum et provisae frugis in annum
Copia; neu fluitem dubiae spe pendulus horae.
Sed[75]) satis est orare Jovem, qui donat et aufert:
Det vitam, det opes, aequum[76]) mî animum ipse parabo.

68) Inter cuncta: praecipue, ante omnia autem tibi auctor sum, suadeo; ut doctos et legas et audias, quaerens ab eis, quo pacto possis tranquillam vitam ducere et jucundam, ne etc.

69) Inops cupido, avaritia, quae semper eget, tam iis, quae habet, quam iis, quae non habet, quae adeo nunquam exsatiari potest.

70) Sensus: ne agiteris metu, aut spe rerum levium. Inter res leves Stoici numerant externa fortunae bona.

71) Sensus: unde hominibus virtus proveniat, an a praeceptis, an a natura? seu: utrum virtus praeceptis et disciplina parari possit, an naturae debeatur.

72) Sensus: quo pacto minuantur curae; quidve ita te agere et sentire sinat, ut tibi ipsi placeas, tibi ipsi carus sis?

73) Quid veram paret tranquillitatem; honores an opes, lucro auctae, an vita secreta, remota a publica luce, et fallens, latens oculos hominum; obscura, ignota vitae ratio? Lucellum, diminutivum, pro: lucrum.

74) Digentia est rivulus per agrum Horatii serpens, prope Mandelam pagum, septentrioni expositum in colle. Rugosus frigore, quasi frigus rugas inducat pagi incolis. Sensus: quoties ego potu recreor aquarum gelidarum rivi Digentiae, quas bibit mecum pagus Mandela, rugis non raro sectus propter gelu terras adstringens, quid existimas me cogitare, aut a Diis precari, amice? Hoc certe, ut semper sit mihi, quod modo habeo, imo etiam aliquid minus; ut, quod vivendum temporis restat, si tamen superis volentibus restat aliquid, mihi vacare liceat; ut adsit librorum copia, neque desit annona, qua sic fruar, ut non sit mihi anxius animus de futuro incerto.

75) Sensus: sufficit, si haec a Jove petam, qui ea donat et tollit, nempe vitam et opes.

76) Quod attinet ad animi tranquillitatem, quam Deus non dat, eam mihi ipse parabo.

Epistola XIX.

Ad Maecenatem.

Argumentum.

Licet carmina Horatii multis ingenuis omnino placerent, et diligentissime ab iis legerentur; multi tamen malevoli ex invidia eadem improbabant. Ad patronum igitur suum et amicum, Maecenatem, scribit de his obtrectatoribus, in eosque, ut imitatores suos, invehitur. Se dein principem poëtarum lyricorum ac proinde alienissimum ab hac imitatorum cohorte, quae tamquam servile pecus aliena tantum pede premit vestigia, modeste defendit. Rationem demum adjungens, quod nonnisi consortium horum malorum subterfugiens tam invido dente ab iis mordeatur, salse admodum eos carpit et vituperat.

Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino[1]),
Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt,
Quae scribuntur aquae potoribus[2]). Ut[3]) male sanos
Adscripsit Liber Satyris Faunisque poëtas,
Vina fere dulces oluerunt mane Camoenae[4]).
Laudibus[5]) arguitur vini vinosus Homerus,
Ennius[6]) ipse pater nunquam, nisi potus, ad arma
Prosiluit dicenda. Forum[7]) putealque[8]) Libonis

1) Cratinus fuit Atheniensis poëta, veteris comoediae scriptor celebris, et homo ebriosus. Vide etiam L. I. sat. 4. not. 2.

2) Aquae potoribus, id est, quae scribuntur a calore quasi, quo agitari debent poëtae, carentibus.

3) Sensus: postquam scilicet Bacchus poëtas male sanos, id est, poëtico furore correptos in suam fidem et tutelam recepit, et adnumeravit inter Satyros et Faunos, Deos agrestes, Bacchi comites, redolent illi vino, quo a primo mane ora proluunt.

4) Camoenae, pro Musarum alumnis h. e. poëtis. Sunt autem poëtae in fide Bacchi, quia poësis insaniae aliquid et furoris habet; adde, quod comoedia vetus a Bacchi festis et laudibus initium duxerit. Vide artem poëticam. Vers. 281. not. 149.

5) Sensus: Homerus ob laudes, quas vino tribuit, vinosus fuisse arguitur.

6) Ennius poëta antiquissimus Romanorum, cum verecundia quadam pater vocatur, sicut philosophi, quorum maxima est auctoritas, verecunde patres vocari solent. Scripsit Ennius Bellum Punicum secundum carmine epico, hinc: ad arma dicenda, nempe ad bellum describendum nunquam prosiluit, se accommodavit etc. Vide etiam L. IV. od. 7. not. 20.

7) Sensus et ordo: ab illo tempore, quo ego hoc edictum ex joco tantum promulgavi: sicci, id est, omnes, qui non bibunt vinum, abstemii conferant

Mandabo siccis, adimam cantare severis.
Hoc simul edixi, non cessavere poëtae
Nocturno certare mero, putere diurno[9]).
Quid[10])? si quis vultu torvo ferus, et pede nudo,
Exiguaeque togae simulet textore[11]) Catonem,
Virtutemne repraesentet moresque Catonis[12])?
Rupit[13]) Jarbitam[14]) Timagenis[15]) aemula lingua,
Dum studet urbanus, tenditque disertus haberi.
Decipit[16]) exemplar vitiis imitabile: quod si
Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.

se ad forum et puteal Libonis; prohibeo enim hos severos, id est, aquae potores a canendis carminibus; simulac hanc sententiam de vi, quam vini potus in poëtarum ingenia habeat, publice professus sum; statim mali poëtae et imitatores, quasi edicto aliquo proposito, dies noctesque vino indulgere coeperunt. Severi, idem ac, sicci. Putere, pro, foetere.

8) Quid fuerit Romae puteal, dictum est L. II. sat. 6. not. 35. Libonis autem puteal fuit tribunal in foro Romano, e quo primus jus dicere coepit Libo. Cur autem hoc proprie tribunal putealis nomen acceperit, factum videtur, quod ad similitudinem veteris putealis rotunda forma, et ut ajunt superiori parte instar putei patens, exstructum esset.

9) Ridet igitur hic Horatius stultitiam eorum, qui, modo vino se ingurgitaverint, se poëtae partes explere posse existimarent.

10) Sensus: quemadmodum nemo Catonis virtutem, solo ad externum ejus habitum se componendi studio; ita etiam nemo poëtae laudem solo vini potu assequi potest. Et pro hoc: quid autem? si quis austero vultu, pedibus nudis, angusta toga et crasso filo texta, Catonem referat, illene statim Cato futurus est, aut ei similis fiet virtute?

11) Textore. Positus est opifex pro opificio, nempe pro panno crasse texto, quo toga Catonis parva constabat. Toga parva et angusta porro erat signum paupertatis, toga latior vero et major signum opulentiae.

12) De Catone Censorio vide L. II. od. 12. not. 11.

13) Sensus: cum voluisset Maurus quidam Timagenis pronuntiationem vocemque imitari et aemulari, in ipsa contentione diruptus est, cupiens auditoribus urbanus et disertus videri. Timagenis lingua, facundia et ars; aemula, id est, aemulationem excitans; rupit Jarbitam, id est, fecit ut Jarbitae ilia rumperentur.

14) Jarbita. Hoc nomen non videtur hominis proprium, sed gentis, et significat hominem ex Mauritania, ubi Jarbas regnavit, qui aemulus fuerat Aeneae, ortum, hoc est, natione Maurum. Hic Jarbita seu Maurus fuit autem Cordus, qui dum Timaginem imitabatur, post convivium et inter pocula declamantem, propter insolentiam faciendi, quod conabatur, paene disruptus est.

15) Timagenes, ut tradit Suidas, fuit Rhetor Alexandrinus, et captivus a Gabinio Romam deductus est, ubi ad Augusti tempora vixit; hujus facundiam, cum Maurus quidam Cordus admiraretur, putavit se assequuturum, si, ut ille, dicendo vocem contenderet, quod illi sane infeliciter cessit.

16) Sensus: sic exempla, quibus adhaerent vitia, quae facilia imitatu esse putantur, facile decipiunt, et in errorem deducunt imitatores, magis ad vi-

O imitatores, servum[17]) pecus, ut[18]) mihi saepe
Bilem, saepe jocum vestri movere tumultus!
Libera per vacuum[19]) posui vestigia princeps:
Non aliena meo pressi pede. Qui[20]) sibi fidit,
Dux regit examen. Parios[21]) ego primus jambos
Ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi[22]), non res et agentia verba Lycamben[23]).
Ac, ne me foliis[24]) ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos[25]) et carminis artem;
Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho[26]),
Temperat[27]) Alcaeus; sed[28]) rebus et ordine dispar,

tiorum, quam ad virtutis imitationem propensos. Et sunt certe, qui, si fortasse me pallere cernerent, cumini potu uterentur, ut et ipsi exsangues adparerent et pallidi. Cuminum herba quaedam est, cujus succus facit exsangues et pallidos.

17) Servum pecus, qui servilem in modum alios sequimini.

18) Ut saepe, id est, quam saepe. Bilem, stomachum, iram. Tumultus, hic idem ac, magnum studium imitandi, contentio.

19) Per vacuum, subaudi, locum, per campos nullius pede adhuc tactos. Libera vestigia opponuntur servorum imitatorum vestigiis. Sensus: ego primus ingressus sum semitam Heliconis, qua nemo praeiverat, non pedem posui in alieno, non sum imitatus alios poëtas. Alludit hic ad poësim lyricam, cujus auctor apud Romanos fuerat Horatius, ut infra.

20) Sensus est: qui enim virium suarum sibi conscius est, ducem se praebet aliis. Regit examen; metaphora deducta est ab apibus.

21) Horatius, cum primus Romanorum poëtarum usus esset in libro epodon jambis ab Archilocho inventis, jamborum usum Latio ostendit, palam fecit, h. e. jamborum usum Romanos docuit. De numeris vide praecedentem epistolam not. 49. Animos, id est, poëticos, spiritus.

22) Archilochus fuit poëta Graecus, ex insula Paro natus, quae est in mari Aegaeo. Fuit hic versus Jambici inventor.

23) Lycambes Archilocho filiam suam despondit, et cum eam dein alteri tradidisset, poëta tam graviter in illum scripsit, ut ille se suspenderit. Hinc dicit Horatius: Numerum quidem impetumque animi, id est, spiritum Archilochi sequutus sum; non autem argumentum; nec etiam verbis usus sum, quibus ille Lycamben ad laqueum adegit.

24) Foliis brevioribus ornes, id est, minori corona; ne me parcius laudandum putes.

25) Modos, id est, versus, ut supra: numeros. Carminis ars, id est, structura versuum.

26) Sappho erat poëtria, et Alcaeus poëta Graecorum, ambo ex insula Lesbo in mari Aegaeo. Illa habetur inventrix versus Sapphici, hic vero Alcaici.

27) Temperat, id est, ita scripsi versus Jambicos exemplo Archilochi, ut eos temperaverim admistis versibus Sapphicis et Alcaicis. De his versibus vide praec. eloqu. Musam, pro: carmina mea. Mascula, id est, masculae virtutis vel masculi ingenii mulier.

Nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris,
Nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.
Hunc [29]) ego, non alio dictum prius ore, Latinus
Vulgavi fidicen; juvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi, manibusque teneri.
Scire velis, mea cur ingratus [30]) opuscula lector
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non [31]) ego ventosae plebis suffragia venor,
Impensis coenarum; et tritae munere vestis;
Non [32]) ego, nobilium scriptorum auditor et ultor,
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor:
Hinc [33]) illae lacrimae! Spissis [34]) indigna theatris

28) Sensus: sed Alcaeus meus, id est, versus Alcaici, a me scripti, dissimiles sunt versibus Archilochi, quod spectat materiam et rerum dispositionem: non enim quaero, ut Archilochus, socerum, quem carminibus maledicis insecter, neque sponsam contumelioso, famoso carmine ad suspendium adigo. Vide supra not. 23. Filia enim Lycambae, Neobula, post patrem se suspendit, laqueo peremit.

29) Sensus: ego hunc ita temperatum versum Archilochium, a nemine Latinorum poëtarum antea productum, vulgavi Latinus fidicen, id est, Latino sermone scripsi; et hoc me non parum delectat, quod ego canens versus, non antea dictos et memoratos, ingenuorum oculis libenter legar, frequensque sim in eorum manibus.

30) Qui carmina privatim laudat, et iis delectatur, at eadem publice malevole carpit, is sane est lector ingratus. Premat, id est, vituperet foris, extra suam domum.

31) Nexus idearum et sensus: id inde est, quod ego turbae mobilis et ventosae plausum nec coenis, nec detritarum vestium largitione captem.

32) Doeringius hunc locum ita explicat: Quia ego infra dignitatem meam positum esse existimo, me immiscere Grammaticis, et, quae apud illos a nobilibus scriptoribus e pulpitis recitantur, audire, factamque scriptoribus injuriam ulcisci. Erant enim Romae plures, qui altioris doctrinae laudem, vel potius speciem prae se ferentes, auditoria quasi aperirent, in quibus recitata a scriptoribus aut probarentur, et a reprehensionibus defenderentur, aut improbarentur et damnarentur. Horum, quos salse vocat Grammaticos, impudentius in rebus doctis auctoritatem aliquam sibi arrogantium, societatem et consuetudinem cum fugeret Horatius, iniqua illorum de carminibus suis expertus est judicia, quae ille tamen parum curavit. Nobilium: per ironiam dictum, ut videtur. Grammaticorum porro, ut ita dicam, collegia facete nominat tribus grammaticas, quasi penes eas jus suffragiorum, sive laudis distribuendae potestas fuisset.

33) Hinc illa Grammaticorum invidia et indignatio! Hoc dictum Terentii in And. I. 1,99. jam tum de querelis, quarum causa tandem aperitur, in proverbium abiit.

34) Sensus et ordo: si excusans dico: Pudet me, non audeo mea carmina recitare, quippe indigna, quae recitentur in theatro coram frequenti corona, id est, in loco, ubi magna frequentia hominum convenit; illico ait aliquis e tribu Grammatica: tu nos ludis, et carmina tua Augusti auribus servas; persuasum enim tibi habes, te esse solum, a cujus ore manare possint carmina mellitissima, tu tibi ipsi mirifice places; pro vulgari: superbia potius tu a carminibus tuis recitandis retineris; tu enim, tanquam omnium poëtarum primus, Augusti tantum auribus digna canere tibi videris. Spissis theatris, pro: frequenti coetu indigna. Nugis addere pondus, pro: levia reddere velle gravia.

Scripta pudet recitare, et nugis addere pondus,
Si dixi; rides, ait, et Jovis [35]) auribus ista
Servas; fidis enim manare poëtica mella
Te solum, tibi pulcher. Ad [36]) haec ego naribus uti
Formido: et luctantis acuto ne secer ungui,
Displicet iste locus, clamo, et diludia [37]) posco.
Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
Ira truces inimicitias, et funebre bellum.

Epistola XX.

Ad librum suum.

Argumentum.

Simili prorsus ratione, qua tres primos libros odarum in publicum emissurus Horatius ultimam libri III. subjunxerat; etiam primum librum epistolarum editurus hanc ultimam epilogi loco addidit. Simulans itaque hunc librum epistolarum ipso invito viam e penetralibus adfectare in publicum, fata, quae illum in hoc temerario consilio persistentem manent, tamquam vates canit, sicque modestum de suis scriptis judicium exprimit. In fine adjungit quaedam de sua

35) Augustum non semel dixit Horatius in odis praesidere terris, ut coelo Jovem. Fidis, id est, persuasum tibi habes.

36) Ad haec, quasi vere dicta, consulto Horatius nihil respondet, sed addit tantum: Ad haec ego clamo: Nolo dicteriis vobiscum pugnare; nam vobiscum pugnanti timendi sunt vestri ungues; nolo versari in loco ubi huic pugnae expositus sum; veniam ex hoc ludo abundi peto; ex ludo enim non raro oritur certamen et ira, ex ira inimicitiae et bellum. Naribus uti dicuntur, qui naso sursum tracto aliquem rident. Formido, timeo.

37) Diludia dicuntur tempora, quae gladiatoribus inter dies munerum concedebantur, ut a ludo et certamine gladiatorio vacarent, viresque otio reficerent; diludia posco, ergo idem ac: respirandi spatium, et pugnae dilationem posco. Trepidum, tumultuosum certamen.

propia persona, simulque tempus indicat, annum nempe urbis 733. quo scripta fuerit haec epistola. Vide vers. 27. et 28. not. 21.

Vertumnum [1]) Janumque, Liber, spectare videris;
Scilicet ut prostes Sosiorum [2]) pumice mundus.
Odisti [3]) claves, et grata sigilla pudico:
Paucis ostendi gemis [4]), et communia laudas.
Non [5]) ita nutritus! Fuge [6]), quo descendere gestis:
Non erit emisso reditus tibi. Quid miser egi?
Quid volui? dices, ubi quis te laeserit [7]); et scis [8]),
In breve te cogi, plenus [9]) cum languet amator.
Quod [10]) si non odio peccantis desipit augur,

1) Vertumnum Janumque, h. e. forum, ubi erant Vertumni et Jani statuae, qui locus ob hominum frequentiam cum celebraretur, ibi suas tabernas et pilas bibliopolae habebant. Vertumnus a vertendo dicitur; quia in varias formas verteret se, Deus ille credebatur; hinc praeerat foro et commercio, in quo res venditione et emtione aliae aliis commutantur. De Jano vide L. II. sat. 3. not. 17. et supra Ep. 1. not. 34.

2) Sosii erant bibliopolae tum inclyti. Sensus est: video, mi Liber, cur forum cupidis respicis oculis; nimirum ut prostes, publico loco appareas, Sosiorum industria pumicatus, id est, pumice laevigatus et expolitus; nam quae in membranis erant hirta et aspera, pumice abradebantur. Liber igitur, qui vendi et publicari cupit, lepide dicitur spectare ad locum, ubi libri venduntur.

3) Sensus: displicet tibi, in quo hucusque clausus latebas, locus angustior, id est, arca; ex umbra prodire gestis in solem et pulverem. Pudico tibi grata sigilla, id est, tibi, qui hucusque modestus verecundus in arca sub sigillo sive claustro delituisti, cuique grata erant haec sigilla. Omnia enim, quae adservabantur, sigillo muniri solebant, quod et hodie moris est.

4) Gemis, id est, aegre fers, si a paucis tantum legaris; communia laudas, ab omnibus legi cupis, in publicum prodire satagis.

5) Non ita vero nutritus, educatus, hac sentiendi agendique ratione a me non es imbutus; talem te non finxi, id est, opera mea in publicum edere nolui.

6) Sensus: abi tamen, quo te fert voluptas; postquam vero semel abieris redeundi facultas non erit.

7) Te laeserit, id est, te improbaverit, vituperaverit.

8) Sensus: scis etenim, paulo post te cogi, coactari, in angustum statum redigi; pro vulgari: e manibus seponi; membranae enim evolutae latiorem, convolutae vero et e manibus sepositae angustiorem locum in arca occupant.

9) Cum nimirum plenus, satur legendo amator, id est, lector coeperit te fastidire.

10) Sensus: quod si ego, qui tibi peccanti, ut augur, futura mala denuntio, non desipio, id est, non fallor odio tui, qui peccas graviter, cum exire gestis in publicum; Romanis in deliciis eris, donec annis labentibus

Carus eris Romae, donec te deseret aetas.
Contrectatus [11]) ubi manibus sordescere vulgi
Coeperis, aut tineas [12]) pasces taciturnus [13]) inertes,
Aut [14]) fugies Uticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.
Ridebit [15]) monitor non exauditus; ut ille,
Qui male parentem in rupes detrusit asellum
Iratus: quis enim invitum servare laboret?
Hoc [16]) quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus.
Cum [17]) tibi sol tepidus plures admoverit aures,
Me libertino natum patre, et in tenui re
Majores pennas nido extendisse loqueris:
Ut quantum generi demas, virtutibus addas.
Me [18]) primis urbis belli placuisse domique,

desinas novus esse. Aetas, pro: juventus; id est, donec eris novus et recens, placebis.

11) Sensus: at ubi diu in manibus vulgi versatus sordes collegeris aut eris praeda tinearum etc.

12) Tineae sunt vermiculi, qui chartas et libros corrodunt. Inertes, quia, praeterquam, quod libros corrodunt, nihil agunt.

13) Taciturnus, quia nemo te legit. Cum libris enim, quos legimus, quasi colloquimur.

14) Aut ex urbe, ubi contemneris in terras longe remotas fugies. Pro terris longe remotis ideo Uticam, nobilem illam urbem in Africa extrema, et Ilerdam, urbem in Hispania, posuit; quia tum in his locis Romanarum literarum studia tractari, et fervere incipiebant. Vinctus, scilicet funiculis, quibus nunc quoque colligantur et constringuntur libri, in terras remotas mittendi.

15) Sensus: tum ego te, qui non exaudisti, quae monui, ridebo; sicut ille in fabulis risit asellum, qui, cum parere nollet, ab eo irato in rupem protrusus, se inde praecipitem dedit; quis enim curet servare repugnantem?

16) Sensus: haec quoque tibi destinata est sors, ut pueros in extremis vicis elementa docendo consenescas. Docturum dicit pueros librum suum, quod eo usuri sint ludimagistri, ut ex ipso pueros doceant modum legendi; libri vero levissimi huic rei et officio destinabantur. Senectus balba; non raro enim vox grandaevorum balba esse solet. Occupet, scilicet te, te opprimat, tibi obrepat.

17) Sensus: quando autem sub vesperum, cum tepidus est, minus fervet sol, plures te audituri confluxerint; pro vulgari: si plures te legerint; narrabis me patre libertino et in angusta re familiari natum (vide vitam Horatii) pennas ultra nidum ausum esse protendere, id est, humilitatem mei generis fama et opibus superasse, majora et altiora assequi studuisse, ut gentis meae ignobilitatem compenses virtutum mearum nobilitate.

18) Nexus sententiarum: addes et illud, me pace et bello viris Romae

Corporis exigui, praecanum [19]), solibus [20]) aptum,
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
Forte meum si quis te percontabitur aevum,
Me quater [21]) undenos sciat implevisse Decembres,
Collegam [22]) Lepidum quo dixit Lollius anno.

principibus placuisse, nominatim vero Maecenati et Augusto etc. Vide Vitam Horatii.

19) Praecanum, id est, canos ante tempus crines gerentem.

20) Solibus aptum, libenter ad solem consistere solitum, hoc est, hominem corpus mollius curantem.

21) Quater undenos, id est, 44 annos natum, Consulibus Lollio et Lepido, qui annus incidit in a. u. 733. Inde etiam ad tempus hujus epistolae rite concludi potest.

22) Collegam, id est, quo anno Lollii collega in Consulatu fuerat Lepidus.

Q. Horatii Flacci

Epistolarum

Liber II.

Epistola I.

Ad Augustum.

Argumentum.

Primarium epistolae hujus argumentum esse videtur artis poëticae commendatio, cui et laudem Augusti, ad quem scripta est epistola, artificiosissime intexit Horatius. Ab initio statim, quo nihil magnificentius in laudem Principis hujus dici poterat, maximos, et de genere humano optime meritos heroes post mortem suam demum inter Deos relatos, ipsi vero adhuc viventi a populo Romano divinos honores consecratos esse commemorans, in hoc uno, non item in aliis rebus sapienter, et juste judicare contendit populum Romanum, qui nonnisi antiqua magna et laudabilia esse censet, nova vero et recentia reprobat. Hanc ineptam opinionem, in specie quoad veteres poëtas, quos singillatim recenset, eorumque errores et menda exponit, salse admodum cavillans, tandem concludit, in operibus poëticis dijudicandis non ad eorum vetustatem sed internum valorem respiciendum esse; simul etiam causam hujus falsi et inepti de poëtarum valore judicii disquirens, eam ponit in amore, quo homines in eas ducuntur res, quas pueri jam didicerunt. Transit dehinc ad Graecos, ab hac caeca omnis antiquitatis veneratione, novitatis vero reprobatione alienissimos, qui tamen mature satis, pace et fortuna secunda utentes, ingenium suum in omnibus artium generibus excoluere. Cum his comparans dein Romanos, apud istos, ait, longe aliter res se habebat; hi primis temporibus simplicitatem morum tantum colentes, omniumque artium rudes, tarde nimis Graecos imitantes, ast haud laudabili cum successu, animum adjecere ad artem poëticam, quae, ut ut inculta adhuc, suis tamen et pro privato cujusque

et publico civitatis bono commodis omnino non carebat. Delatus sic ad poëseos quodammodo historiam, exponit primo originem ejus apud Romanos, tum incultam ejus epocham, et quomodo tandem majorem perfectionis gradum adscenderit. Omnem poësim post haec in dramaticam et epicam quasi discerpens, diversasque adferens causas, ob quas dramatica magis excoli non potuerit, transit ad epicam poësim, eamque, hujus quoque, ne partium studii, cum ipse dramaticus non sit, reus argueretur, mendis expositis, praecipue commendat Augusto, ut illo favente et protegente tandem perfectus aliquis poëta existat, summis illius laudibus celebrandis idoneus; se certe tantis rebus gestis describendis et celebrandis imparem esse, probeque scire, poëtam malum magni viri gloriam et famam attenuare potius, quam amplificare, in fine adhuc confitetur, hacque ipsa confessione debilitatis ingenii sui Augusto haud parum laudis tribuit. Scriptam esse hanc epistolam post a. u. 734 patet infra e nota a 73.

Cum [1]) tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus [2]) ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem,
Si longo [3]) sermone morer tua tempora, Caesar.
Romulus [4]) et Liber [5]) pater, et cum Castore [6]) Pollux,

1) Vulgaris, sed elegans inferioris ad superiorem scribentis excusatio: Si ausim te, Caesar, longo sermone detinere, et avocare a gravissimis negotiis, quibus tu unus tam armorum potentia, quam legibus salutaribus populi mores emendandos curas; profecto commoda, quae tu paras populo, ego turbare et intercipere videar. Solus: Lepido enim in ordinem redacto, et mortuo Antonio imperabat jam solus Caesar.

2) Leges vitia emendant, et emendatis moribus ornant.

3) Haec epistola, si epistolam ad Pisones exceperis, omnium Horatii epistolarum est longissima. Scilicet non raro rei alicujus, quam paucis expedire volumus, gravitas vel jucunditas nos disertos et verbosos reddit.

4) Romulus ex Hist. antiqua satis notus.

5) Liber, est cognomen Bacchi. Pater vocatur, ad verecundiam, quae ei debetur, designandam.

6) De Castore et Polluce vide L. III. od. 21. not. 57. et Mythol. Sensus est: Romulus, Bacchus, Castor et Pollux, qui tandem post res maximas gestas inter Deos relati sunt, dum adhuc terras et homines colerent, excolerent, id est, inter homines viverent; et in his terris bella componerent, finirent; agros colendos assignarent colonis, id est, colonias deducerent; civitates aedificarent, non semel doluerunt ob populorum, de quibus optime meruerunt, minus, quam speraverant, gratum in ipsos animum; quod nempe in hac vita non cognoverint eorum de genere humano merita.

Post ingentia facta Deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt;
Ploravere suis non respondere favorem [7])
Speratum meritis: diram [8]) qui contudit hydram [9]),
Notaque fatali portenta [10]) labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine domari;
Urit [11]) enim fulgore suo, qui praegravat artes
Infra se positas: extinctus amabitur idem.
Praesenti [12]) tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
Sed [13]) tuus hic populus, sapiens et justus in uno,

7) Favor, fama, gloria.

8) Sensus: Hercules ipse, qui Hydram interfecit, totque alia monstra omnibus cognita, maximis aditis periculis oppressit, expertus didicit, invidiam nonnisi morte illius, cui invidetur, exstingui posse.

9) Hydra serpens fuit inusitatae magnitudinis prope Lernam paludem, ad urbem Argos in Peloponneso; erant illi plura capita, quorum, si unum secaretur, alia duo subnascebantur; illam tamen Hercules igne ac ferro domuit. Vide L. IV. od. 3. not. 56.

10) Portenta et monstra dicuntur, quae contra leges naturae apparent; eo pertinent horrendae illae hominum et bestiarum formae, contra quas pugnare debebat Hercules. Nota: nihil enim 12 laboribus Herculis magis notum. Fatali. Jupiter edixerat, ut si prius nasceretur Euristheus, rex Mycenarum, quam Hercules, imperaret huic pro arbitrio; fecit autem Juno, ut prior Euristheus in lucem ederetur. Per fatalem laborem ergo maxima designantur pericula, a fato ipsi destinata, quae superare debuerat.

11) Sensus: qui enim aliquid in quavis arte eximium facit, seque supra caeteros tollit, iis, qui ipso inferiores sunt, gravis semper est ac molestus, dum vivit; si autem semel esse desierit, diligetur. Praegravare, id est, gravius pondus habere, graviore pondere vincere ac proinde, superare artes, pro artificibus. Urere idem ac, pungere et invidia inflammare.

12) Sententiarum nexus: at tibi, Auguste, multo major, quam heroibus illis, Romulo, Baccho etc. contigit felicitas; illi enim post mortem demum inserti sunt Deorum ordinibus, tu vero adhuc praesens, vivens Deus a populo coleris. Maturos, id est, tempestivos in vita, non seros post mortem. Jurandas, id est, exstruimus aras, ad quas per tuum nomen juremus. Aram enim ponere et per ejus, cui posita sit, nomen jurare, Deorum immortalium honor est; is Augusto viventi delatus est a Romanis, confitentibus universis, nihil, id est, neminem unquam similem illi aut natum, aut nasciturum esse.

13) Sensus et nexus: idem tamen hic populus tuus, qui in hoc uno, quod te Romanis et Graecis ducibus anteponit, sapiens et justus est, nunquam simili ratione modoque caeteros aestimat, sed eos, donec vivunt, fastidit et odit; nihil omnino magnum reputat aut tolerabile, nisi quod terris procul disjunc-

Te nostris ducibus, te Grajis anteferendo,
Caetera nequaquam simili ratione modoque
Aestimat, et, nisi quae terris semota suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit et odit:
Sic fautor veterum, ut tabulas [14]) peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt [15]), foedera regum
Vel Gabiis [16]), vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum [17]) libros, annosa volumina [18]) vatum,
Dictitet Albano [19]) Musas in monte locutas.
Si [20]), quia Graecorum sunt antiquissima quaeque
Scripta vel optima, Romani pensantur eadem
Scriptores trutina; non est, quod multa loquamur:
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.
Venimus ad summum fortunae; pingimus, atque

tum, vel longis retro actis temporibus antiquissimum sit: tam caeco vetustatis amore captus, ut leges tabularum 12, quibus culpae vetantur, sancitas a Decemviris, et pacis a nobis cum Gabiis et cum Sabinis consensu olim mutuo initas conditiones; rituales sacrorum libros, et antiquas vatum praedictiones, contendat (ille populus nempe tuus) in monte Albano a Musis ipsis jam olim pronunciatas fuisse.

14) Tabulas, id est, leges Romanorum in 12 tabulis scriptas. Anno nempe U. 303 missi sunt in Graeciam decem viri, ut e legibus Graecorum optima quaeque excerperent; collegerunt illi certa quaedam capita, quae in 12 tabulas aereas incisa sunt, diuque jus Romanum 12 illis tabulis constitit. Peccare vetantes, proponendo poenas peccantibus.

15) Sanxerunt, observandas esse a populo Romano decreverunt, auctoritate sua ratas esse jusserunt.

16) Foedera aequata, id est, ex aequo constituta et composita, vel cum Gabiis vel cum Sabinis. Gabii populi erant non procul Roma in Latio, cum iis foedus initium est a Tarquinio Superbo. Sabinorum ager erat super Latium ad Orientem Etruriae. Urbs illorum primaria Cures. Populus Sabinorum cum Romano post raptum virginum Sabinarum foedere icto in unum confluxerat. Sabini autem vocantur rigidi, non tantum, quia severa disciplina apud eos vigebat, sed etiam quia fortes et bellicosi erant.

17) Pontificum libri continent praecipue artem sacrificandi, et auguales ritus.

18) Hic praecipue intelligendi sunt libri Sibyllini.

19) Albanus mons erat in Italia prope Albam, quasi fuisset ille Italiae Parnassus, et eo Musae, relictis Graeciae montibus, secessissent. Per Musas Horatius respexisse videtur Nympham Egeriam, quacum Numa Pompilius, ut miraculosis commentis fidem faceret, sibi in monte Albano nocturnos congressus esse simulabat. Dixit autem, Musas, quia Egeria in Musarum choro et consortio fuisse dicitur.

20) Sensus hujus loci sequens esse videtur: si Romani scriptores eadem pensantur trutina, eodem modo aestimantur, atque Graeci, apud quos vel optima, id est, longe optima sunt ea scripta, quae sunt antiquissima, h. e. si

Psallimus, et luctamur Achivis doctius unctis [21]).
Si [22]) meliora dies, ut vina, poëmata reddit,
Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus:
Scriptor ab hinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos veteresque referri debet? an inter
Viles atque novos? excludat [23]) jurgia finis.
Est vetus [24]) atque probus, centum qui perficit annos.
Quid [25])? qui deperiit minor uno mense vel anno,
Inter quos referendus erit? veteresne poëtas?
An quos et praesens et postera respuet aetas?
Iste [26]) quidem veteres inter ponetur honeste,
Qui vel mense brevi vel toto est junior anno.
Utor [27]) permisso, caudaeque pilos ut equinae,

apud Romanos, sicut apud Graecos antiquissima etiam optima reputantur; non est, quod multa loquamur, id est, hoc, breviter dicendo, tam absurdum est, ac si quis contenderet; nihil duri esse intra oleam (in oleae nucleo) et nihil duri extra in nuce (in nucis putamine) et nos Romani olim rudes et imperiti jam summum perfectionis gradum assequuti sumus, praestantiores sumus jam Graecis in arte pingendi, luctandi, canendi. Neutrum enim de Romanis adfirmari poterat; antiquissima apud illos non erant praestantissima, quia primis temporibus erant adhuc rudes et inculti; sed neque summum adhuc tunc temporis gradum perfectionis attigerunt, ita, ut Graecos omnes superarent. Haec omnia autem protulit Horatius, ut ostenderet, praestantiam rei non dependere a vetustate ejus.

21) Unctis; luctaturi enim in palaestra, vel in Campo Martio oleo ungi solebant.

22) Quodsi, ut vino, sic versibus prodest ad bonitatem, dies, vetustas, diuturnitas; dic quaeso, quot annos necessarios putas ut boni fiant? satisne est poëtam centum ab hinc annis decidisse, mortuum esse, ut perfectus putetur, ut ejus chartae, poëmata in pretio sint? an post centum annos adhuc novus, adeoque vilis consendus erit?

23) Sensus: definitus enim sive praestitutus annorum, quibus vetustas efficitur, numerus tollet, et removebit omnem de hac re litem et controversiam.

24) Responsio est alicujus Censoris vel Critici, quem se interrogare fingit Horatius: Sit e. g. satis antiquus, et probus, id est, perfectus, laude dignus, quisquis poëta vixerit ante centum annos.

25) Respondet Horatius. Deperiit, mortuus est. Inter quos, id est, quorum in numero habebitur, veterum, an recentium istorum, quos non solum nostrae, sed et proximae secuturae aetatis homines contemnent?

26) Verba Censoris. Honeste, non immerito, recte.

27) Verba Horatii. Permittis unum mensem aut annum demere, idque nihil referre ais; utor permisso, id est, accipio, quod das, et, sicut alterum pilum, post alterum ex cauda equina, ita de annorum numero, quibus vetustas scriptorum constituatur, paulatim vello, et demo alterum numerum post alterum; dum, seu donec is, qui redit ad fastos, id est, qui scriptorum prae-

Paulatim vello, et demo unum, demo etiam unum,
Dum cadat [28]) elusus ratione ruentis acervi,
Qui redit ad fastos, et virtutem aestimat annis,
Miraturque nihil, nisi quod Libitina [29]) sacravit.—
Ennius [30]) et sapiens et fortis, et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.
Naevius [31]) in manibus non est, et mentibus haeret
Paene recens, adeo sanctum est vetus omne poëma.
Ambigitur [32]) quoties uter utro sit prior; aufert

stantiam numero annorum, in fastis consignatorum, aestimat, et nihil, nisi scripta jam diu mortuorum miratur, cadat h. e. victus concidat, ratione corruentis acervi elusus, id est, donec ei, ratione numeri sensim sensimque minuti decepto, aqua haereat. Quemadmodum nempe acervus v. g. tritici, e quo perpetuo granum post alterum tollitur, tandem corruit; ita magnus numerus, e quo alterum post alterum demis, minuitur tandem, ut, ubi ille magnus esse desinat, nescias.

28) Cadat: cum acervo concidat, h. e. se ad incitas redactum esse intelligat. Virtutem, pro: praestantiam. De fastorum libris vide L. I. sat. 3. not. 79.

29) Nisi quod Libitina sacravit; nisi quod scripserunt Libitinae, id est morti sacrati, seu sepulti. De Libitina vide L. II. sat. 6. vers. 19. et not 22.

30) Jam Horatius adfert veterum poëtarum celebratissimos, non quidem hoc consilio, ut illos vituperet; sed tantum ut ostendat, praestantiam horum minus a vetustate eorum, quam potius a valore operum suorum dependere. Laudat hinc, quod laudandum est, et reprehendit, quod reprehensionem incurrere videtur. Sensus est: Ennius ille, quem Grammatici nostri sapientem, doctum, eruditum, et fortem, id est, altiore spiritu exsurgentem, et denique Homerum alterum esse adfirmant, ita negligenter scripsit, ut parum videatur fuisse sollicitus, quomodo verosimile faciat, quod de se ipse ex Pythagorae somniis jactabat asserens, animam Homeri in suum commigrasse corpus. Alludit hic Horatius ad somnium, quod de se ipse narrabat Ennius, cum ex Pythagorae doctrina asserebat, visam sibi dormienti immigrare animam Homeri, et promittere, ipsum fore alterum Homerum. Breviter haec omnia sic efferenda esse videntur: Licet Ennius suum valorem habeat, oblitus tamen est, quid promiserit, et somniaverit; id est, alter tamen Homerus non est. Quo cadant, id est, qualem eventum habeant promissa et somnia. De Pythagora philosopho vide L. II. sat. 6. not. 57. et sat. 4. not. 4. De Ennio poëta Latinorum vide L. IV. od. 7. not. 20.

31) Naevius fuit aliquot annis Ennio senior, et vixit circa a. u. 520. Scripsit non tantum comoedias et tragoedias, sed etiam carmen epicum de bello Punico primo. Sensus est: Naevius non amplius est in manibus, ejus opera temporum lapsu interiere; verum tam alte haec inhaerent animis et memoriae hominum, ut nuper scriptas putes; adeo omnibus putatur veneratione dignum, quidquid antiqui carminis est.

32) Jam Horatius sententias, quae a vulgo de veterum poëtarum pretio

Pacuvius [33]) docti famam senis, Accius [34]) alti:
Dicitur Afrani [35]) toga convenisse Menandro;
Plautus [36]) ad exemplar Siculi properare Epicharmi [37]);
Vincere Caecilius [38]) gravitate, Terentius arte.
Hos [39]) ediscit, et hos arcto stipata theatro,
Spectat Roma potens; habet hos numeratque poëtas
Ad nostrum tempus Livi [40]) scriptoris ab aevo.—
Interdum vulgus rectum videt, est ubi [41]) peccat.

feruntur, referens, eos, qui in veterum, tanquam perfectissimorum scriptorum et recentioribus longe praeferendorum, laude sint nimii, errare, illos vero, qui ea, quae vitio vertenda sint veteribus, agnoscant, rectius secum de iis judicare ait. Quoties in coetu hominum controvertitur, disputatur, quis cui sit anteponendus? Pacuvium universi doctum senem, Accium sublimioris spiritus poëtam dicunt; Afranium vero Graeco Menandro parem in togatis comoediis conscribendis adfirmant; Epicharmum denique Siculum Plauto nostro prope aequatum, superatum autem a Caecilio et a Terentio, isto plus artis, illo plus gravitatis exhibente, pronunciant. Aufert, id est, obtinet famam, laudem, gloriam.

33) Pacuvius, Ennii ex sorore nepos; tragoedias scripsit non inconcinne, ut erant tempora. Brundusii natus obiit Tarenti prope nonagenarius, unde ab Horatio doctus senex vocatur.

34) Accius fuit Pacuvii aemulus inter ejus fabulas tragicas insignis ea fuit, cui nomen, Atreus; quam cum Ennio aliquando recitasset, carperetque Ennius nonnulla, respondit Accius: ea similia esse pomis acerbioribus, quae melius conservantur, ac tempore ipso mitescunt.

35) Afrani toga, quia togatas comoedias scripsit; ita enim vocabantur illae, quarum erat argumentum Latinum et personae; palliatae vero dicebantur, quarum argumentum et personae a Graecis erant sumtae. Fuit Afranius paulo junior quam Terentius, peracutus, et disertus, Menandri diligens imitator; unde illius toga, id est, stylus, et ratio scribendi fabulas Latinas, dicitur convenisse Menandro. Menander autem fuit Graecus poëta comicus.

36) Plautus (M. Accius) natione Umber. Adfirmabat Varro, Musas, si Latine loquerentur, Plautino sermone loquuturas. Obiit a. u. 570. Dicitur hic ad exemplar, id est, ad imitationem Epicharmi properare, celeriter, stylo humili, jocoso et nugaci scribere. Scripsit enim Plautus comoedias, quae adhuc prostant.

37) Epicharmus fuit poëta Graecus Syracusanus.

38) Caecilius poëta comicus Mediolanensis, aequalis fere Terentii, vixit uterque circa a. u. c. 590. Terentii comoediae exstant.

39) Sensus: hos Roma urbium et orbis domina memoriter discit; ad horum fabulas in theatro spectandas frequens adcurrit; hos veros agnoscit poëtas ab eo tempore, quo Livius Andronicus fabulam primus in urbe exhibuit.

40) Livius Andronicus, poëta comicus. Livii Salinatoris, cujus filias erudiverat, libertus a. u. 514 primus Romae fabulam dedisse dicitur.

41) Est ubi peccat, id est, aliquando fallitur. Videt, id est, judicat.

Si veteres ita miratur laudatque poëtas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat:
Si[42]) quaedam nimis antique, si pleraque dure
Dicere cedit eos, ignave multa fatetur,
Et sapit, et mecum facit, et Jove judicat aequo.
Non[43]) equidem insector, delendave carmina Livî
Esse reor, memini quae plagosum[44]) mihi parvo
Orbilium dictare; sed emendata videri,
Pulchraque, et exactis minimum distantia, miror.
Inter[45]) quae verbum emicuit si forte decorum,
Si versus paulo concinnior unus et alter,
Injuste totum ducit venditque poëma.
Indignor[46]) quidquam reprehendi, non quia crasse
Compositum illepideve putetur, sed quia nuper;
Nec veniam antiquis, sed honorem et praemia posci.
Recte[47]), necne, crocum[48]) floresque perambulet Attae

42) Sensus: si vero fatetur, concedit eos quaedam dicere antique, obsolete, plurima aspere et impolite, at multa ignave, frigide, languide, sapienter dicit, et mecum consentit, habetque ipsum Jovem sui judicii aequissimum adprobatorem. Jove aequo, id est, adprobante Jove. Facit, pro: consentit.

43) Sensus: equidem ego Livii Andronici versus, quos memini, cum puer essem, mihi dictatos ab Orbilio magistro meo, homine in discipulos acerbo, non sic vitupero, ut plane abolendos decernam; sed miror tantum, quod illos, ut emendatos, omni errore vacuos, pulchros, et proximos perfectis, laudari, existimari videam.

44) Cum esset Orbilius homo acerbae naturae, et proinde pueros, sibi erudiendos traditos acerbe tractaret, Horatius, jam plagarum ab eo acceptarum memoriam refricans, eum plagosum vocat.

45) Sensus: si forte in carminibus, quae scripsit Livius, elegans verbum, vel unus et alter versus concinnior enituit, vulgus injuste totum poëma pulchrum et concinnum esse censet, et hoc nomine laudat. Emicuit, pro: placuit. Ducit, id est, magni ducit, aestimat, judicat. Vendit, laudat, commendat; est enim translatum a mercatoribus, qui laudant et commendant merces, quas vendere cupiunt.

46) Sententia: indigne fero, quod carmina non ideo, quod crasse et illepide, sed quia nuper, id est, recentiori aetate composita sunt, reprehenduntur; et quia antiquis poëtis, quasi illi nihil omnino peccaverint, non venia, sed honor et praemia poscuntur.

47) Sensus et ordo: si vocare in dubium audeam, an comoedia quaedam a J. Quinctio Atta, veteri poëta, scripta mereatur necne in theatro recitari; statim senes omnes clamabunt, me esse impudentissimum, qui velim eam reprehendere comoediam, in qua fuerint actores Aesopus et Roscius, duo praestantissimi ea tempestate histriones, quasi hoc satis argumenti foret, eam esse optimam.

48) Crocus est herba odorata, quae in aqua macerata illi suum odorem

Fabula, si dubitem, clament periisse pudorem
Cuncti paene patres; ea cum reprehendere coner,
Quae gravis Aesopus[49]), quae doctus Roscius[50]) egit:
Vel[51]), quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus, et quae
Imberbi didicere, senes perdenda fateri.
Jam[52]) Saliare Nŭmae carmen qui laudat, et illud,
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri:
Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.
Quodsi tam Grajis[53]) novitas invisa fuisset,
Quam nobis, quid[54]) nunc esset vetus? aut quid haberet,
Quod legeret, tereretque viritim publicus usus?
Ut primum positis[55]) nugari[56]) Graecia bellis

conciliat. Crocum perambulare et flores, idem sonat, ac incedere per theatrum aqua odorata, in qua nempe crocus et flores macerabantur, aspersum; hoc enim fieri solebat ad odorem gratum in theatro conciliandum.

49) Aesopus, nobilis tragoediarum actor, vocatur gravis ob gravium personarum partes in tragoediis suscipiendas et sustinendas. Cicero hujus Aesopi, quem ut familiarem suum laudat, passim mentionem facit. Off. I. 31.

50) Roscium Cicero in peculiari oratione contra criminationem aliquam defendit; eumque ut summum rei scenicae artificem sive histrionem perfectissimum saepius laudat. V. g. in Orat. pro Archia Poët. cap. 8. Quis nostrum animo tam agresti et duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? Qui cum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem (quam ostendebat toto corporis habitu et gestibus) videbatur omnino mori non debuisse.

51) Nexus idearum: hoc autem inde venit: vel quia senes hi et majores nihil bonum et rectum esse existimant, nisi quod ipsi probaverint; vel quia turpe putant, si ad juniorum sententiam se accommodent, et ea, quae pueri olim imberbes a ludimagistro ex Attae comoediis dictata didicerint, perdenda, id est, tanquam vana et falsa e memoria delenda esse, fateantur.

52) Sensus: jam vero, qui carmen a Numa Pompilio scriptum tanquam bonum commendat, putari certe vult et videri, se id intelligere solum, quod tamen reipsa una mecum ignorat; et hoc non facit eo consilio, ut hominibus ingeniosis mortuis suam dignitatem et famam afferat; sed tantum propterea, quia coeco veterum studio abreptus et amore, recentiores ex invidia contemnit. Saliare carmen, erat poësis obscurissima, et nulli satis intellecta, quae, a Numa rege composita, a Saliis Martis sacerdotibus saliendo canebatur.

53) Grajis, id est, Graecis.

54) Quid nunc esset vetus? Quid modo haberemus antiquum? Nam si tum, cum scriberent Graeci propter novitatem illi contemti fuissent, non legere, non manibus terere et imitari nunc possemus veteres Graecos. Publicus usus, id est, vulgus.

55) Positis, id est, finitis bellis. Finito enim bello Persico, magis magisque efflorescere coeperunt bonarum litterarum studia apud Graecos.

Coepit, et in vitium [57]) fortuna labier aequa,
Nunc [58]) athletarum studiis, nunc arsit equorum;
Marmoris [59]) aut eboris fabros, aut aeris amavit;
Suspendit [60]) picta vultum mentemque tabella;
Nunc [61]) tibicinibus, nunc est gavisa tragoedis;
Sub nutrice [62]) puella velut si luderet infans,
Quod cupide petiit, mature plena reliquit.
Quid [63]) placet, aut odio est, quod non mutabile credas?
Hoc [64]) paces habuere bonae, ventique secundi.
Romae [65]) dulce diu fuit et solenne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere jura,
Cautos nominibus rectis expendere [66]) nummos,

56) Nugari, id est, ludicra tractare; rebus, ad animi oblectationem spectantibus, vacare.

57) Vitium, pro: otium, luxum. Fortuna aequa, id est, fortuna melior. Sensus est: ubi a bellis quievit Graecia, otio primum et nugis vacare; deinde etiam, cum jam meliore fortuna uteretur, molliore vita, ab antiqua morum disciplina recedens, corrumpi coepit.

58) Principio itaque delectata est gladiatorum spectaculis, curulibus certaminibus, ludis equestribus. De athletis vide L. IV. od. 1. not. 20.

59) Sensus: mox se ad signa et statuas ex marmore, aere, aut ebore sculptas convertit, earumque artifices plurimi fecit.

60) Sensus vulgaris: Graeci nunc toti fuerunt in pictarum tabularum admiratione. Qui enim rem aliquam cum admiratione et animi intentione contemplantur, eleganter dicuntur: vultum et mentem aliqua re suspendere, h. e. oculos et mentem in aliqua re defigere.

61) Sensus: successit omnibus musicae amor, et actionum e theatro exhibitarum.

62) Graecia post bella modo hoc, modo aliud rei ludicrae studium amplexa, lepide comparatur cum infante puella, sub nutrice ludente, quam rei, modo petitae, mature capit satietas. Nutrix dicitur non tantum ea, quae infantem lactat, sed etiam quaevis alia, sub cujus custodia infantes educantur. Plena, pro: satiata, nempe Graecia.

63) Sensus: quid enim est, quod diu placeat, aut displiceat?

64) Hoc, id est, hanc mutabilitatem et inconstantiam paces bonae, salutares, et venti secundi, id est, fortuna secunda, favens secum tulere.

65) Sensus et nexus: haec studiorum mutabilitas apud Romanos quoque locum habuit, sed non eodem felici cum successu pro artium cultura. Olim Romani primo mane lectum relinquere; et, reseratis domi foribus, clientes, quibus consulerent, et jura exponerent, admittere; nummos, justa cautione in tuto positos, debitori expendere, adnumerare; et juniores senioribus, quomodo res familiaris crescere, et perniciosa libido domari possit, docentibus faciles aures praebere, et obedientiam praestare solebant: nunc levis populus mutavit illam mentem; nunc unum scribendi studium fervet; nunc seniores aeque ac juniores corollis redimiti convivia sectantur et dictant carmina.

66) Nummi rectis nominibus cauti, sunt nummi, quibus certa syngrapha,

Majores audire, minori dicere, per quae
Crescere res posset, minui damnosa libido.
Mutavit mentem populus levis et calet [67]) uno
Scribendi studio: puerique patresque [68]) severi
Fronde [68*]) comas vincti coenant, et carmina dictant [69]).
Ipse [70]) ego, qui nullos me affirmo scribere versus,
Invenior Parthis [71]) mendacior; et prius orto
Sole, vigil calamum et chartas et scrinia [72]) posco.
Navem agere ignarus [73]) navis timet; abrotonum [74]) aegro
Non audet, nisi qui [75]) didicit, dare: quod [76]) medicorum est,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri;
Scribimus indocti doctique poëmata passim.
Hic error tamen, et levis haec insania, quantas [77])
Virtutes habeat, sic collige: vatis [78]) avarus
Non temere est animus; versus amat, hoc studet unum;

debitoris et testium nominibus consignata, a fraude cautum est. Respexit autem Horatius aetatis suae homines avaros, qui non honesto et legitimo, ut olim, sed inhonesto et illegitimo foenore, id est, enormibus usuris pecuniam mutuo dabant. Res, familiaris nempe, opes.

67) Respexit hic Horatius indoctorum, qui tum caput efferebant poëtarum gregem.

68) Patres severi, non quod fuerunt patres illi severi, sed quod pro aetate sua severi esse debuissent.

68*) Fronde, id est, hedera vel lauro, unde fiebant poëtis coronae.

69) Dictant, pueris nempe, scribis privatis. Ut supra Epist. 10. L. I. vers. 49.

70) Sensus: ego ipse professus non semel, nullos me versus condere, magis mendax convincor, quam Parthi; cum ante solis ortum, somno pulso, afferri mihi calamum, chartas, et scrinia jubeam.

71) Parthi dicuntur mendaces, quia saepe fidem Romanis datam fregerant. Mar. Crassum insigni olim mendacio, et pacis, quam minime vellent, simulatione, circumvenerunt; et dein captivorum ac signorum restitutionem saepe promissam diutissime distulerunt.

72) Scrinium, capsa vel arca, in qua charta, litterae, et res ad scribendum necessariae servabantur.

73) Navis, id est, navigationis et artis nauticae ignarus.

74) Abrotonum herba est medica, aliqui silvestrem cupressum adpellant; ponitur hic pro quolibet pharmaco.

75) Qui didicit, id est, artis medendi peritus.

76) Sensus: medici medica, fabri fabrilia tractare solent; una est ars pangendorum poëmatum, ad quam nos omnes, docti et indocti, nullo discrimine factos putamus.

77) Quantas virtutes habeat, id est, cum quantis commodis et opportunitatibus conjuncta sit, ex sequentibus argumentare.

78) Sensus: vatem avarum non facile invenies, contentus est solis versibus, ultra fere nihil amat aut curat. Non temere, id est, non facile.

Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet [79]);
Non fraudem socio puerove incogitat ullam
Pupillo; vivit siliquis et pane secundo:
Militiae quamquam piger et malus, utilis urbi;
Si [80]) das hoc, parvis quoque rebus magna juvari.
Os [81]) tenerum pueri balbumque poëta figurat;
Torquet [82]) ab obscoenis jam nunc sermonibus aurem;
Mox [83]) etiam pectus praeceptis format amicis,
Asperitatis et invidiae corrector et irae;
Recte [84]) facta refert; orientia tempora notis
Instruit exemplis; inopem solatur et aegrum.
Castis cum pueris ignara [85]) puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus [86]), et praesentia numina sentit;
Coelestes implorat aquas docta prece blandus;
Avertit morbos, metuenda pericula pellit;
Impetrat et pacem et locupletem frugibus annum;

79) Damna rei domesticae, transfugia mancipiorum, incendia ridet, tanquam res nihil ad se pertinentes; nullam consortibus, nullam pupillis molitur fraudem; contentus siliquis ac pane secundario, et quamquam parum bello idoneus, domi tamen et in urbibus utilis est. Incogitat, pro: machinatur. Siliquae, idem ac, legumina; sunt proprie olerum involucra. Panis secundus, seu secundarius est panis niger. Malus, ignavus, timidus.

80) Sensus: si concedis hoc, quod esse verissimum constat, res parvas nempe adjumento esse maximis.

81) Os, id est, vocem et pronuntiationem figurat, format et fingit.

82) Sensus: in ipsa aetate tenera obscoenitatem omnem verborum ab auribus avertit, honesta solum ingerens.

83) Sensus: paulo post animum salutaribus praeceptis informans, monet, ut in convictu mutuo, asperitatem, invidiam et iram devitent, pueri nempe. Asperitas, id est, incultior et asperior vita. Corrector: qui haec vitia corrigit monendo.

84) Sensus: recte factorum narrat historias; ante oculos ponit nota exempla, quae futurae aetatis homines virtutem sequi, et vitia fugere doceant; et pressis inopia rerum, atque aegris animo solatium adhibet blandae orationis. Orientia tempora: hic intelliguntur homines futurae aetatis.

85) Ignara puella mariti, id est, innupta. Sensus vulgaris: chorus castorum puerorum et castarum virginum unde disceret precum formulas, nisi magistros vates Musae dedissent? Intelligit hymnos ad Apollinem et Dianam, similes Carmini saeculari, qui a choro nobilium puerorum puellarumque decanebantur in publicis calamitatibus, et post exactum saeculum.

86) Sensus: his ergo precibus juvenum chorus virginumque Deos invocans opem, quam orat, sentit, accipit; et modo quidem tempestivum imbrem elicit coelo, modo impendentes morbos depellit et alia pericula etc. Chorus blandus, id est, blanda, Diis amoena prece institutus a poëta etc.

Carmine [87]) Dî superi placantur, carmine Manes [88]).
Agricolae prisci, fortes [89]) parvoque beati,
Condita [90]) post frumenta, levantes [91]) tempore festo
Corpus et ipsum animum, spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris et conjuge fida,
Tellurem [92]) porco, Silvanum [93]) lacte piabant [94]),
Floribus et vino Genium [95]), memorem brevis aevi.
Fescenninā [96]) per hunc invectā licentiā morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit,
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter: donec jam saevus apertam
In rabiem verti coepit jocus, et per honestas
Ire domos impune minax. Doluere [97]) cruento

87) Sensus: carminibus enim Dî superi et inferi propitii sunt.

88) De Diis Manibus seu umbris mortuorum vide L. I. od. 20. not. 20. Hic autem per Manes intelligi debent in genere Dii inferorum.

89) Fortes, robusti; parvo beati, id est, paucis contenti.

90) Condita post frumenta, id est, peracta messe.

91) Sensus: fessa corpora et animum, qui obventurae copiae spe operi fortiter institerat, relaxantes, festo die una cum adjutoribus laborum, cum pueris et pudica uxore Deae Telluri porcum offerebant etc.

92) Telluri sus immolabatur; sus enim foecunditate sua terrae ubertatem adumbrat.

93) Silvanus, silvarum et pastorum Deus; huic lac offerebatur.

94) Piabant, id est, propitium redebant; expiabant et luebant sacrificio, si quid in eum peccatum esset.

95) Inter plurimas Genii significationes una est, qua exprimitur tutelare quoddam numen, singulis hominibus, ex fide veterum, ab ipsa statim nativitate attributum, cum ipsis natum, et ipsis morientibus desiturum; ideo, brevis aevi memor, seu, de vitae brevitate monens, adpellatur hic ab Horatio Genius.

96) Sensus: ex ea rusticorum consuetudine, qui post messem operum soluti genio indulgebant, orta est licentia et libertas dicendi alterno carmine convicia quaedam rustica, quae quotannis certo tempore recurrens fuit grata, omnibusque jucunda: donec ab istis jocularibus conviciis licentia illa in furorem versa est, id est, ad vera et aperta convicia descendere, atque cives honestissimos minaci carmine deformare coepit. Vocatur haec licentia, Fescennina, a Fescenia, oppido Etruriae, unde ista rustica et obscoena convicia sunt allata.

97) Doluere, id est, male habebant, aegre ferebant hoc conviciis illis petiti; imo et illi, qui erant intacti, non lacessiti, haud sine cura fuere, periculum commune timentes, id est, eadem convicia in se quoque conspergi timentes; et sic eo res processit, ut lege lata et propositis pennis caveretur, ne quis versu maledico cujusquam nominatim mores notaret. Cruento dente lacessiti: adposite ad tropum dictum est, quia dentis morsus vulneratos cruentat.

Dente lacessiti; fuit intactis quoque cura
Conditione super communi; quin etiam lex
Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam
Describi. Vertere [98]) modum, formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque redacti.
Graecia capta ferum [99]) victorem cepit [100]), et artes
Intulit agresti Latio. Sic [1]) horrendus ille
Defluxit numerus Saturnius, et grave virus
Munditiae pepulere; sed in longum tamen aevum
Manserunt, hodieque manent vestigia ruris [2]):
Serus [3]) enim Graecis admovit acumina chartis,
Et post Punica [4]) bella quietus [5]) quaerere coepit,
Quid Sophocles [6]) et Thespis et Aeschylus utile ferrent [7]).
Tentavit [8]) quoque rem, si digne vertere posset;

98) Sensus: dehinc poëtae modos, quibus adhuc carmina contumeliosa decantaverant, mutarunt, cum metu poenae ad scribenda carmina, quae benedicendo placerent et delectarent, adigerentur. Cum poëtae maledici comparari soleant cum canibus mordacibus, quos fuste abigimus et repellimus, profecto huic comparationi bene respondet constituta in poëtas maledicos poena fustuaria.

99) Romanos feros vocat, id est, indoctos adhuc, et bonarum litterarum rudes.

100) Cepit: vicit litterarum voluptate et inescavit eos, a quibus erat victa Graecia, et subacta viribus armorum et saevitia. Sensus et nexus idearum: in hoc statu permansit poësis Romana, donec per Graeciam victam artes in rude et incultum Latium translatae fuissent. Ab expugnatione Graeciae enim per Mummium a. u. 608 secunda epocha poësis Latinae incipit.

1) Sensus: sic coepit abolescere ac vilescere poësis illa inculta, versus et numeri impoliti, qui olim, regnante in Italia Saturno, floruerant. Sermo mundus elegansque expulit gravem, virulentum et barbarum, qui hactenus viguerat. Virus idem est, ac venenum; ponitur pro quolibet odore gravi, et transfertur ad ea, quae foeda et abominabilia sunt.

2) Ruris, id est, rusticae poëseos et incultae.

3) Serus enim, scilicet Latinus; admovit acumina, id est, ingenii facultates, legendo acuendas, pro vulgari: admovit manus, operam dedit, vacavit Graecis scriptoribus.

4) Punica bella, quae contra Poenos, id est, Carthaginienses gesta sunt, tria numerantur. Vide Hist. Antiq.

5) Quietus, id est, pace fruens.

6) Sophocles fuit scriptor tragoediarum Graecarum, ut Thespis et Aeschylus.

7) Ferrent, proferrent, suppeditarent.

8) Sensus: quin ausi quidam sunt experiri, rectene Graeca in Latinum sermonem converterentur, et gratulati sibi sunt ob ingenitam sublimitatem et acrem, vehementem spiritum, quem in se ipsis reperiebant. Rem, id est, Graeca carmina, tractata a Graecis poëtis argumenta.

Et placuit sibi, natura sublimis et acer;
Nam [9]) spirat tragicum satis, et feliciter audet;
Sed turpem putat inscite, metuitque lituram.
Creditur [10]), ex medio quia res arcessit, habere
Sudoris minimum, sed habet [11]) comoedia tanto
Plus oneris, quanto veniae minus. Adspice, Plautus [12])
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi [13])!
Ut patris attenti [14]), lenonis ut insidiosi!
Quantus [15]) sit Dossennus edacibus in parasitis!
Quam non adstricto percurrat pulpita socco [16])!
Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus, cadat [17]), an recto stet fabula talo.

9) Sensus: nam sublimiori tragicorum spiritu satis agitatur, Latinus, et ea, quae in hoc genere tentat, satis feliciter succedunt; et felicius adhuc multo succederent, nisi curam, quam in iis, quae minus recte scripsit, emendandis atque delendis ponere debebat, ut rem turpem, stulte fugeret. Quod in tabula cerata inverso stylo complanatur et deletur, litura vocatur.

10) Sensus et ordo: sunt, qui putant, comoediam esse multo faciliorem, quia res, id est, sua argumenta sumit e medio, h. e. e communi, quotidiana vita. Est enim comoedia repraesentatio actionis alicujus ex illis, quae in plebeja fortuna et quotidiana vita contingunt; tragoedia vero illustris actionis et heroicae.

11) Sed revera, qui eam, comoediam nempe, scribunt, tanto plus oneris in se suscipiunt, quanto minus, si quid peccaverint, solet ipsis ignosci.

12) Jam Horatius Plautum et ignobilem quemdam poëtam comicum, Dossennum, de productis in scenam personis, parum naturae convenienter partes suas sustinentibus, notat. Sensus: vide, quo pacto, quam male, et parum accurate Plautus versetur in exhibenda nobis imagine adolescentis amatoris, patris avari ac suspiciosi, fraudulenti lenonis! Vide quam negligenter parasitos descripserit Dossennus! Hoc unum nempe curabat, ut e scriptis comoediis suis lucrum capiat, parum sollicitus, bene ne, an male succederent; an probentur, aut explodantur.

13) Ephebi, id est, adolescentis partes tutetur, h. e. personam exhibeat, mores effingat.

14) Attenti, ad rem nempe, avari.

15) Quantus sit: videtur Dossennus risus captandi causa in exprimenda parasitorum edacitate nimius fuisse.

16) Histriones, qui socco non arctius adstricto, h. e. laxo per pulpita incedebant, externae negligentiae culpam sibi contrahebant; hac imagine igitur jam Dossenni in scriptis comoediis incuria atque negligentia designatur. Soccus erat cruris indumentum, sive calceus humilior, quo utebantur actores comoediarum, hinc soccus ponitur pro comoedia; cothurnus grandior et sublimior, quo tragoediarum. Pulpitum erat locus editior in theatro, ubi symphoniaci versabantur; pro toto theatro sumitur.

17) Cadere dicebantur fabulae, quae spectatoribus parum probatae, explodebantur; stare vero, quae ab initio ad finem cum plausu spectaban-

Quem [18]) tulit ad scenam ventoso Gloria [19]) curru,
Exanimat lentus spectator, sedulus inflat;
Sic [20]) leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum
Subruit, ac reficit! Valeat [21]) res ludicra, si me
Palma negata macrum, donata reducit opimum.
Saepe [22]) etiam audacem fugat hoc terretque poëtam,
Quod numero plures, virtute et honore minores,
Indocti stolidique et depugnare parati,
Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum, aut pugiles: his nam plebecula gaudet.
Verum [23]) equitis quoque jam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos [24]) oculos et gaudia vana.
Quatuor [25]) aut plures aulaea premuntur [26]) in horas;

tur. Metaphora autem deducta est ab homine, qui recto talo stat, everso cadit.

18) Alteras hic addit Horatius causas, quibus fiat, ut poësis dramatica perfecta non sit; et postquam in Plauto negligentiam, in Dossenno avaritiam notavit, alios esse dicit nimis gloriae cupidos; et denique addit plebis insaniam, clamores etc. Sensus: qui scribit fabulas gloriae captandae causa, is unum spectatorem consulit; is, si convenire segniter videat spectatores et fastidire, animo concidit; si vero alacres accurrant, cupideque attendant, effert, inflat se immodice.

19) Gloriae personificatae currus significanter dicitur ventosus.

20) Sensus: adeo parva res est, quae gloriae adpetentem animum dejicit, aut sustollit.

21) Sensus: longe itaque a me absit rei ludicrae, sive fabularum scribendarum studium, si poëtae vita tam inops et macra, quam opulenta in populi aut non faventis aut faventis posita est arbitrio. Reducit opimum, id est, obesum, ovantem laetum. Palma, pro laude. Macrum, id est, tristem.

22) Sententia: saepe audacioris et sublimioris ingenii poëtam a re ludicra repellit et deterret hoc, quod e numero eorum, qui ad spectandum conveniunt, pars multo maxima, dignitate inferior, h. e. indoctum vulgus et stolidum, non raro in media comoedia, poscat spectaculum aliquod, et certamen ferarum aut athletarum, paratum etiam ad arma et verbera venire, si equites et nobiliores spectatores, qui sunt pauciores, discordent, id est, respuant id, quod vulgus petit, malint spectare comoediam, quam ursos et pugiles.

23) Sensus est: verum et ipsi quoque equites jam delectantur magis videndis spectaculis, quam audiendis comoediis et tragoediis; quod ex eo probat, quia ornamenta actorum, vestes, et omnis ejusmodi adparatus magis placebant, quam ipsi versus.

24) Incertos oculos, qui huc illuc curiose circumferuntur in magna rerum contemplandarum varietate.

25) Quatuor, id est: comoedia per horas quatuor aut plures durat, quamdiu nempe aulaea strata jacent.

26) Premuntur, id est, complicantur. Scena sive theatrum obtegebatur

Dum [27]) fugiunt equitum turmae peditumque catervae;
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis;
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves;
Captivum [28]) portatur ebur, captiva Corinthus [29]).
Si foret [30]) in terris, rideret Democritus [31]); seu
Diversum [32]) confusa genus panthera camelo,
Sive elephas albus vulgi converteret [33]) ora:
Spectaret populum ludis attentius ipsis,
Ut sibi praebentem [34]) mimo spectacula plura;
Scriptores [35]) autem narrare putaret asello

aliquo velo, quod demittebatur, et stratum complicatumque humi jacebat, cum actores predibant; attollebatur et explicabatur, finita fabula.

27) Jam Horatius, ut carpat aevi sui ingenium, recenset quaedam, quibus spectandis plebecula inprimis inhiabat, v. g. exercitus inter se decertantes; triumphum in quo reges olim fortunati trahebantur, vinctis post tergum manibus, et rariores in scenam productas bestias etc. Esseda, pilenta, petorrita, sunt Gallica et Belgica vehiculorum genera, quibus in pompa triumphali capti reges reginaeque vel spolia vehebantur. Per naves hic intelliguntur rostra navium captarum, vehiculis imposita.

28) Captivum ebur; intellige variam suppellectilem affabre ex ebore factam.

29) Captiva Corinthus, de more, quo simulacra captarum urbium in triumpho praeferri, et ostendi solebant, vix accipiendum videtur. Posuit fortasse Horatius Corinthum ut urbem opulentissimam, non praestantiore aere tantum et statuis inde effictis nobilem, sed et multarum rerum copia abundantem; itaque per captivam Corinthum splendidissima et pretiosissima quaeque intelligenda veniunt.

30) Si foret in terris, id est, si viveret.

31) Democritus fuit philosophus, Abderae natus, qui ex omnibus ridendi ansam captabat, ut Heraclius flendi. Vide L. I. Ep. 12. vers. 12. Sensus et ordo: risum certe non teneret, videns plebem ore converso et hiante spectantem seu camelopardalim, seu album elephantem; attentius multo contemplaretur plebem, quam spectaculum, et plus voluptatis caperet ex hac curiositate ejus, quam ex ipsis ludis.

32) Diversum genus confusa panthera camelo; est poëtica circumscriptio camelopardalis, quae est genus quoddam diversum a panthera et camelo, ex utroque tamen confusum et mistum.

33) Vulgi ora converteret; quod enim animo intento spectamus, in illud vultum convertimus, ac proinde spectaculum hoc convertit, id est, efficit, ut in illud convertamus ora nostra.

34) Praebentem spectacula plura; id est, populum, qui jucundius ipsi spectaculum esset, quam mimus quilibet. Erat autem mimus histrio, qui ridiculos gestus edebat, vel scurrilia et jocularia, oblectandis spectatoribus inferri solita inter actus singulos comoediae.

35) Narrare asello fabellam surdo, est proverbium, quod dicitur de iis, qui narrant quid non audientibus, et desumtum est ex Graeco: ονῳ τις

Fabellam surdo: nam [36]) quae pervincere voces
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum [37]) mugire putes nemus, aut mare Tuscum:
Tanto cum strepitu ludi spectantur et artes,
Divitiaeque peregrinae, quibus oblitus actor
Cum stetit in scena, concurrit [38]) dextera laevae.
Dixit adhuc aliquid? Nil sane. Quid placet ergo?
Lana [39]) Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne [40]) forte putes me, quae facere ipse recusem,
Cum recte tractent alii, laudare maligne;
Ille per extentum funem mihi posse videtur

ελεγε μυθον, ὁ δε τα ωτα εκινει: narrabat quis asino fabulam, et hic auribus nutavit. Ac proinde sensus: stuperet Democritus, videns, populum unice intentum spectaculis theatri, inconditosque clamores edentem, non audire versus praeclaros poëtarum, qui ab actoribus recitantur in comoedia vel tragoedia. Per spectacula theatri intellige pretiosas vestes, gemmas, et alia, quae ad oculorum oblectamentum pertinent, de quibus infra not. 37.

36) Sensus: nam quis histrio ita vocem intendere potest, ut pervincat populi in theatris nostris tumultuantis strepitum et clamores? h. e. quis prae ingente strepitu in theatris nostris histrionum verba auribus percipere potest.

37) Garganus est mons in Apulia, silvosus, ubi ventorum fremitus, et arborum stridor est vehementior. De mari Tyrrheno vide L. I. od. 10. not. 7. Sensus: credas te audire ventos in monte Gargano, aut in mari Tyrrheno mugientes; tantus editur strepitus, quoties luditur in theatris nostris, adparentque actores in pretiosis vestibus, et arte hactenus Romae incognita elaboratis; vix enim prodiit e scena actor illis indutus, cum manibus undique plauditur, non quod praeclarum aliquid dixerit, qui adhuc tacet; sed quod admirationi sit purpura Tarentina violas referens, qua vestitus processit. Artes hic esse videntur ornamenta arte elaborata, quae vel in scena, vel in vestitu histrionum conspiciuntur. Divitiae peregrinae, sunt purpura, gemmae, margaritae, aurum etc. Oblitus, pro obtectus, indutus; cum contemtu nimiae magnificentiae.

38) Concurrit dextra laevae, pro simplici: statim plauditur; manus enim, cum plaudimus, concurrunt et colliduntur.

39) Lana, id est, vestis confecta e lana, quae Tarenti tincta est purpurae colore praestantissimo, violaceum fere colorem referente. Venenum ponitur etiam pro quolibet liquore, succo, quo lanae color inducitur. De Tarento, urbe in Italia inferiore maritima, saepius jam sermo fuit.

40) Sensus et ordo: ne forte putes, Auguste, me non sine invidia aliqua maligne, id est, parce laudare poëtas comicos et tragicos, quia recuso, h. e. non possum facere, quod alii recte faciunt, nempe comoedias et tragoedias; jam dicam quod sentio: ille poëta, qui pectus meum inaniter, h. e. in re ficta angit tanquam vera, qui animum ad iram incitat, aut eum suaviter mulcet, delenit; qui, ut magus et praestigiator, non veris, sed falsis terroribus ludit; qui me ita afficit, ut Thebis, si res agitur Thebis,

Ire poëta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus, et modo me Thebis [41]), modo ponit Athenis.
Verum [42]) age et his, qui se lectori credere malunt,
Quam spectatoris fastidia ferre superbi,
Curam [43]) redde brevem, si munus [44]) Apolline dignum
Vis complere libris et vatibus addere calcar [45]),
Ut studio majore petant Helicona virentem.
Multa [46]) quidem nobis facimus mala saepe poëtae,
(Ut vineta [47]) egomet caedam mea) cum tibi librum
Sollicito [48]) damus, aut fesso; cum laedimur [49]), unum
Si quis amicorum est ausus reprêndere versum;
Cum loca jam recitata revolvimus [50]) irrevocati;
Cum lamentamur, non apparere [51]) labores

Athenis, si res agitur Athenis, mihi versari videar, ille inquam poëta mihi rem adeo difficilem perficere posse videtur, ac is, qui per extentum funem incedit; brevius: poëta, qui spectatores in rem, quam tractat, ita rapit, ut ipsi ei interesse videantur, et, quidquid agitur, toto animo sentiant, is poëtae comici vel tragici artem tenet.

41) Thebae et Athenae sunt urbes Graeciae. Geogr. Antiq.

42) Sensus: verum age, o Auguste, his quoque poëtis, qui legi, quam spectari malunt, qui nempe epico scribendi generi operam suam impendunt (ad hoc scribendi genus refertur enim etiam poësis lyrica) breve tempus consecra, si bibliothecam in templo Palatini Apollinis novis libris augere, et poëtas, ut majore studio carminibus scribendis vacent, favore tuo impellere et excitare vis. Per fastidia intelliguntur reprehensiones spectatoris superbi, arrogantis.

43) Curam redde brevem. Horatius Augustum, qui unice adhuc spectandis comoediis et tragoediis deditus fuisse videtur, monet, ut legendis carminibus breve tempus impendat.

44) Munus Apolline dignum, id est, bibliotheca a te aedificata et Apollini consecrata.

45) Calcar, stimulus, animus. Helico, Boeotiae mons, Musis sacer.

46) Multa malla, intellige ea, quae poëtae importune, inepte, et praepostere faciunt, haec nunc enarrat.

47) Sensus: ut contra me ipsum disputem, ut me quoque adcusem, qui agam id, quod in aliis reprehendo; nam qui sua ipsius vineta caedit, ipsimet sibi nocet.

48) Sollicito, occupato negotiis; ac proinde: intempestive damus.

49) Cum laedimur, id est, cum aegre ferimus. Reprêndere, pro: reprehendere, improbare.

50) Revolvimus irrevocati, id est, non jussi sed sponte iterum recitamus.

51) Non apparere, id est, opera nostra non in lucem produci, et celebrari, non justo pretio aestimari. Sensus est: non intelligi, quantum la-

Nostros, et tenui deducta poëmata filo;
Cum speramus, eo rem venturam, ut, simulatque
Carmina rescieris nos fingere [52]), commodus [53]) ultro
Arcessas, et egere [54]) vetes et scribere cogas [55]).
Sed [56]) tamen est operae pretium cognoscere, quales
Aedituos [57]) habeat belli spectata domique
Virtus, indigno non committenda poëtae. —
Gratus Alexandro regi magno fuit ille
Choerilus [58]), incultis qui versibus et male natis
Retulit acceptos, regale nomisma, Philippos.
Sed veluti [59]) tractata notam labemque remittunt
Atramenta, fere scriptores carmine foedo
Splendida facta linunt. Idem [60]) rex ille, poëma

boraverimus, et quam sint subtilia et delicata, quae scripsimus poëmata. Metaphora deducta est a tela subtiliter texta.

52) Fingere, facere, componere.

53) Commodus dicitur, qui facit, quod nobis gratum et acceptum est; benignus, liberalis.

54) Qui poëtam egere vetat, ei donat, unde vivat; ac proinde: opibus augeas.

55) Cogas, imperes; ejusmodi mandatum enim poëtis non ingratum fuit.

56) Sensus: nihilominus tamen summe expedit, aequum est te intelligere, et bene perpendere ac proinde, non penitus negligere eos, qui tuae virtutis possint esse aeditui, id est, qui tuas res praeclare domi et militiae gestas possint conservare scribendo; hoc enim qualiscunque poëta non potest pro merito facere.

57) Aeditui sunt, quibus rerum sacrarum custodia demandatur et cura. Vult ergo virtutem Caesaris ejusque famam res sacras esse, quae nonnisi dignis aedituis curandae ac custodiendae committi debeant, hoc est, quas soli tractare debeant poëtae praestantissimi, non autem Choerilus aliquis poëta malus, in quo parum existimationi suae cavit Alexander.

58) Choerilus fuit malus poëta, qui in Alexandri magni, Macedoniae regis, cui gratus erat, comitatu fuit. Pro versibus rudibus, et sinistro Apolline, id est, crassa Minerva factis, Philippos, nummos aureos, regis Philippi imagine insignitos, accepit. Fuit autem Philippus Alexandri magni pater. Si porro verum est, quod dicitur, Alexandrum M. Choerilo dixisse, se malle Thersiten esse Homeri, quam Choerili Achillem profecto Alexander, oblatis pro malis versibus Philippis, idem fecisse videtur, quod Sulla, qui, ut refert Cic. Arch. c. 10, malo cuidam poëtae praemium dari jussit hac conditione, ne quid postea scriberet. Fuit Thersites Graecus ex Aetolia, profectus ad Trojam, nobilis, sed deformissimus et ignarus; ab Achille pugno necatus est. Vide Ep. ad Pis. vers. 357.

59) Sensus: sic enim fere fit, ut, sicut atramenta tractantium manibus labem adspergunt, ita insulsae laudationes illustribus factis adhibitae, ea commaculent.

60) Nexus idearum: et quod mirandum est, idem ille rex etc. Hic enim

Qui tam ridiculum, tam care prodigus emit,
Edicto vetuit, ne quis se praeter Apellen
Pingeret, aut alius Lysippo duceret aera
Fortis Alexandri vultum simulantia [61]). Quod [62]) si
Judicium subtile videndis artibus illud
Ad libros et ad haec Musarum dona vocares,
Boeotûm [63]) in crasso jurares aëre natum.
At [64]) neque dedecorant tua de se judicia, atque
Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt,
Dilecti tibi Virgilius Variusque poëtae;
Nec [65]) magis expressi vultus per ahenea signa,
Quam per vatis opus, mores animique virorum

latet admiratio, quomodo fieri potuerit, ut unus idemque rex, qui a nemine nisi a perfectissimo pictore Apelle, Coo, et a nullo alio, nisi a praestantissimo statuario Lysippo, Sicyonio, aere effingi voluit, ineptos et ridiculos versus Choerili regali munificentia ornaret. Mira autem arte Horatius hoc Alexandri exemplo viam sibi munit ad celebrandum Augustum, ut virum, rectius de pretio bonis poëtis statuendo judicantem.

61) Simulantia aera, id est, statua ex aere, imaginem Alexandri repraesentans.

62) Sententia est: quod si judicium illud Alexandri, subtile ad aestimanda peritorum artificum opera, vocares, traduceres, transferres ad libros, et ad dijudicanda poëtarum opera; si comparares Alexandrum judicantem de tabulis pictis et statuis, cum Alexandro judicante de versibus; diceres illum imperitum in aestimandis versibus, et tam stupidum, quam sunt Boeotii; adeo prave de his judicabat, qui tanti faceret Choerilum, insulsum poëtam; in quo tu Alexandrum longe superas, dum Virgilium et Varium, optimos poëtas, magni facis. Videndis, id est, dijudicandis. Carmina vocat, Musarum dona.

63) Boeotios olim pro stupidis habitos esse constat; stupiditatis vero causam Horatius confert in crassam aëris adfectionem.

64) At tu Auguste, probe tenes, quid distent aera lupinis; non enim dedecorant tua de se judicia, imo laudi tibi et honori sunt, Virgilius nempe et Varius, dum tales sunt re vera, quales esse illos praeclare judicasti; ornant tua munera, quia dignis fuisse collata ostendunt. Tulerunt, acceperunt. Multa dantis cum laude: haec verba duplici modo explicari possunt, aut: dum illi te, qui munera das, multa laude celebrant; vel: dum tu muneribus, quibus illos ornas, multam simul laudem addis, et sic, dantis, eleganter pro, tua, est positum.

65) Nexus sententiarum et sensus: profecto enim non melius per statuas repraesentari virorum illustrium imagines; quam eorundem mores et virtutes versibus exprimi possunt. Vide L. IV. od. 7. vers. 13 — 20, ubi in hanc rem dicit Horatius: Non incisa notis marmora publicis (per quae spiritus et vita redit bonis post mortem ducibus) clarius indicant laudes, quam Calabrae Pierides.

Clarorum apparent. Nec [66]) sermones ego mallem
Repentes [67]) per humum, quam res componere gestas,
Terrarumque [68]) situs et flumina dicere, et arces [69])
Montibus impositas, et barbara [70]) regna, tuisque
Auspiciis totum confecta duella [71]) per orbem,
Claustraque [72]) custodem pacis cohibentia Janum,
Et formidatam [73]) Parthis te principe Romam,
Si, quantum cuperem, possem quoque; sed [74]) neque parvum
Carmen majestas recipit tua, nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.
Sedulitas [75]) autem, stulte, quem diligit, urget,
Praecipue cum se numeris commendat et arte:
Discit enim citius meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.
Nil [76]) moror officium, quod me gravat, ac neque ficto
In pejus vultu proponi cereus usquam,
Nec prave factis decorari versibus opto:

66) Sensus et ordo: ego certe, si par adesset voluntati facultas, mallem res a te gestas dicere et versibus celebrare (sequitur nunc enumeratio) quam stylo pedestri, nec longe supra vulgarem modum adsurgente, sermones, id est, satyras scribere.

67) Repentes per humum, id est, scriptas stylo simplici et pedestri; intelligit autem satyras et epistolas.

68) Terrarum situm, quas victoriis illustrasti; et flumina seu fluvios, quos superasti.

69) Arces altissimas, quas expugnasti; alii, quas montibus altissimis inaedificaveras ad imperii fines muniendos.

70) Barbara regna, a te subacta, et ditioni Romanae adjecta.

71) Duella, id est, bella, tuis auspiciis, tuo ductu per universum terrarum orbem feliciter pugnata et finita.

72) Claustraque, id est, portas templi Jani a te clausas. Aperiebatur, dum bellum erat; confecto bello claudebatur. Vide L. IV. od. 13. not. 7.

73) Respicit hoc ad signa Romanis restituta a. u. 734. Vide arg. L. III. od. 5. Post hunc annum igitur scripta esse debebat haec epistola.

74) Sensus: sed neque humile carmen fastigio, majestatique tuae convenit; nec patitur me verecundia, rem attentare viribus meis tanto intervallo majorem.

75) Sensus: stulta autem est officiosa ista sedulitas (nostris Zudringlichkeit) qua quis ei, quem diligit, patrono nempe suo se obtrudit, stulte enim urget, aggravat, vexat, onerat potius hunc, quam ornat, praecipue cum se illi probare et commendare studet, versus faciendo in ejus laudem; nam patronus hic, quae sunt ridicula in ejusmodi carmine citius discit, arripit, animadvertit, et lubentius in memoria tenet, quam ea, quae probat et laudat.

76) Jam Horatius talem patronum, cui molesta est ista carminibus se commendantium sedulitas, loquentem inducit. Sensus et nexus: certe dicet ejusmodi patronus: Ego nihil moror, reprobo istud officium, istam sedulitatem, quae mihi molesta est; et sicut ego non vultu depravato in cera effingi et proponi, ita nec prave factis versibus celebrari volo; ne, donatus pingui munere, id est, carmine pingui Minerva facto, rem pudendam experear, et in arca aperta porrectus una cum poëta meo deferar in vicum, ubi in tabernis venduntur thus et res odoriferae, et piper, et quidquid mercium chartis inutilibus involvitur.

Ne rubeam [77]) pingui donatus munere, et una [78])
Cum scriptore meo capsa porrectus [79]) aperta
Deferar in vicum, vendentem thus et odores,
Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis [80]).

Epistola II.

Ad Julium Florum.

Occasio et argumentum.

Duae exstant Horatii ad Julium Florum epistolae. Altera, quae tertia ponitur libri prioris scripta a. u. 734, et praesens ista, quae pertinere videtur ad annum 743; sic enim persuadent, quae hic ipse poëta scribit de provecta aetate sua, et expeditio Pannonica, anno superiore suscepta atque praesente continuata a Tiberio, quocum fidelem amicum ivisse indicant versus 20 et 21. Dixi me pigrum proficiscenti tibi; dixi talibus officiis prope mancum etc. Hinc enim intelligimus abeuntem cum Tiberio Florum rogasse Horatium, ut saepe ad se scriberet, quod cum ille dudum non faceret, questus est tandem Florus de diuturno silentio unius fere anni; et ad hanc Flori querimoniam respondet haec epistola ab initio statim breviter; tum excusat se poëta quod, quos tamen etiam promiserat, neque versus lyricos

77) Rubeam, pudore adficiar.

78) Una; in eodem enim libro est nomen scriptoris, et ejus, qui scribitur vel laudatur.

79) Porrectus. Laudatus a malo poëta una cum laudatore suo in aperta arca jacet porrectus, h. e. omnium conspectui, quantus est, expositus. Aperta: autem adposite; quia res inutiles et nullius fere momenti poni et portari solent in capsis apertis.

80) Chartae dicuntur ineptae, quae, quia ineptias suas iis mandavit malus poëta, mercibus amiciendis, involvendis inserviunt.

adhuc miserit, asserens: se non amplius, ut quondam, paupertate sua ad versus faciendos adigi; tum diversissima poëmatum genera a se expostulari, ita, ut, quibus satis faciendum sit, nesciat; dein tumultum Romae nimis magnum atque negotia omnino plurima impedire poëtam, qui solitudinem et quietem amat: imo ipsum quoque ingentem poëtarum numerum, eorumque ambitiones laudis se a versibus scribendis deterrere; bonum porro carmen multum laboris, magnumque temporis dispendium requirere; suos autem versus nonnisi nugas esse et res ludicras, quas, provectiori jam cum sit aetate, dimittere, philosophiaeque praeceptis operam dare oporteat: et ex his praeceptis demum ea subjungit saluberrima, fusiusque pertractat, quae nos sapienter et feliciter vivere doceant.

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni [1]),
Si quis forte velit puerum [2]) tibi vendere natum
Tibure [3]) vel Gabiis, et tecum sic agat [4]): „Hic et
„Candidus [5]), et talos a vertice pulcher ad imos,
„Fiet [6]) eritque tuus nummorum [7]) millibus octo,
„Verna [8]) ministeriis ad nutus aptus heriles,
„Litterulis [9]) Graecis imbutus, idoneus arti
„Cuilibet: argillā [10]) quidvis imitaberis uda;
„Quin [11]) etiam canet indoctum, sed dulce bibenti.

1) Claudius Tiberius Nero, qui Augusto successit.

2) Puerum, servum.

3) Tibur, Gabii: Italiae urbes, de quibus saepius jam dictum.

4) Agat, loquatur; tibi vernam his verbis et hac commendatione mercandum offerat.

5) Candidus, non ad animum, sed ad candidum corporis colorem est referendum.

6) Fiet eritque tuus, id est, tuis manibus tradetur.

7) Nummorum millibus octo; sestertios intelligit 8000. De sestertio vide L. II. sat. 3. not. 19.

8) Sensus: puer iste verna, id est, servus domi meae natus, aptus est ad quodlibet ministerium obeundum ad heri nutum et arbitrium.

9) Romani Graecas litteras discebant, unde cariora erant mancipia, quae Graece scirent.

10) Id est: tanquam ex argilla, quodcunque tibi placuerit, effinges ex eo. Comparatur servus cum argilla, ex qua figulus pro lubitu fingit vasculum.

11) Sensus: canet etiam, sed indocte, parum musice; ea tamen voce, quae tibi bibenti, epulanti non insuavis esse videatur. Indoctum: neutrum pro adverbio.

„Multa [12]) fidem promissa levant [13]), ubi plenius aequo
„Laudat venales, qui vult extrudere, merces;
„Res urget me nulla: meo sum pauper in aere.
„Nemo hoc mangonum faceret tibi; non temere a me
„Quivis ferret [14]) idem; semel hic cessavit, et, ut fit,
„In scalis latuit, metuens [15]) pendentis habenae.
„Des nummos, excepta [16]) nihil te si fuga laedit:"
Ille [17]) ferat pretium, poenae [18]) securus, opinor.
Prudens emisti vitiosum: dicta tibi est lex.

12) Sensus: scio quidem iis venditoribus non facile credi, qui multa et mira de suis mercibus promittunt ac praedicant, quo facilius nimirum eas extrudant, id est, vendant; ego autem talis non sum, nulla me res cogit hoc mancipium vendere; pauper sum quidem, at quod habeo meum est, nihil cuiquam debeo. Certe nemo alius Mango (est mancipiorum venditor) ita tecum ageret; tam candide, quam ego, vitia mancipii tibi aperiret; nec facile ipse cum alio quolibet emtore sic agerem: hic enim puer semel cessavit, segnis fuit, non obtemperavit mihi imperanti, et, pro more servorum, cum metueret, ne suspenso loro vapularet, fugit, ac latuit; si te non offendit ejus haec fuga, et cessatio, quam a me vides excipi ex ejus aliis laudibus, et merito reprehendi, dare nummos indicatos jam potes, et emere.

13) Levant, minuunt, abrogant venditori, faciunt, ne tam facile ipsi credatur. Emtor enim venditori suas merces plus nimis venditanti, laudanti minorem fidem habere solet. Plenius aequo, id est, plus justo.

14) Ferret, obtineret, extorqueret; nempe ut tam levi pretio ejusmodi mancipium venderem.

15) Plures ita jungunt: metuens habenae, pendentis in scalis, latuit; alii autem sic: metuens pendentis habenae, in scalis latuit, tenebricosus enim locus sub scalis opportunus est sese occultaturis. Habenae, scuticae, lori; pendentis, quae nempe semper suspensa adest.

16) Excepta fuga, id est, fuga quam a laudibus ejus excepi; dixi enim, servum omni vitio carere, praeterquam, quod semel fugerit.

17) Jam sequitur apodosis; oratio enim cohaeret sic: Si quis tibi vendat puerum, et, si qua ei adhaerent vitia, ea te haud celet, equidem te ei de emtionis pretio haud litem intendere posse, existimo; nam tu sciens volensque emisti puerum vitiosum. Num tu nihilominus Mangonem in jus vocabis? par ratio est mihi tecum; ego tibi proficiscenti aperte dixi, me esse lentum epistolarum scriptorem, et tu nihilominus mecum de eo, quod tibi non scripsi, expostulas?

18) Poenae securus: cautum erat, ut qui venderet servum, occulta ejus vitia manifesta faceret emtori; alioqui jus erat aut reddendi vitiosum servum, aut damni a venditore repetendi, aedilitia lege. Qui autem vitiosum quidem servum, sed vitium illius declarans et exponens, vendidit, ad nihil tenebatur; adeoque poenae securus poterat talis venditor ferre, accipere pretium, id est, pecuniam. Prudens, id est, sciens. Dicta tibi est lex, conditio.

Insequeris tamen hunc et lite [19]) moraris iniqua?
Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
Talibus officiis prope mancum [20]): ne mea saevus
Jurgares, ad te quod epistola nulla veniret.
Quid [21]) tum profeci, mecum facientia jura
Si tamen attentas? Quereris super hoc etiam, quod
Expectata [22]) tibi non mittam carmina mendax.
Luculli [23]) miles collecta viatica [24]) multis
Aerumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat; post [25]) hoc vehemens lupus et sibi et hosti
Iratus pariter, jejunis dentibus acer,
Praesidium regale loco dejecit, ut ajunt,
Summe munito et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum donis ornatur honestis;
Accipit et bis dena super sestertia nummûm.
Forte sub hoc tempus castellum [26]) evertere praetor [27]),

19) Lite moraris iniqua, breviter et eleganter, pro: nihilominus praeter jus et aequitatem litem de solvenda pecunia movendo, et sic moras nectendo eum vexas, eique facessis negotium?

20) Mancum, id est, manibus quasi destitutum ad obeunda talia officia, ad scribendas litteras; ac proinde ineptum.

21) Quid tum profeci, vitium meum nempe candide aperiendo, id est, quid mihi profuit libera pigritiae meae in scribendis litteris professio, si nihilominus de iis, quae tecum depactus sum, me impugnas? Mecum facientia jura, id est, jus, quod mihi favet, mecum, a mea parte stat; attentas; vis labefactare, oppugnas.

22) Exspectata, id est, promissa. Mendax significantius, pro: ego.

23) Lucullus vixit eodem, quo Cicero, Pompejus etc. tempore; bellum cum Mithridate, Ponti in Asia rege, gessit, et cum Tigrane.

24) Viatica: bona, quibus sustentatus reliquae vitae spatium decurreret. Collecta, tam ex acceptis stipendiis, quam ex praeda facta. Multis aerumnis, quae militi in bello exantlandae sunt. Ad assem, usque ad ultimum teruncium, nihil ut superesset.

25) Sensus: ea re efferatus in rabiem, et lupo similis, cui voracissimi ventris inanitas dentes in praedam acuit, vix sese ferens, et furore in hostem percitus, praesidium regale, id est, Mithridatis milites aliquot in praesidio positos, loco, ut narrant, munitissimo, et multis opibus referto, deturbavit. Quo insignis facinore fortitudinis primum notis illustribus cohonestatus, id est, laudatus, deinde etiam bona pecuniae summa donatus est, numeratis 20 millibus nummorum sestertiorum. De sestertio vide ut supra not. 7.

26) Castellum, id est, arcem quamdam hostilem.

27) Praetor: ductor exercitus; qui enim magistratus in urbe jus reddebat, idem etiam in exercitu praeerat, et praetor utrobique vocabatur; ab hoc etiam ducis tabernaculum praetorium dicebatur.

Nescio quod, cupiens, hortari coepit eundem
Verbis, quae timido quoque possent addere [28]) mentem:
„I [29]), bone, quo virtus tua te vocat; i pede fausto,
„Grandia laturus meritorum praemia! Quid stas?"
Post [30]) haec ille catus, quantumvis rusticus: „Ibit,
Ibit eo, quo vis, qui zonam [31]) perdidit," inquit.
Romae [32]) nutriri mihi contigit, atque [33]) doceri,
Iratus Grajis quantum nocuisset Achilles.
Adjecere [34]) bonae paulo plus artis Athenae,
Scilicet ut possem curvo [35]) dignoscere rectum,
Atque inter silvas Academi [36]) quaerere verum.
Dura [37]) sed emovere loco me tempora grato,

28) Addere mentem, id est, animum ad fortiter pugnandum.

29) Verba Praetoris. Bone; vox blandientis est. Quid stas? id est, quid dubitas?

30) Sensus: miles ille Luculli, quamvis rusticus, tamen catus, id est, vafer et prudens, post hanc orationem praetoris ita respondit: ibit eo, quo jubes, qui opes et viatica amisit, ego qui jam praeda sum onustus, non ibo. Hoc in se transfert Horatius: Ita et ego alias versus faciebam lucri causa, nunc locuples factus, nolo istum laborem sumere.

31) Zonam, id est, crumenam, quia in zonis crumenas gestare solebant.

32) Jam Horatius disciplinae rationem, qua educatus et institutus vir doctus et poëta evaserit, breviter enarrat. Comparandus est hic locus cum satyra 6. L. I. ubi Horatius a vers. 71. summam curam, quam pater in se educando, atque erudiendo, pio gratoque pectore commemorat, atque extollit. Nutriri, pro: educari. Sat. 6ta ait: Sed puerum est ausus (pater) Romam portare docendum artes, quas doceat quivis eques atque senator semet prognatos.

33) Atque doceri, iratus Grajis quantum nocuisset Achilles, pro vulgari: atque lectione Homeri imbui, nam per Achillis iram Iliadis argumentum designatur. Continet enim Ilias maxime damna per Achillis iram Graecis importata, cum ille Agamemnoni ob ereptam Briseidem infensus a bello abstinuit, Hectore Graecos ubique profligante, quem postea idem Achilles cum Patrocli amici sui mortem ulturus bellum repetiisset, interfecit; capta est paulo post Troja. Vide L. I. Ep. 2.

34) Adjecere, id est, bonas artes, philosophiam scilicet Athenis in Graecia didici. Vide Horatii vitam.

35) Philosophiae ars vel scientia in distinguendo vero a falso versatur: curvum, igitur idem ac, falsum.

36) Fuit Academus civis Atheniensis, qui suburbanum pulcherrimis arboribus consitum locum philosophiae studiosis donavit, in quorum gratiam etiam porticum addidit, ut inter disputandum, cum liberet, deambularent: hinc Academiae et Academicis factum nomen.

37) Dura tempora, id est, tempora infausta, bella civilia inter Augustum et Caesaris percussores. Emovere, id est, relinquere coëgerunt Athenas, ubi suaviter delitescebam. Brutus enim Horatium ad militiam pertraxit.

Civilisque [38]) rudem belli tulit aestus in arma,
Caesaris [39]) Augusti non responsura lacertis.
Unde simul [40]) primum me dimisere Philippi [41]),
Decisis [42]) humilem pennis, inopemque paterni
Et Laris [43]) et fundi, paupertas impulit audax [44]),
Ut versus facerem. Sed [45]), quod non desit, habentem,
Quae poterunt unquam satis expurgare cicutae,
Ni melius dormire putem, quam scribere versus?
Singula [46]) de nobis anni praedantur euntes;

38) Civilis aestus, id est, civium ardor et furor; rudem, pro: artis bellicae adhuc imperitum.

39) Id est: arma non paria futura Caesaris Augusti lacertis, nempe robori et viribus.

40) Simul primum pro: simul ac. Sensus: ex eo Philippensi proelio uti emersi, dignitate et opibus, quibus superbiebam, spoliatus, dejectus insuper domo paterna, bonisque omnibus per proscriptionem, inops pecuniae, consiliique, tentare carmina coactus sum.

41) Philippi, urbs Graeciae in Thessaliae campis, ubi victus est Bruti et Cassii exercitus. Cum Horatius post funestam illam pugnam in celeri fuga quaesivisset salutem, lepide jam, Philippos se dimisisse, ait. Vide etiam L. II. od. 5.

42) Qui ex loco altiore dejectus est in humiliorem, vel ex sorte laetiore depressus est ad tristiorem, ei proverbiali locutione, in vernacula quoque apud nos usitata, pennae vel alae decisae esse dicuntur. Humilem, id est, ad paupertatem redactum.

43) Lar positus est pro domo.

44) Paupertas audax dicitur, quia pauperes ad famem pellendam tentant et audent omnia.

45) Sensus: sed nunc me possidentem, quantum satis est, nisi in hac rerum mearum conditione quieti indulgere, quam versus scribere malim, quae tandem unquam cicutae ab insania poëtica me satis purgare poterunt? brevius: sed, cum nunc habeam, quantum opus est, nisi vitam otiosam et inertem poëseos studio praeferam, nunquam ab insania poëtica curari potero. Cicuta est herba (Schierling) cui inest vis frigoris, quo calor sanguinis exstinguitur, h. e. poëtarum fervor, et aestus. Expurgare, id est, liberare calore, cicutae frigore in pectore extincto.

46) Postquam Horatius Floro suo, qui frustra adhuc promissa ab eo carmina expectaverat, se, cum sibi nunc suppetat unde vivat, omne carminum scribendorum abjecisse studium significavit (quamquam Horatius, dum se carmina in posterum scribere velle negat, hoc ipsum carmen scripsit) nunc alias subnectit causas, ex quibus poësis apud se nunc frigeat; primum quidem, quod cum aetate mutetur animus, non placent enim aetate provectiori, quae puerili et juvenili placuere; deinde, quod pro diversis hominum ingeniis non cuique probentur poëtarum diversi generis carmina; alius hoc alius illo carminum genere delectatur; tum quod sibi in urbe viventi tot curae et negotia per caput et circa latus saliant, tantusque in

Eripuere jocos, Venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poëmata. Quid [47]) faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur amantque:
Carmine [48]) tu gaudes, hic delectatur jambis;
Ille Bioneis [49]) sermonibus et sale nigro.
Tres [50]) mihi convivae prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid [51]) dem? quid non dem? Renuis tu, quod jubet alter;
Quod petis, id sane est invisum [52]) acidumque duobus.
Praeter [53]) caetera me Romaene poëmata censes
Scribere posse, inter tot curas, totque labores?
Hic sponsum [54]) vocat, hic auditum scripta, relictis
Omnibus officiis; cubat [55]) hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino, visendus uterque;
Intervalla vides humane [56]) commoda. — Verum [57])

platea sit strepitus atque tumultus, ut libero animo carminibus scribendis vacare non possit etc. Singula, id est, unum post alterum. Sensus: ad haec anni, dum defluunt, aliquid semper a nobis auferunt: sales primum et jocos a me abstulerunt, deinde amores, tum voluptatem convivandi atque ludendi, ac demum, quod unum supererat, scribendorum versuum propensionem eripere mihi conantur.

47) Sensus: quid me suscipere, quale carminum genus me tractare jubes? sequitur hic secunda ratio, quod nempe diversis hominibus diversa carmina placeant.

48) Carmine lyrico, vel epico. Jambis scribebantur comoediae.

49) Bioneis sermonibus; intellige satyras acerbissimas, quas scripsisse dicitur Bion Borysthenes, philosophus Cyrenaicus. Nigro, refer ad satyrae qua quis perfricatur, acerbitatem.

50) Sensus: illi quidem, qui diversis carminum generibus delectantur, prope mihi dissentire videntur, veluti tres convivae etc. particula comparationis iterum omissa est, id, quod Horatio frequens. Palato, pro: gustu.

51) Quid dem? id est: Quid igitur illis adponam? sicut supra: Quid faciam vis? quale genus carminis me scribere jubes?

52) Invisum, id est, injucundi saporis.

53) Praeter caetera, id est, praecipue: sequitur ratio tertia, vide supra not. 46.

54) Sensus: alius me vocat, ut relictis rebus omnibus pro eo sponsum (spondet enim, qui vadimonium suscipit) alius, ut scripta, quae recitaturus est, auditum veniam.

55) Cubat, id est, alius quidam aegrotat procul in colle Quirinali, alius in extrema parte montis Aventini. Duo isti montes, seu regiones Romae, admodum disjuncti erant.

56) Humane, id est, belle commoda. Ironice est summendum pro: vides intervalla molesta sane et valde incommoda homini, viam inter collem Quirinalem et Aventinum emetienti.

57) Jam Florum, vel quemcunque alium loquentem inducit: Dicet for-

Purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet. —
Festinat[58]) calidus mulis gerulisque redemtor;
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum,
Tristia[59]) robustis luctantur funera plaustris;
Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus:
I nunc, et versus tecum meditare canoros[60]).
Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes,
Rite[61]) cliens Bacchi, somno gaudentis et umbra:
Tu[62]) me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere et contracta sequi vestigia vatum?
Ingenium[63]), sibi quod vacuas desumsit Athenas,
Et studiis annos septem[64]) dedit, insenuitque[65])

tasse aliquis: verum via in plateis libere patet, ut neutiquam praetereuntium meditationes interrumpantur, id est, etiam circumeundo in plateis versus facere posses. Plateae purae vel liberae, purgatae ab iis, quae viam praetereuntibus intersepiunt.

58) Non sunt liberae, Horatius respondet, ab impedimentis, plateae: festinat calidus redemtor, id est, operis alicujus conductor, ita dictus, quia id faciendum certo pretio in se recipit. Calidus, qui fervido studio insistit laboribus. Geruli, id est bajuli, famuli oneribus gestandis inservientes. Sensus: passim occurrunt operum conductores, cum mulis et bajulis fervide operi insistentes; hoc loco saxum, hoc vero trabs machinae magno molimine in altum tollitur; concurrit hic funebris pompa cum ingentibus plaustris et curribus; hac canis in rabiem acta, hac sus lutosa irruit.

59) Tristia etc. pompa funerum enim, cum in plaustra viam intercludentia incidit, e via cedendo et declinando cum illis quasi luctatur. Robusta, grandiora firmiora; nos: Lastwagen. Fugit, pro: currit.

60) Versus canoros, id est, numerosos et bene sonantes.

61) Rite cliens Bacchi, id est, solemniter inter Bacchi asseclas receptus; vel: exemplo Bacchi, Dei sui, qui umbra plurimum et somno delectatur.

62) Id est: tu vis, ut ego canam etc. Contracta, angusta; non in viis publicis et locis patentibus. Vestigia enim poëtarum, qui, ut modo dictum est, urbis strepitum fugientes, in nemoribus et locis umbrosis, ubi carmina meditentur, sese abscondere solent, in remota, et angusta loca contrahuntur.

63) Nexus et sensus: saepe fit, ut etiam ingeniosus, qui facilius humanioribus daturus operam litteris, secessit Athenas, urbem vacuam et tranquillam, postquam ibi per annos septem in studia incubuit, librorumque diuturna lectione curisque jugibus se maceravit, parum tamen proficiat, imo sic hebes et imperitus redeat, ut non plus, quam statua, loqui possit, et populo risum praebeat; quonam igitur pacto ego inter tot fluctus curarum, inter tot rerum urbanarum procellas, totque impedimenta versus componere audeam lyricos?

64) Septem anni studiis humaniarum litterarum et philosophiae Athenis impendi debebant ab iis, qui studiorum causa hanc urbem petebant.

65) Insenuit libris, eleganter pro: et tempus consumsit, vel aetatem transegit legendis in libris, et meditationibus.

Libris et curis, statua taciturnius exit[66])
Plerumque, et risu[67]) populum quatit; hic ego rerum
Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis
Verba[68]) lyrae motura sonum connectere digner[69])? —
Frater[70]) erat Romae consulti rhetor, ut alter
Alterius sermone meros audiret honores,
Gracchus[71]) ut hic illi foret, huic ut Mucius[72]) ille.
Qui minus argutos vexat furor[73]) iste poëtas? —
Carmina compono[74]), hic elegos, mirabile visu
Caelatumque novem Musis opus! Adspice[75]) primum,
Quanto cum fastu, quanto molimine[76]) circum-[77])
Spectemus vacuam[78]) Romanis vatibus aedem!

66) Exit, redit inde, nempe Athenis.

67) Risu populum quatit, fortius pro: populo est risui et ludibrio.

68) Verba lyrae connectere, pro: carmen lyricum facere; motura, quod, carmen nempe, moveat animos, placeat.

69) Digner, id est, rem tractatu dignam habeam; vel etiam: suscipiam, audeam.

70) Subito Horatius, ut solet, sine orationis vinculo aliquo transit ad aliam rationem, quae se a versibus componendis avertat atque reprimat, ad vanam scilicet illam laudem, qua alter alterum certatim ornare et extollere studeat, hocque exemplo docet. Erant, ait, Romae duo fratres, alter rhetor, et alter jurisconsultus, alter alteri sic adulabatur, ut nihil audirent ab invicem, quam nomina merum honorem significantia, honorificentissima, jurisconsultus illum rhetorem, Gracchum, ille vero hunc jurisconsultum, Mucium Scaevolam adpellavit; an poëtae sunt saniores? vel simplicius: idem fit apud poëtas.

71) Gracchus, Corneliae filius, praestantissimus orator fuerat.

72) Q. Mucius Scaevola, juris scientissimus a. u. 260. Consul fuit.

73) Qui furor, quae insania; argutos, ingeniosos.

74) Id est: si unus componit carmen lyricum, et alter versus elegiacos; subaudi: statim exclamat alter in alterius laudem: opus scriptum admirabile, et dignum esse, in quo elaborando Musarum omnium industria versata sit. Caelare, idem ac, sculpere caelo vel torno; in ep. ad Pis. vers. 442. versus summa cura expoliti dicuntur tornati.

75) Sequitur nunc facta descriptio superbi incessus, quo vani isti poëtae ad carmina tam recitanda, quam audienda in templum Apollinis Palatini se ferant.

76) Molimen designat ridiculum studium, quo quis, vel gressu ad certam mensuram directo, vel alto supercilio, vel quocunque alio corporis habitu dignitatis et gravitatis speciem affectat et induit.

77) Circumspectemus; loquitur Horatius in prima persona, ut eo liberius rideat insanam malorum poëtarum vanitatem; sic enim se ipsum etiam talem fingit, et eorum gregi se immiscet.

78) Vacuam aedem scriptis Romanorum poëtarum. Intellige autem aedem Apollini consecratam in Palatio, et adjunctam illi bibliothecam ab Augusto;

Mox etiam, si forte vacas, sequere[79]), et procul audi,
Quid ferat, et quare sibi nectat uterque coronam.
Caedimur[80]), et totidem plagis consumimus hostem
Lento Samnites[81]) ad lumina prima duello.
Discedo Alcaeus[83]) puncto[82]) illius: ille meo quis?
Quis nisi Callimachus[84])? si plus adposcere visus,
Fit Mimnermus[85]), et optivo[86]) cognomine crescit.
Multa[87]) fero, ut placem genus irritabile vatum,
Cum scribo, et supplex populi suffragia capto:
Idem, finitis studiis, et mente recepta,
Obturem patulas impune legentibus aures.

eam vacuam esse idcirco dolebant mali poëtae, quia cupiebant sua in eam inferri scripta. In hoc templo etiam poëtae sua carmina recitabant. Vide L. I. sat. 10. not. 27.

79) Sequere, nos, vel illos poëtas in templum. Ferat, proferat, recitet. Coronam nectere, id est, laude prosequi aliquem, vel, laudem tribuere alicui.

80) Caedimur; proverbiali locutione: par pari referimus, id est, qui nos laude cumulat, eundem vicissim laude cumulamus.

81) Samnites, genus erant ludicrorum gladiatorum, qui ut spectatoribus placerent, inter se depugnabant innoxie. Adpellati sunt autem hi gladiatores a Samnitibus Italiae populis. Postquam enim a Romanis victi fuissent, eorum arma et nomen in contemtum populi datum est istis gladiatoribus. Comparat autem illis poëtas sui temporis Horatius, qui tota die invicem sua carmina recitantes nihil vituperabant, sed omnia laudibus et adulationibus mutuis peragebant. Sensus est: videbis illos poëtas, tamquam Samnites, lento et innoxio certamine se invicem petere; si ille, id est, unus aliquis me suo puncto, suffragio, sententia vocat, et parem dicit Alcaeo poëtae Graeco lyrico nobilissimo; at ille quis a me adpellatur? certe Callimachus etc vel simpliciter: ego illum vicissim, ut poëtam elegiacum, Callimachi, et si id non satis est, Mimnermi, quod optat, cognomine orno.

82) Puncto. Lata in comitiis a singulis suffragia notabantur in tabuli puncto, unde punctum pro suffragio.

83) De Alcaeo poëta saepe dictum. Vide L. II. od. 10. not. 28.

84) Callimachus, poëta Graecus, in primis elegans elegias et aliquot scripsit epigrammata.

85) Mimnermus, poëta Epicureus. Vide L. I. Ep. 6. not. 49.

86) Optivo, id est, quod sibi dari optaverit.

87) Ordo esset sensus: quamdiu versus facio, et egeo populi benevolentia, ut mea quoque carmina probentur, multa patienter perfero et audio, ne vatum facilem iracundiam contra me concitem; (debebat enim Horatius malis poëtis, ne eos irritaret, patientes aures praebere carmina sua recitantibus.) Verum si semel finem imposuero studiis, et me ab illa scribendi versus insania recepero ac liberavero, nemo certe adducat me, ut recitantem audiam quemquam eorum, qui sua carpi vitia nolunt; idque impune faciam, id est, nihil metuens ab eorum censura et iracundia.

Ridenter[88]), mala qui componunt carmina: verum
Gaudent scribentes, et se venerantur, et ultro,
Si taceas, laudant, quicquid scripsere, beati.
At qui legitimum[89]) cupiet fecisse poëma,
Cum[90]) tabulis animum censoris sumet honesti;
Audebit[91]), quaecunque parum splendoris habebunt,
Et sine pondere erunt, et honore indigna ferentur,
Verba movere loco; quamvis invita recedant,
Et versentur adhuc intra penetralia Vestae[92]).
Obscurata[93]) diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,

88) Jam sequitur locus praestantissimus, quem non scriptores tantum, qui ea, quae scribunt, ad rectam normam exigere volunt; sed etiam tirones, qui in iis, quae in scholis scribunt et elaborant, recte et prudenter versari cupiunt, ante oculos habere, imo ediscere debent. Postquam nimirum Horatius breviter sed vivis coloribus malorum scriptorum philautiam adumbravit, futuris scriptoribus vel poëtis tamquam in tabula proponit leges, quibus salubriores et sapientiores vix cogitari possunt. Sensus: ridentur quidem poëtae, sed id non curant, imo mirifice sibi placent scribentes, et perquam honorifice de se sentiunt, ita, ut, si nemo laudaverit, suarum ipsi laudum praecones fiant minime parci, cum beati, id est, contentissimi sint versibus suis.

89) Legitimum, id est, ad omnes boni poëmatis leges exactum, perfectum.

90) Sensus: bonus scriptor tabulas ceratas, in quibus scribat, eo animo sumet, quo severus et honestus censor sumit tabulas censorias; quemadmodum enim bonus censor notanda in tabulis censoriis notabit, ita bonus scriptor corrigenda in tabulis ceratis corriget.

91) Audebit, non dubitabit. Parum splendoris, id est, parum elegantiae; refer hanc locutionem ad censorem, qui equiti Romano, parum splendoris habenti (splendori, qui equiti ob ejus divitias tribuebatur, non respondenti) equum adimebat. Vide Antiqu. Sine pondere, id est, non satis gravia. Honore, ut legantur, indigna, adeoque parum apta et concinna ferentur, judicabuntur. Verba movere loco, id est, ejicere, delere; accommodate ad censorem, qui honore indignos e senatu movebat vel ejiciebat.

92) Vesta erat Dea ignis, ac foci praeses. Saepe sumitur pro ipsa domo, quia suum quaeque domus focum habebat. Rursum e templo et penetrali Vestae non licebat reos extrahere, sanctitate loci munitos videlicet et tutos. Itaque sententia duplex esse potest; prima: et si adhuc lateat domi, etsi nondum editum sit poëma in lucem; secunda: mutanda et loco suo movenda verba sunt, licet placeant poëtae nempe, neque minus secura videantur, quam si in Vestae penetralibus et templo essent; et quamvis libenter decedere, loco moveri nolint.

93) Ordo est: idem bonus poëta, vel scriptor, speciosa, pulchra, splendida vocabula, quae, priscis Catonibus et Cethegis memorata, usurpata, informis situs et deserta vetustas nunc premit, populo, cui illa diu obscurata sunt, eruet, atque in lucem proferet.

Quae, priscis memorata Catonibus[94]) atque Cethegis,
Nunc situs informis premit et deserta vetustas:
Adsciscet[95]) nova, quae genitor produxerit usus.
Vehemens[96]) et liquidus puroque simillimus amni
Fundet opes[97]), Latiumque[98]) beabit divite lingua.
Luxuriantia[99]) compescet, nimis aspera sano
Levabit[100]) cultu, virtute[1]) carentia tollet:
Ludentis[2]) speciem dabit, et torquebitur, ut qui
Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.
Praetulerim[3]) scriptor delirus inersque videri,

94) M. Cato Censorius dicitur, priscus, quia priscorum morum fuit observantissimus. Vixit a. u. 519 — 603. Cethegus consul fuit a. u. 548. Memorata Cat. atque Ceth. idem est ac: vocabula Catonis olim et Cethegi tempore usurpata. Nunc situs etc. pro: quae prae nimia vetustate nunc abdita jacent, ignota sunt.

95) Id est: et alia iterum nova, quae usus et progenuerit et publicaverit, vacabula adsciscet, auctoritate sua confirmabit.

96) Sensus: idem poëta erit similis amni vehementi et liquido; id est, sectabitur puritatem sermonis et vim verborum. Vehemens, autem duabus syllabis est pronunciandum.

97) Per opes intellige verborum sententiarumque copiam atque ubertatem.

98) Latium, pro Latina lingua; beabit, id est, ornabit, augebit.

99) Id est: quae in nimiam abundantiam et copiam excreverunt, recidet.

100) Levabit, poliet cultu prudente et sano, id est, ita tamen, ut laevigando vim ipsis non auferat.

1) Virtute carentia, id est, gravitate destituta, languida.

2) Sensus: poëta lascivius exsultantis speciem habebit; re tamen vera multum, sudabit, angetur, et discruciabitur. Moveri, idem est ac, saltare. Videtur autem saltatio, quae vocabatur Satyrus, celeriori, et illa, quae dicebatur Cyclops, graviori atque rudiori agitatione pedum et membrorum constitisse. Poëta igitur hac saltationis imagine expressit fere hoc: sicut is, qui Satyrum vel Cyclopa saltat, externa specie faciles corporis agitationes producere videtur, quae tamen reipsa magnam virium intentionem requirunt: ita etiam stylus poëtae vel scriptoris tam facilis esse debet externa specie, ut sine omni labore fluxisse videatur; attamen in re haec ipsa styli facilitas et concinnitas nonnisi magna ingenii contentione obtinetur; qui enim versus pangit, verba modo huc, modo illuc transponere, flectere, variare, promovere et removere debet, quod omnino magni laboris est.

3) Jam stultus quidam et ineptus scriptor, se nihil curare, qualis habeatur, modo stultitia sua delectetur, respondet: quod si res ita se habet, malim ego esse poëta ineptus et indoctus, ac mihi, etiam sine causa, placere; quam, ut sim optimus, sic me discruciare; et in hanc rem exemplum Argivi cujusdam hominis adfert. Ille enim, cum ab insania, qua laeto animo in vacuo theatro sedere, et opinans, se egregios tragoedos audire, plaudere, solebat, cognatorum cura refectus rediisset ad sese, pessimo consilio gratissimum mentis errorem sibi demtum esse, questus esse dicitur.

Dum mea delectent mala[4]) me, vel[5]) denique fallant,
Quam sapere et ringi[6]). Fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragoedos,
In vacuo[7]) laetus sessor plausorque theatro;
Caetera[8]) qui vitae servaret munia recto
More; bonus sane vicinus, amabilis hospes,
Comis[9]) in uxorem, posset[10]) qui ignoscere servis,
Et signo[11]) laeso non insanire lagenae;
Posset[12]) qui rupem et puteum vitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus[13])
Expulit helleboro morbum bilemque meraco[14]),
Et redit[15]) ad sese: „Pol[16]), me occidistis[17]), amici,
Non servâstis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demtus per vim[18]) mentis gratissimus error."
Nimirum[19]) sapere est abjectis utile nugis,
Et tempestivum[20]) pueris concedere ludum;

4) Mala, id est, carmina male composita; ea mala proinde, quibus deliro.

5) Vel denique, id est, ad summum me ludent et decipiant.

6) Ringi, proprie dicuntur canes, cum irati diducunt os, quasi morsuri, et rictu diducto dentes nudant; ac proinde, ringi, idem ac, acerbius in vitia hominum invehi, satyras scribere. Sapere, ornate scribere.

7) Vacuo actoribus theatro, ubi nulli essent actores.

8) Sensus: sano ad caetera judicio, quique omnibus vitae officiis sapienter defungeretur. Munia, officia et munera.

9) Comis, blandus.

10) Id est: erga servos indulgens.

11) Signo, id est, pice, qua obturabatur lagena; signum, sigillum domini adponebatur certa nota. Est autem is ordo: et qui posset non insanire, non irasci furentis in morem, laeso, id est, aperto, resignato lagenae signo, si videret lagenam a servulis reclusam et delibatam.

12) Sensus: qui caetera satis prudens fuerat, ut rupem praeruptam et puteum declinaret, id est, omnia pericula cautus evitaret.

13) Refectus, curatus et recreatus a morbo, quo mens illius et phantasia laborabat, dum se actores ibi putaret adire, ubi nulli essent.

14) Meraco, id est, puro helleboro. Hac herba curabantur amentes. Vide L. II. sat. 3. vers. 82. not. 53.

15) Et rediit ad sese, id est, sanam mentem recuperavit.

16) Pol: per Pollucem; jurandi et adfirmandi formula.

17) Occidistis, perdidistis.

18) Per vim, nempe pharmacorum.

19) Jam Horatius transit ad partem epistolae hujus gravissimam. Ex poëta factus philosophus, pectus ostendit sapientiae praeceptis praeparatissimum. Sensus: nimirum, id est, rebus sic se habentibus, utile vel satius est sapere, id est, ad sapientiae praecepta vitam componere, abjectis nugis. Modeste omnino carmina sua nugas vocat.

20) Tempestivum, id est, accommodatum puerili aetati ludum, carmina nempe.

Ac[21]) non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
Sed verae numerosque modosque ediscere vitae.
Quocirca mecum loquor haec, tacitusque[22]) recordor;
Si tibi nulla sitim finiret[23]) copia lymphae,
Narrares[24]) medicis: quod, quanto plura parâsti,
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?
Si vulnus tibi, monstrata[25]) radice vel herba,
Non fieret levius, fugeres[26]), radice vel herba,
Proficiente nihil, curarier. Audieras[27]), cui[28])
Rem Dî donarînt, illi decedere pravam
Stultitiam; et, cum[29]) sis nihilo sapientior, ex quo
Plenior[30]) es, tamen uteris[31]) monitoribus îsdem?
At si divitiae prudentem reddere possent,
Si cupidum timidumque minus te: nempe[32]) ruberes,
Viveret in terris te si quis avarior uno.
Si[33]) proprium est, quod[34]) quis libra mercatus et aere est,

21) Sensus: ac non versuum ad fides Latinorum temperandorum studium sequi; sed eam normam, ad quam, qui vere felices esse cupiunt, vitam dirigere debent, cognoscere atque ediscere. Numeri ac modi, proprie de metro usurpantur, quo versuum pedes ad certum rhythmum et certas cujusque versus leges inter se juncti suaviter decurrunt.

22) Tacitus recordor, id est, tacite mecum repeto vel animo revolvo.

23) Finiret, compesceret, tolleret, sedaret.

24) Id est, sine dubio de hac siti inexplebili consuleres medicos; at, quaeso, neminine eam sitim, qua, quo plura habes, eo plura appetis, fateri audes? Faterier, archaismus, pro: fateri.

25) Monstrata, sumi jussa, praescripta a medico.

26) Fugeres, id est, certe radice ista vel herba, quae nihil proficit, h. e. postquam nihil eam proficere compereris, curari nolles.

27) Nexus: et tu, postquam audieras etc. tamen etc.

28) Cui rem etc. Ita quippe vulgus loquitur et putat, eos, qui opes a superis accipiant, stultitia liberari et sapere.

29) Cum, pro: licet.

30) Plenior, id est, ditior.

31) Id est, eosdem monitores sequeris, qui nempe divites stultitiae expertes esse ajunt.

32) Nempe, pro: tum sane ruberes, deberes erubescere, si aliquis te unum avaritia superaret.

33) Hic jam Horatius probat, nihil esse, cur homines cumulandis possessionibus inhient, cum nihil fiat cujusquam proprium, sed solum rerum usum singuli habeamus; perperam enim vocari proprium, quidquid non est perpetuum, potestque aliqua ratione amitti.

34) Id est: quod ab aliquo emtum est. Cum enim res aliqua emebatur, pretium illius seu pecunia, quae primis temporibus erat aerea, non numerabatur, ut fere nunc fit, sed adpendebatur libra seu trutina, id est, ponderabatur.

Quaedam[35]), si credis consultis, mancipat usus;
Qui te[36]) pascit ager, tuus est; et villicus Orbî[37]),
Cum segetes occat, tibi mox frumenta daturas,
Te dominum sentit; das[38]) nummos, accipis uvam,
Pullos, ova, cadum temeti[39]): nempe[40]) modo isto
Paulatim mercaris agrum, fortasse trecentis[41]),
Aut etiam supra, nummorum millibus emtum.
Quid[42]) refert, vivas numerato nuper, an olim?
Emtor Aricini quondam Vejentis et arvi
Emtum coenat olus, quamvis aliter putat; emtis
Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum[43]);

35) Sensus: si praeterea res quasdam, ut contendunt jurisconsulti, usus proprias facit, evadunt usu ipso tuae, tanquam si esses illarum dominus. Usus opponitur mancipio seu dominio et juri primario; sic enim aliquis uti et frui aliquo praedio potest, cujus dominus non sit, quod dare, vendere, etc. non possit, ut diuturna possessio, diuturnus usus aliquando vim juris et dominii obtineat apud juris consultos. Hinc Horatius colligit; res eas, quibus utimur, v. g. fundum alienum, unde fruges emimus, nostrum quoque dici posse, quia eo fruimur, et eum quasi sigillatim emimus ac sensim, quem totum ipse ejus dominus olim emit.

36) Id est: ager, qui te frugibus suis alit, haud dubie tuus putari debet.

37) Orbius homo dives et dominus, ut videtur, praedii habebat villicum, qui fruges in praedio natas, et alia ibi provenientia vendebat. Segetes: intellige agrum vel terram, quae ad semina accipienda occa subigitur. Sensus est: ipse etiam villicus Orbii, qui agrum, cujus frumenta tu accipis, id est, emis a villico, colit, te pro domino habet, agnoscit.

38) Sensus: tu enim das pecuniam, et pro hac omnia accipis, quae ager profert.

39) Temetum est quoddam potus genus, sive ex vino, sive ex aliis liquoribus comparatum, quo facile incalescunt potores.

40) Sensus: et tali modo paulatim agrum tibi mercaris; est quidem Orbius dominus totius agri, quem magna pecuniae summa emtum, sibi proprium fecit; sed tu quoque es dominus eorum, quae, quoties opus est, ex illo agro emta tibi propria facis, et sic non conjunctim quidem et una emtione totum agrum, sed ejus quasi particulas parvo pretio paulatim mercaris, emis.

41) Trecentis nummorum, id est, sestertiorum millibus emtum ab Orbio nempe. De sestertio vide L. II. sat. 3. not. 19.

42) Sensus: quid refert; utrum vivas e fundo cujus pretium per partes a te numeratur, dum ejus fruges emis quotidie, an ex eo fundo, cujus pretium olim totum fuerit numeratum et persolutum a domino? Is enim, qui non nuper, sed quondam, olim agrum vel prope Ariciam (Oppidum trans montem Albanum) vel prope Vejos (Etruriae oppidum) emit, pariter, ac tu, emtum olus, quamvis contrarium sibi imaginatur, coenat, et emto ligno ahenum calefacit; at idem tamen in agrum suum usque ad arborem terminalem prospiciens, haec mea sunt, ait, tamquam aliquid proprium et perpetuum sit.

43) Ahenum pro olla, aqua, ut videtur, impleta, et qua ad se calefaciendum utebantur.

Sed vocat usque suum, quae populus [44]), adsita certis
Limitibus vicina refugit jurgia; tanquam
Sit proprium quidquam, puncto [45]) quod mobilis horae,
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte suprema,
Permutet dominos, et cedat in altera jura.
Sic [46]), quia perpetuus nulli datur usus, et haeres
Haeredem alterius, velut unda supervenit undam,
Quid vici prosunt, aut horrea? quidve Calabris [47])
Saltibus adjecti Lucani, si metit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro?
Gemmas, marmor [48]), ebur, Tyrrhena [49]) sigilla, tabellas [50]),
Argentum [51]), vestes, Gaetulo [52]) murice tinctas,
Sunt [53]), qui non habeant, est, qui non curat habere.
Cur [54]) alter fratrum cessare [55]), et ludere, et ungi

44) Populus adsita etc. circumscriptio poëtica arboris terminalis, qui jurgia et lites cum vicino impedit. Non raro enim pro lapidibus terminalibus arbores terminos agri definire et constituere solebant. Refugit est praeteritum, id est, adhuc amovit et porro amovet.

45) Puncto horae, id est, momento temporis. Prece, pro: donatione. Pretio, pro: emtione. Sorte suprema, pro: morte. Cedat in altera jura, id est: in alterius possessionem transeat.

46) Sensus: quando ergo nulli conceditur rebus uti perpetuo, et supervenientes, sibi succedentes haeredes loco expellunt sese, ut fluctus fluctum, quid juvat, pagos integros cum circumjacentibus agris, quid horrea, quid Calabriae pascua unacum Lucanis possidere, si haec omnia, magna aeque ac parva, rapiat mors, nullis muneribus donisque exoranda?

47) Calabria et Lucania sunt regiones in extrema Italiae parte prope Siciliam, et pascuis abundant.

48) Marmor et ebur, id est, opera artis ex ebore et marmore facta.

49) Tyrrhena sigilla, id est, vasa Etrusca; erant enim haec vasa ex auro, argento, aliisque materiis confecta, iisque statuae parvae a peritis artificibus insculptae, aut fusoria arte in his vasis delineata.

50) Tabellae, seu picturae.

51) Argentum, id est, vasa argentea.

52) Gaetulia, pars Libyae interioris, pro tota Africa. E muricis succo eliciebatur color purpureus. Intelligendae ergo hic sunt vestes purpureae.

53) Sensus: sunt qui his rebus carent, quamvis eas habere cupiant; ast sunt etiam, qui eas non admodum quaerant, cupiant, desiderent.

54) Sensus et nexus: diversa plane sunt hominum ingenia; et haec diversitas in fatribus adeo locum habet; non raro enim accidere solet, ut alter sit mollis et prodigus, alter laboris patiens et avarus; unde repetenda sit haec naturarum diversitas, vitae nostrae comes et naturae humanae moderator perspectum habet, Genius. Terentii quaedam comoedia inscribitur, Adelphi, hoc est: fratres duo moribus dissimillimis. Demea et Micio. De his hoc loco fortasse cogitavit Horatius.

Praeferat Herodis palmetis [56]) pinguibus; alter,
Dives et importunus [57]), ad umbram [58]) lucis ab ortu
Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum;
Scit Genius [59]), natale comes qui temperat astrum,
Naturae Deus humanae, mortalis in unum-
Quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater.
Utar [60]) et ex modico, quantum [61]) res poscet, acervo
Tollam; nec metuam [62]), quid de me judicet haeres,
Quod non plura [63]) datis invenerit; et tamen [64]) idem
Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti
Discrepet, et quantum discordet parcus avaro.
Distat [65]) enim, spargas tua prodigus, an neque sumtum
Invitus facias, neque plura parare labores;

55) Cessare, id est, otio frui. Ludere, pro: genio indulgere. Ungi, idem ac, coenare; adcumbebant enim veteres mensae unguentis delibuti.

56) Palmeta sunt loca palmis consita, quae Herodes, rex Judaeae, in regione ad Hierichuntem habebat, eaque ad pretiosissimas praestantissimasque possessiones pertinuisse, ex hoc ipso loco apparet; dicuntur pinguia, ob pinguis agri foecunditatem.

57) Importunus, molestus, morosus, difficilis.

58) Ad umbram lucis, id est, ab ortu solis usque ad occasum. Flammis, comburendo nempe ea, quae fertilitatem impediunt; et ferro, h. e. rastro; mitiget, molliat, domet silvestrem, sentibus et vepribus obsitum, agrum.

59) De Genio vide L. II. Ep. 1. not. 95. Genius nempe hominem, cui additus est comes, ubique sequitur. Astrum natale temperat, mala, quae portendit astrum, sub quo quis natus est, amolitur et procurat, bona, quae affulgent, promovet et adjuvat. Naturae Deus humanae: Deus quidem est, sed humanae naturae, h. e. morti, aeque ac homo, obnoxius; hinc additur: mortalis in unum quodque caput, h. e. mortalis est cum unoquoque, quem in vita comitatus est, redit eo, unde missus est. Mutabilis, albus et ater: id est, iratus est, si homo repugnat; mitis, si homo se regi patitur.

60) Utar, id est, fruar quaesitis ego quidem.

61) Quantum opus erit.

62) Nec metuam, id est, non curabo.

63) Sensus: quod non plura, quam ea, quae mihi data sunt, a Maecenate nempe, reliquerim; quod ea, quae ego accepi, non auxerim.

64) Et tamen idem ipse, qui sordidam parsimoniam vitupero, scire vellem et experiri, quantum homo, in vitae simplicitate et hilaritate acquiescens, a prodigo et luxurioso; et avarus ab homine parce vivente differat. Horatius igitur medium inter utrumque, vel auream mediocritatem sequi vult.

65) Sensus: aliud enim est, sua stulte profundere, ac sumtum aliquem ex causa libenter facere, et non semper de augenda re cogitare, sed potius, ut pueri in Quinquatribus solent, per breve tempus animo esse curis omnibus libero, et aliquantulum vacare voluptati.

Ac potius, puer ut festis quinquatribus[66]) olim,
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.
Pauperies[67]) immunda domus procul absit; ego, utrum
Nave ferar magna, an parva, ferar unus et idem.
Non agimur tumidis velis Aquilone[68]) secundo;
Non tamen adversis aetatem ducimus Austris;
Viribus, ingenio, specie[69]), virtute, loco, re,
Extremi[70]) primorum, extremis usque priores.
Non[71]) es avarus: abi. Quid? caetera jam simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine, et ira?
Somnia[72]), terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaque Thessala rides?
Natales grate[73]) numeras? ignoscis amicis?

66) Quinquatria, dies festi et laeti in Minervae natalis honorem celebrati, et, quia id fiebat per quinque dies, vel post diem quintum Iduum Martii, Quinquatria dicti. Fuerunt hi dies pueris gratissimi et jucundissimi, quia, donec Quinquatria durabant, feriae in scholis erant.

67) Sensus: si tantum pauperies domus meae immunda, id est, sordida parcitas a domu mea procul absit, cetera non curo; sive magnis opibus utar, sive exiguis, animum aequum retinebo, non extollar, nec deprimar. Felix porro est navigatio, cum ventis secundis adspirantibus vela tument; et cum hac apte comparatur felix vitae cursus eorum, quibus omni rerum copia abundantibus omnia ex voto cedunt. Sed quemadmodum navigantibus venti secundi, ita divitibus timenda est fortunae secundae mutatio.

68) Aquilo, ventus septemtrionalis; Auster, meridionalis, positi sunt pro quolibet vento in genere. Agimur, id est navigamus. Adversis Austris, id est, adversa fortuna depressi aetatem agimus, vitam ducimus.

69) Specie; externo rerum in oculos cadentium habitu. Loco: dignitate, conditione. Re, scil. familiari, opibus.

70) Id est: qui sum (his rebus enumeratis nempe) inter primos extremus quidem, attamen inter ultimos primus, h. e. in medio inter felicissimos ac pauperrimos constitutus.

71) Sensus: ac, inquiet mihi aliquis: O Horati, satis intelligo te avarum non esse; bene est; at num etiam ceteris vitiis cares? fugere, id est, e pectore tuo pulsa cessere?

72) Pro superstitione in genere nominat quaedam superstitionis genera. Miracula, id est, prodigia quaedam, quibus terretur vulgus. Sagas: praestigiatrices veneficas. Lemures, larvas nocturnas et umbras; harum avertendarum causa a Romanis instituta sunt Lemuralia, per tres dies celebrata. Portenta Thessala, id est, res prodigiosas, quas Magi suis incantamentis edunt. In Thessalia autem fuit quasi officina venenorum, quibus utebantur venefici ad ludendos homines superstitiosos. Sensus: an non es superstitiosus?

73) Grate, nimirum non dolens, te senem fieri, plures a te dies natales numerari, mortem aequo animo exspectans.

Lenior et melior fis accedente senecta?
Quid te exemta juvat spinis[74]) de pluribus una?
Vivere[75]) si recte nescis, decede peritis.
Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti;
Tempus abire tibi est; ne potum largius aequo
Rideat et pulset lasciva[76]) decentius aetas.

74) Spinae translate de vitiis, quae animum lacerant et pungunt.

75) Sensus: si omni parte bonus esse non potes, da locum aliis te melioribus. Peritis: id est, qui te rectius et sapientius vivunt. Satis jam tibi lusuum fuit, nugarum satis, satis conviviorum, tempus jam est, ut his omnibus finem imponas, ne, si edere ultra pergas et bibere, tandem potatus largius, pueris, quibus propter aetatem lascivire permittitur, ludibrio sis.

76) Lasciva decentius aetas: id est, pueri, quos magis, quam senes, decet lascivia.

Q. Horatii Flacci

Epistola ad Pisones.

Occasio et argumentum.

Duo erant aetate Horatii Romae Pisones, e nobilissima familia orti: L. Calpurnius Piso, qui a. u. 739, et Cn. Piso qui a. u. 731 consulatum gessit. Prior habuit duos, hic autem tres filios. Quidam interpretes ad Cn.; plures tamen ad L. Pisonem et duos ejus filios, qui non solum ipse poëseos et bonarum literarum amans fuerat, sed et filii natu majoris studia poëtica moderabatur, una cum Porphyrio, hoc opus Horatii didacticum, ad Pisones, inscriptum, quod alii, Librum, alii autem, Epistolam appellavere, verisimilius referendum esse putant. Scilicet cum magna tum temporis malorum poëtarum turba vesparum more circumvolitare, et oblatos sibi quosque venenato aculeo laedere, vel quovis alio modo Musarum honorem contaminare coepisset, Horatius, non tam eorum ictus, quibus jam saepius petitus fuerat, curans, quam timens potius, ne pravo istorum exemplo alii quoque depravarentur, tam virtutes ad poëseos studium adferendas describere, easque illis, qui poëtae nomine se dignos praestare cuperent, propinare, quam vitia et errores poëtis fugiendos ante oculos ponere voluit. Fortasse Horatius praecipue filio Pisonis natu majori, ne is vano malorum poëtarum strepitu se in fraudem induci pateretur, cautum ivit. Noluit autem praecepta, quae de poëseos et de omnis doctrinae studio daturus erat, ad certum ordinem redacta accuratius, subtilius et doctius exponere, vel libellum titulo, artis poëticae, insignitum scribere; sed quae sibi de virtutibus et vitiis poëseos occurrerent, sine arte, h. e. haud ad certam normam exacta in epistola cum amico suo communicare; et inde quidam omnem plane in hoc opere poëtico ordinem desiderari contendunt. Quemadmodum vero hi, sic e contra etiam illi errare videntur, qui hoc carmen ubique ad strictissimam systematis alicujus normam exigunt. Potest autem epistola haec didactica in tres partes dividi, quarum I^a agit de inventione et dispositione, II^da de eloquutione et stylo, et III^a de virtutibus, quae in bono poëta requiruntur. I^ae partis praeceptum 1um est: Omne, quod scribit poëta, debet habere unitatem. Cum expositione vitiorum, unitati oppositorum, quae sunt: nimia libertas et audacia fictionis; vana ostentatio sublimitatis cujusdam scribendi, et demum defectus ingenii poëtici, conjungit statim praeceptum 2^dum: Ne poëtae, dum vitium aliquod vitare student, decepti specie recti in aliud vitium incidant, medium tenendum, et ideo studium non in singulis tantum alicujus rei partibus, sed in tota re ponendum est. Dehinc praecepta de inventione et dispositione concludens, et simul ad illa de stylo transiens 3^ium tradit praeceptum: Carmina, quae tam facundia, quam lucido ordine se commendant, scripturus rem virium modulo accommodatam deligere debet. II^dam partem operis incipit praeceptum 4um ad eloquutionem spectans: In vocabulis et locutionibus tam deligendis, quam repudiandis prudenter loquendi usus in consilium vocari debet; qua occasione plura de formandis vocabulis novis disserit. Sequitur nunc praeceptum 5^tum: Pro varietate argumentorum varium quoque et singulis conveniens versuum genus adhibeatur oportet, de quibus generibus versuum singillatim tractat. Pervenit dein ad praeceptum 6^tum de styli proprietatibus: Stylus nempe debet a) materiae esse accommodatus, b) debet esse gravis, ut animos lectorum et spectatorum percellat, et c) debet etiam characteri personarum loquentium vel agentium convenire; qui vero has proprietates stylo seu elocutioni suae comparare nescit, poëtarum gregi se non immisceat. Transit autem hic in specie ad poësim dramaticam, et hac occasione non tantum ea, quae poëtis, sed etiam illa, quae actoribus observanda et peragenda sint, ut magister harum rerum peritissimus proponit et praecipit. De tertia porro styli proprietate fusius tractans defertur ad praeceptum 7um de fictione characterum, in qua poëtam constantem esse debere docet; ille vero praecipit 8vo qui alios imitatur, non verbis inhaereat, neque etiam in genere serviliter nimium exemplorum vestigia premat; et sic digreditur aliquantulum ad carmen epicum, quod nec sublimius incipiendum, nec altius justo repetendum esse 9no praescribit; et iterum redit ad poësim dramaticam 10mo praecipiens, characterem personarum agentium probe observandum esse, singularumque aetatum descriptionem adnectit. Sequentia duo praecepta tractant de repraesentatione actionis: 1mo nimis atrocia coram spectatoribus non agantur, sed tantum narrando cum iis

communicentur et 2do fabula non ultra quinque actus extendatur; neque plures, quam tres personae colloquentes inducantur, et chorus actoris partes sustineat; quia autem chori veterum cum tibiae cantu et saltu conjuncti fuerant, poëta hic digreditur ad musicae artem, , ejusque historiam quodammodo una cum historia poëseos percurrit; sicque ad illud tempus delatus, quo tragoediis spectatores delectandi causa satyri immiscebantur, quaedam specialia praecepta de poësi satyrica adducit. Ab his transit ad praeceptum 14um de versuum structura, in qua Graecos potius, quam Romanos imitari oporteat. In exemplum adducit Thespim et Aeschilum, poëtas Graecos, quorum prior tragoediam invenit, alter vero excoluit; postquam ita, continuat porro, paulo post etiam comoedia est inventa, in utraque poëmatis specie, tam tragoedia, quam in comoedia Romani multa cum laude Graecos illos imitati sunt, unico hoc excepto vitio, quod hi Romani sua opera non perpoliverint; et sic ad novum praeceptum delatus, limam quam accuratissimam omnibus commendat scriptoribus. Quo praecepto simul IIIam partem operis inchoat, de virtutibus agentem, quae ab eo, qui poëtae nomine se dignum reddere vult, exiguntur; in his autem ponit philosophiam, quae docet, quid deceat, quid non, qua insignitus debeat esse poëta; hujus itaque studium cum studio vitae humanae conjungendum esse 16o praecipit; hocque studium praecipuam causam esse asserit, cur Graeci Romanos gloria tam ingenii, quam etiam facundiae superaverint. In praecepto dein 17mo tractat de carmine didactico, quod breve, verum, et suave esse debere contendit, cum quo generalem illam regulam, utile dulci ubique miscendum esse, artificiose statim conjungit. Sicut autem supra in praecepto sexto a dramatica poësi ad actores ipsos informandos transivit: ita etiam hic digreditur ad judices operum poëticorum, i sque 18vo praecipit, ut aequitatem tueantur in dijudicandis carminibus, leviusculisque erroribus, dummodo pauci sint, faciles veniam impertiantur. Redit dehinc iterum ad aliud praeceptum virtutes poëtarum concernens, quo mediocritatem in arte poëtica fugiendam, et ad perfectionem adspirandum, nihilque, quod non ab artis judicibus probatum, diuque limae prius subjectum fuerit, in publicum emittendum esse monet. Postquam vero praecepta, ad quae dirigendum sit poëseos studium, in medium protulit sapientissima, nunc, quid ab antiquissimis inde temporibus effectum sit carminibus, enarrat, et breviter, sed mira suavitate, poëseos laudes

celebrat: Orpheus inquit feros homines et rudes mites reddidit; Amphion homines consociatos, ut muris Thebanis exstruendis manus admoverent, dulcissimo testudinis sono permovit: post hos Homerus et Tyrtaeus pectora hominum fortitudinis sensu inflammarunt; carminibus denique oracula edita, regum gratia captata et fabulae dramaticae compositae sunt. Post hanc digressionem de laudibus poëseos iterum redit Horatius ad virtutes et dotes boni poëtae, ingeniumque in eo cum arte seu studio conjungendum esse 20mo asserit: Neutrum, ait, per se sufficit, sed ad artem ingenium, et ingenium ad artem accedere debet; licet enim bono ingenio instructus sit poëta, nisi illud a puerili inde aetate studiosissime exercuerit, acuerit, et larga doctrinae copia locupletaverit, boni poëtae laudem et honorem tamen consequi non potest. Subjungit his praeceptum 21um: Poëtae carmina scribentes, divites praesertim, fugiant assentatores, et adeant potius viros doctos et prudentes, eosque decenter rogent, ut vitia, in carminibus suis animadversa, benevole secum communicent; huicque praecepto tam assentatorum, quam etiam censorum prudentium descriptionem intexit. In fine vero adhuc a poëta furioso et malo, quem fusius depingit, omnibus cavendum esse monet.

Humano [1]) capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, et varias inducere [2]) plumas,
Undique [3]) collatis membris, ut tupiter atrum [4])
Desinat in piscem mulier formosa superne,
Spectatum [5]) admissi risum teneatis, amici?
Credite, Pisones, isti tabulae [6]) fore librum

1) Ordo et sensus: poëta, qui aliquid fingit, cujus partes rei fictae non conveniunt, similis est pictori, qui formam aliquam ex hominum et variorum animalium membris ridicule componit et effingit. Primum igitur praeceptum, quod dat, est hoc: Rei, quam describit poëta, omnes ac singulae partes respondere et accommodatae esse debent. Seu: omne, quod scribit poëta, debet esse unum, id est, debet habere unitatem. Per humanum caput designatur, formosum mulieris caput.

2) Inducere, id est, adfingere plumas variarum avium, capiti nempe.

3) Undique collatis membris, h. e. membris a quovis animali translatis, et ridiculae speciei repraesentandae adhibitis.

4) Atrum, foedum, turpem.

5) Sensus est: o amici Pisones! dicite quaeso, an risum teneretis, spectatum admissi, id est, si ad spectandam ejusmodi imaginem admitteremini, vel invitaremini.

6) Tabulae, pro: picturae; librum, pro: poëma vel carmen. Persimilem id est, aeque ridiculum esse, ac illam imaginem.

Persimilem, cujus[7]), velut aegri somnia, vanae
Fingentur species, ut nec pes nec caput uni
Reddatur formae. Pictoribus[8]) atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
Scimus et hanc veniam petimusque damusque vicissim;
Sed non ut placidis coëant immitia; non, ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis[9]) gravibus plerumque et magna professis
Purpureus late, qui splendeat, unus et alter
Adsuitur pannus, cum[10]) lucus et ara Dianae[11]),
Et properantis aquae[12]) per amoenos ambitus agros,

7) Cujus poëmatis vanae species fingentur, velut aegri somnia, id est, cujus carminis ideae vanae et imagines ridiculae undique collectae, ab initio usque ad finem adeo parum cohaerebunt, sicut in somniis febri laborantis nervorum nullum membrum omnino cum altero cohaeret et congruit. Pes et caput, indicat ordinem idearum ab initio usque ad finem. Non Uni reddatur formae, id est, singulae partes non ad eandem pertineant formam, imaginem, figuram.

8) Transit hic poëta ad vitia unitati styli nocentia et opposita, uti sunt: Nimia libertas et audacia fictionis; vana ostentatio sublimitatis, quae praecipue ad aliena longe transgrediendo, resque diversissimis coloribus depingendo se exserit; et demum defectus ingenii. Nexus et sensus: at enim dicet aliquis: pictores et poëtae facultatem habent fingendi et scribendi, quidquid libuerit. Scio, respondet Horatius, et fateor, hanc illis dari veniam, sed ea tantum lege et conditione, ne monstra fingant, ne conjungant animalia placida cum feris, v. g. agnos cum tigribus, aves cum anguibus. Placida, idem ac mansueta; immitia, pro: fera animalia; coëant, id est, conjungantur; geminentur, pro: paria fieri jubeantur, vel etiam, componantur in unam figuram.

9) Sensus: non raro accidere solet, ut poëtae gravitatis et sublimitatis ostentandae gratia cupide arripiant externa ornamenta, quibus splendorem parent suis carminibus; arripiunt scilicet res, quae poëticam descriptionem admittunt, utrum illae argumento, quod tractant, conveniant, nec ne, parum solliciti. Et pro hoc: initium poëmatis est aliquando magnificum, sed postea inanes quaedam descriptiones, ad propositum nihil pertinentes, attexuntur, et ut panni purpurei vesti adsuuntur. Pannus purpureus, intelligi debet de externis ornamentis, orationem speciosam reddentibus. Magna professis inceptis, id est, initium quod aliquid sublime promittit. Late qui splendeat, id est, latus purpureus pannus, seu latus purpureus clavus.

10) Sequuntur hic exempla ejusmodi ineptarum digressionum, et descriptionum, quae, licet sint pulcherrimae, attamen, si justo loco non inserantur, unitatem laedunt, et minime placent.

11) Erat celebris Dianae ara in Aricino nemore, quod est in Latio. Cum autem plures luci cum aris Dianae sacri fuerint, quem potissimum describendum sibi sumserit vanus quidam poëta, definiri nequit.

12) Id est: rivus, defluens per ambages in campis.

Aut flumen Rhenum[13]), aut pluvius describitur arcus[14]),
Sed nunc non erat his locus. Et[15]) fortasse cupressum
Scis simulare; quid hoc, si fractis enatat exspes
Navibus, aere dato qui pingitur? Amphora[16]) coepit
Institui; currente rota cur urceus exit?
Denique[17]) sit quodvis simplex duntaxat et unum.
Maxima[18]) pars vatum, pater et juvenes patre digni,
Decipimur specie recti. Brevis esse laboro:
Obscurus fio; sectantem laevia nervi
Deficiunt animique; professus grandia turget;
Serpit humi tutus nimium timidusque procellae.
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum silvis adpingit, fluctibus aprum.

13) Rhenum, est adjectivum. Respexit hic fortasse Horatius ad Alpinum turgidum poëtam. Vide L. I. sat. 10. not. 24.

14) Pluvius arcus, est iris.

15) In eandem rem adhuc duas subjungit allegorias, quarum prior, a pictore deducta, contra unitatem rei seu materiae, posterior vero, deducta a figulo, contra unitatem formae saepe a poëtis peccari, ostendit. Sensus: tu fortasse rerum singularum describendarum, sicut pictor ille exprimendae cupressi, haud imperitus es: ast, quid hoc, cupressum scilicet pingere posse, naufragum juvare potest, qui pacto pretio naufragium suum requisiverat exhiberi imagine? scilicet, naufragus quidam dicitur pictorem adiisse, eumque rogasse, ut naufragii, quod passus sit, sortem in tabula depingeret, cui ille: visne me cupressum quoque adpingere? Porro, qui omnibus bonis exuti fuerint naufragio, portantes tabulam, in qua expressa fuit infortunii imago, mendicare solebant. Simulare, id est, pingere. Qui pingitur, pro: qui se pingi sinit.

16) Sensus est: sic etiam peccant saepe poëtae, cum forma externa magnum aliquid et sublime adornant, et praeter spem ad humiliora deprimuntur; quemadmodum figulus, qui pro amphora, quam meditabatur, urceum effingit. Amphora est vas majus, duabus ansis instructum. Urceus minus vasorum genus. Coepit institui, pro: incepta est. Currente rota, figuli nempe.

17) Exprimit hic versus jam supra adductum praeceptum breviter: Omne, quod scribitur, debet esse unum tam ratione materiae, quam ratione formae. Denique, pro: ergo. Simplex, id est, eodem stylo usque ad finem perduci debet.

18) Dum adhuc vitiis unitati oppositis immonatur poëta, simul etiam ad aliud praeceptum transit tradendum: Poëtae ne, dum vitium aliquod vitare student, decepti specie recti in aliud vitium incidant; medium tenendum et ideo studium non in singulis alicujus rei partibus, sed in tota re ponendum est. Alloquitur hic simul Pisones, patrem et filios. Sensus est: nobis poëtis saepissime contingit, ut specie virtutis alicujus, quam sectamur, in oppositum vitium ruamus: sic dum brevitati studemus, minus perspicuam

In [19]) vitium ducit culpae fuga, si caret arte.
Aemilium [20]) circa ludum faber unus et ungues
Exprimet, et molles imitabitur aere capillos,
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nescit. Hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim, quam naso vivere pravo,
Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.
Sumite [21]) materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus, et, versate diu, quid ferre recusent,

reddimus orationem; dum laevem, tersam et politam orationem reddere volumus, eam plerumque laevigando mollem et enervatam reddimus; si quis humilitatem styli vitare cupiat, et ad sublime dicendi genus sese attollere, sine modo adsurgens in tumidum evadit; qui vero illum ipsum tumorem, tanquam orationis alterum scopulum, vitaturus, contrahit vela, seque demittit, continuo humum radit, et serpit, timidus atque humilis potius, quam modestus vocandus; nec desunt, qui intelligentes, in eruditorum operibus mire placere rerum varietatem, illam in suis operibus adeo intemperantur affectant, ut ad res absurdissimas delabantur, et apros in mari, delphines vero in silvis oberrantes describent. Per, rectum, intellige virtutes styli. Prodigialiter, id est, admirationis movendae causa.

19) Exprimit hic versus iterum breviter supra memoratum praeceptum secundum. Culpa, seu vitium. Si caret arte, id est, si caret ingenio. Sensus: ingenio ergo opus est, ut medium teneatur. Intellige autem ingenium poëticum.

20) Ingenio et studio opus esse, in quolibet quod scribimus, adhuc exemplo sequenti ostendit: Inter fabros, qui circa ludum Aemilium habitant, erit fortasse aliquis, qui unus, id est, prae ceteris omnibus ungues et molles capillos mira arte in statua aliqua exprimat et imitetur, sed idem, quia non omnia et singula ad artem exprimere didicit, quia studium suum non ad singulas partes extendit, de operis summa haud adprobabitur. Huic quidem fabro, fabrilis artis parte tantum conspicuo, si aliquid scriberem, tam parum similis, quam me hominem esse vellem, nigris quidem oculis nigroque capillo exsplendescentem, sed nasum depravatum et distortum prae se ferentem. Ludus gladiatorius, ab Aemilio Lepido ita dictus, non procul erat a Circo, et in ejus vicinia statuarii suas tabernas habebant. Componere curem, id est, scribere conarer, cuperem. Vivere, pro: esse.

21) Praecepta de inventione concludens, et simul ad illa de dispositione rerum et stylo transiens, tertium tradit praeceptum Horatius: Carmina, quae tam facundia, quam lucido ordine se commendent, scripturus, rem virium modulo accommodatam deligere debet. Sensus: quapropter vos, quicunque aliquid scribere meditamini, moneo, perpendite diu ac seduli, quid oneris, et quibus humeris accipiatis, id est, an operi scribendo pares sitis. Argumentum eligite cui tractando vires non desint; qui enim ita fecerit, huic neque verba deerunt, quibus rem exprimat, neque dispositione carebit illa, quae gignit ordinem, et lucem adfert. Versate: perpendite, explorate.

Quid valeant humeri. Cui [22]) lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis [23]) haec virtus erit et Venus, aut ego fallor;
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici,
Pleraque differat et praesens in tempus omittat.
In verbis [24]) etiam tenuis cautusque serendis,
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
Dixeris [25]) egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum. Si forte [26]) necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum;
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis [27])
Continget, dabiturque licentia sumta prudenter.
Et [28]) nova, fictaque nuper habebunt verba fidem, si

22) Cui lecta potenter erit res, id est, cujus vires lectae materiae pares sunt; qui eam, ut par est, potenter moderari, et ad artis normam dirigere potest.

23) Sensus: ordinis autem praecipua dos et amabilis pulchritudo in eo cernetur, ut in principio statim dicat, quae jam nunc, id est, in principio dici debent; scilicet, ut lector vel spectator in mediam rem quasi rapiatur, pleraque differat, id est, postea demum enarret, et nunc quidem (praesens in tempus) omittat. Venus; pulchritudo, venustas. Aut ego fallor, id est, ut ego quidem arbitror.

24) Quartum praeceptum elocutionem spectans: In vocabulis et locutionibus tam deligendis, quam repudiandis prudenter loquendi usus in consilium vocetur. In verbis serendis, id est, eligendis, cudendis; ducitur metaphora ab arboribus, quae per sationem multiplicantur. Tenuis, subtilis, acutus. Promissi carminis auctor, h. e. poëta.

25) Sensus: certe ex jam receptis vocabulis quaedam interdum tam scite conjunguntur, ut fiat ex duobus unum, quod et novum videtur, et orationi non parum ornamenti adfert, (dixeris egregie.) Callida junctura, id est, conjunctio acute, solerter, et apte instituta.

26) Sensus: si autem forte aliquando necesse erit sermonem habere de re, quae, hactenus incognita, nondum nomen accepit; tum certe oportebit vocabula vere nova effingere, et neque nobis, neque nostris olim majoribus usurpata; dabiturque ejus rei facile venia, modo ea non abutamur. Indiciis recentibus, id est, vocabulis recens factis. Abdita rerum, id est, res adhuc abditas, nunc demum inventas, in lucem protractas.

27) Cethegis, pro: priscis Romanis cinctutis, id est, cinctu quasi cinctis; vel quod prisci Romani tunicae loco corpus ab umbilico usque ad pedes cinctu, campestri subligaculo, tegebant; vel quod tunicam cinctu constringebant; bene autem prisca vox, cinctutus, respondet sermoni de priscis moribus. Fingere non ex audita, id est, formare voces priscis in auditas, ignotas.

28) Sensus: verba noviter formata porro ab omnibus probabuntur etiam, si videbuntur a Graeca aliqua dictione originem duxisse, atque ab ea levi

Graeco fonte cadant, parce detorta. Quid [29]) autem?
Caecilio [30]), Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque? Ego [31]) cur, acquirere pauca
Si possum, invideor, cum lingua Catonis [32]) et Ennî
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit [33]), semperque licebit,
Signatum praesente nota procudere nomen.
Ut [34]) silvae foliis pronos mutantur in annos;
Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.
Debemur [35]) morti nos nostraque. Sive [36]) receptus

aliqua flexione formata esse. Parce detorta, id est, si verbum Graecum parum tantum mutatum et flexum est.

29) Probat nunc Horatius licere poëtis nova vocabula formare: adducit exempla veterum, Caecilii, Plauti, Catonis et Ennii; indeque concludit eandem licentiam, quae his data est, recentioribus poëtis quoque sui temporis, Virgilio nempe et Vario, concedendam esse. Totum autem interrogatione profert. Ademtum, sc. jus, et libertas nova vocabula formandi.

30) De Caecilio, poëta comico, vide L. II. ep. 1. not. 38. De Plauto ibidem not. 36. De Vario L. I. od. 5. Virgilius satis notus est.

31) Sensus: imo, cur mihi quoque (et cuilibet alio recentiori poëtae) impune non liceat, quod Catoni et Ennio licuit, ut patriam linguam novis aliquot verbis abundantiorem facere coner. Cur ego invideor, id est, cur ego reprober, moleste ferar etc.

32) Cato, M. Porcius Censorinus. Vide Hist. antiq. De Ennio, poëta Latinorum antiquissimo, vide L. IV. od. 7. not. 20.

33) Conclusio ex prioribus: Semper igitur licuit, et semper licebit vocabula nova producere, quae a publico usu vim significandi accipiant. Verba, quibus utitur Horatius, translata sunt a nummo, qui cuditur; eleganter ergo et accommodate ad hanc metaphoram pro: producere, dixit: procudere; et pro simplice: novum, signatum praesente nota; quemadmodum enim nummus vel principis imagine, vel aetatis indicio etc. signatus, notam aetatis praesefert; ita novo vel invento rei alicujus nomini praesentis aetatis nota vel hoc, vel alio modo impressa est.

34) Nexus idearum et sensus: ast id non tantum licere, verum plane etiam necessarium esse contendo: quemadmodum enim singulis annis in suum vergentibus finem mutantur arborum folia, et ea prima, adveniente hieme, decidunt, quae veris tempore prima prodierunt; sic antiquissima quaeque vocabula non raro obsolescunt et concidunt, novis quibusdam in horum succedentibus locum, et juvenum more florentibus. Pronos in annos, id est, prono et celeri cursu labentes; simpliciter: quotannis.

35) Sequitur hic brevis digressio ad fragilem omnium rerum humanarum naturam. Nexus sententiarum et ordo: nec quemquam moveat nominum istud veluti fatum, cum nihilo melior sit aut nostra hominum, aut operum quae molimur, conditio: sive enim regali sumtu portus construatur amplis-

Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
Regis opus, sterilisque diu palus aptaque remis,
Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum;
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos et gratia vivax.
Multa [37]) renascentur, quae jam cecidere, cadentque
Quae nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.
Res [38]) gestae regumque ducumque et tristia bella,
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Versibus [39]) impariter junctis, querimonia primum,

simus; sive exsiccato lacu maximo, terra, quae ante navigabatur, aratro nunc subacta, frumenti copiam urbibus late multis suppeditet; seu denique, aggeribus oppositis, Tiberis, agris frugibusque infestus, eo cogitur, ubi fluat innoxius; haec omnia, licet magnifica, atque, ut videtur, aeterna, peribunt tamen, nosque cum ipsis. Quanto igitur magis fragiles voculae interire debent? Debemur morti, h. e. nos et omnia opera nostra etiam magnificentissima intereunt.

36) Trium hic nominatim operum mentio fit in gratiam Augusti, qui portum Julium ad Bajas amplificatum aggeribus munivit; Pomtinas paludes ante per Cethegum siccatas, sed fossis cumulatis in statum pristinum restitutas, ad mare iterum deduci curavit; ac demum, Tiberis alveo repurgato, fecit, ne ripas transgrederetur magno et urbis et agrorum detrimento. Bene autem haec tria probant nihil esse in humanis rebus perpetuum. Neptunus; pro mari: circumscriptio portus; in hoc enim naves a ventis tutae redduntur. Aquilonibus, pro quibusvis ventis procellosis. Regis opus, h. e. regale opus tanti sumtus, ut nemo alius id efficere posset, nisi cui regiae, imperatoriae essent opes. Apta remis, id est, ubi prius navigabatur. Grave sentit aratrum, pro simplici: nunc colitur. Amnis, Tiberis nempe, qui prius inundationibus suis multum nocuit, iniquus fuit adjacentibus regionibus. Doctus iter melius, id est, coactus delabi itinere, haud amplius agrorum cultui infesto. Gratia, elegantia. Vivax stet, id est, non pereat. Nedum, pro: multo certe minus.

37) Sensus: ast vocabulorum obsoletorum, quae iterum renascuntur sicut noviter inventorum dignitas et honor unice dependet ab usu loquendi, qui igitur consulendus est. Vide supra not. 24. Hic enim est arbiter, qui singulis vocabulis suum jus, id est, vim significationis, et normam, id est, legem determinat.

38) Praeceptum quintum: Pertinet etiam ad elocutionem, ut pro varietate argumentorum varium quoque, et singulis conveniens versuum genus adhibeatur. Tractat ergo de diversis versuum generibus: de hexametro, distichis, jambo, et versibus lyricis. Nexus: et quidem quo numero, id est, versu scribi debeant etc. Monstravit, docuit. Intellige hic versum hexametrum seu heroicum.

39) Per versus impariter junctos intellige, distincta, id est, hexametro

Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos [40]) elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.
Archilochum [41]) proprio rabies armavit jambo.
Hunc [42]) socci cepere pedem, grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus, et populares
Vincentem strepitus [43]), et natum rebus agendis.
Musa [44]) dedit fidibus [45]) divos puerosque Deorum,
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et juvenum curas, et libera [46]) vina referre.

junctum pentametrum. Versibus impariter, pro: versibus, inaequalibus alternatim junctis. Querimonia, pro re tristi. Inclusa est, pro: tractabatur quaelibet sententia, id est, quilibet sensus voluptatis et laetitiae, qui oritur, dum aliquis voti compos fit. Sensus: antiquissimis temporibus affectus tristes, et tardius omnes affectus placidiores laetitiae canebantur distichis.

40) Exiguos elegos, id est, pentametros, quia hi sunt breviores hexametris. Emiserit auctor, id est, invenerit. Sub judice lis est, pro: res adhuc incerta est.

41) De Archilocho, poëta Graeco, vide L. I. ep. 19. not. 22 et 23. Proprius dicitur jambus Archilochi, quia hic hujus versus inventor erat. Rabies armavit eum, id est, hunc versum aptum putavit, quo suam iram exprimeret; ira enim maledicentium cum rabie canum comparari solet.

42) Socci, humile calceamentorum genus, quo utebantur actores comoediarum. Cothurni erant altiores, et his induebantur tragoedi. Coepere, pro: sumserunt. Sensus: comoediae et tragoediae scribebantur jambo, quia alternis sermonibus, id est, dialogis, mutuis colloquiis, vincendo tumultui et repraesentandae actioni in theatro maxime idoneus videbatur et conveniens.

43) Jambus facilius pronunciari et audiri potest, cum populus magnum strepitum excitat in theatro.

44) Musa dedit, id est, denique Musa ipsa videtur Diis et Deorum filiis, heroibus; tum victoribus in ludis celebrandis; et demum jocis, conviviis etc. decantandis versus lyricos destinasse et reservasse. Pro simplici: versibus lyricis scribuntur hymni, odae heroicae, Pindaricae, et Anacreonticae. Musa, pro Musis in genere sumendum est, vel in specie pro Musa lyrae: Terpsychore. Odae porro, in quibus celebrantur Dii, vocantur hymni, in quibus heroës, odae heroicae; in quibus victores pugnis et caestibus certabant, et victores in certaminibus Olympicis, odae Pindaricae, a Pindaro, poëta Graeco, qui hos victores laudibus suis celebravit, sic dictae; in quibus vero res jocum, amorem, et convivia seu commisationes concernentes tractantur, eae dicuntur odae Anacreonticae, ab Anacreonte Tejo, ita nominatae. De ludis Olympicis vide L. IV. od. 1. not. 20.

45) Dantur plures species versuum lyricorum: vide praecepta eloquentiae, sed omnes poëta sub, fidibus, seu lyra, comprehendit.

46) Vina dicuntur libera, quae liberius et largius bibuntur in laetis compotationibus.

Descriptas [47]) servare vices operumque colores,
Cur [48]) ego, si nequeo ignoroque, poëta salutor?
Cur nescire, pudens prave, quam discere malo?
Versibus [49]) exponi tragicis res comica non vult:
Indignatur item privatis et prope socco
Dignis carminibus narrari coena Thyestae [50]):
Singula quaeque locum teneant sortita decenter.
Interdum [51]) tamen et vocem comoedia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore:
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri.
Telephus [52]) et Peleus, cum pauper et exul, uterque

47) Transit nunc poëta ad praeceptum sextum de styli proprietatibus: Stylus debet 1° materiae esse accommodatus, 2° debet esse gravis et patheticus, ut animos percellat, et 3° debet etiam caracteri personarum loquentium et agentium convenire; qui vero has proprietates stylo seu elocutioni suae comparare non scit, poëtarum gregi se non immisceat. Nexus: praeter hanc diversitatem versuum sunt et alia adhuc quoad varietatem elocutionis observanda etc. Per, descriptas vices, intellige, diversitatem versuum, de qua modo sermo fuerat. Per, colores operum, autem: varietatem styli, qua tanquam diversis coloribus poëmata inter se differunt.

48) Sensus: qui hoc ignorat servare, id est, qui hanc diversitatem versuum et varietatem styli observare nescit, poëtae nomine dignus non est; vel hanc artem ediscat oportet; discere enim laudabilius est, quam ignorare. Pudens prave, id est, ex pravo, falso pudore.

49) Sensus: comicum enim et vulgare argumentum, sublimitatem tragoediae propriam minime fert, et e contrario tragicam rem, qualis Thyestae epulum fuit, indignaremur, si quis humili stylo privatorum colloquiorum, aut versu comico prosequeretur. Suum itaque omnia locum sic teneant, ut pro diversa argumenti operisque natura proprius cuique stylus attribuatur. De socco vide supra not. 42.

50) Thyestes cum Atrei fratris uxorem affecisset ignominia, Atreus illi suos liberos epulandos adposuit. Vide Senecae tragoediam hoc argumento scriptam.

51) Vocem tollit. Sensus: interdum tamen etiam in comoedia, cum prodit homo graviter commotus, locum habet oratio concitatior; hinc Chremes senex vehementer iratus (in Terentii Heaut.) persona licet comica, loquendi modo tamen sublimi et gravi, ut decet, suam in filium iracundiam exprimit; et vice versa tragici, si quando volunt aegritudinem animi, qua conficiuntur, significare, ad humile descendunt loquendi genus, quippe quod lacrimis et luctui sit opportunum et congruum. Tumido ore, id est verbis gravioribus. Sermo pedester. id est, stylus humilis, simplex.

52) Probat hoc exemplis: sic Telephus et Peleus, exules ambo et inopia pressi, ampullatis, et ob insolitam longitudinem suam magnificum quiddam sonantibus abstinent verbis, quibus frustra misericordiam hominum essent imploraturi. Telephus, filius Herculis, rex Mysiae, cum transitum Graecis Trojam petentibus negasset, ab Achille vulneratus est; vulnus autem hoc, secundum oraculi effatum, nisi illud eadem hastae cuspide, qua inflictum

Projicit ampullas [53]) et sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.
Non [54]) satis est pulchra esse poëmata, dulcia sunto,
Et, quocunque volent, animum auditoris agunto.
Ut [55]) ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus. Si vis me flere: dolendum est
Primum ipsi tibi; tum tua me infortunia laedent.
Telephe [56]), vel Peleu, male si mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia moestum
Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem lasciva, severum seria dictu.
Format [57]) enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; juvat aut impellit ad iram,
Aut ad humum moerore gravi deducit et angit;

esset, tangeretur, sanari non poterat, propterea castra Achillis adiit, et hanc veniam ab eo petiit, et quidem pauper, h. e. miseri et supplicantis speciem prae se ferens. Peleus, filius Aeaci, ob fratrem Phocum, a se caesum, solum vertere, et ex patria Aegina in Thessaliam fugere coactus est, hinc, exul, dicitur.

53) Ampulla, proprie lecythus, vas angusto collo, sed ventre capaciore et turgido, in quo oleum imprimis et acetum servari solebat. Ab hac ampullae forma turgida et inflata quasi, translate dicuntur, ampullae, verba turgida, ventosa, magnifica. Sesquipedalis, id est, unum et dimidium pedem longus; translate, ad nimis longa vocabula. Spectantis: nam querelis miserabiliter fusis spectatorum quoque movetur animus.

54) Transit nunc ad secundam styli dotem. Vide supra not. 47. Nexus: nec sufficit, si sola pulchritudine, quae magnam partem elocutione constat, commendentur poëmata, suavitatem illis addere oportet, quam adfert animi motuum excitatio, humano pectori semper jucunda. Dulcia, id est, amoena ea proprietate, qua animi lectorum seu spectatorum moventur.

55) Nexus et sensus: ad hoc assequendum autem primo scire oportet, ita factos esse mortales, ut, sicut arrident ridentibus, ita fletu et lacrimis invitentur ad flendum. Humani vultus; humanitatis sensum exprimentes. Dolendum, id est, flendum. Laedent, pro: movebunt.

56) O actor, qui Telephum repraesentas exulem etc. Male; referendum est ad actorem, qui mandatas sibi partes male sustinet. Moestum vultum, id est, tristem hominem, quem repraesentat actor. Ludentem lasciva, id est, hilarem jocosa, ludicra verba. Seria, gravia. Nota: Horatius, cujus data in hac epistola Pisonibus praecepta maximam partem, spectant ad poëtarum tam comicorum quam tragicorum vitia latius latiusque serpentia, non ea tantum, quae poëtis, sed etiam illa, quae actoribus observanda et peragenda sint, hac occasione, ut magister harum rerum peritissimus proponit, et praecipit.

57) Ostendit, cur verba sint affectibus accommodanda; quia, inquit, natura nobis imprimit prius affectus et sensus fortunis nostris convenientes, atque respondentes conditioni nostrae, habitui seu statui: nunc juvat nos, id

Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta:
Romani tollent equites [58]) peditesque cachinnum.
Intererit [59]) multum, Davusne [60]) loquatur, an heros [61]),
Maturusne [62]) senex, an adhuc florente [63]) juventa
Fervidus; an matrona [64]) potens, an sedula nutrix [65]);
Mercatorne vagus [66]), cultorne [67]) virentis agelli;
Colchus [68]), an Assyrius; Thebis nutritus, an Argis. —
Aut [69]) famam sequere, aut sibi convenientia finge,
Scriptor. Honoratum [70]) si forte reponis Achillem;

est, delectat, laetitiam inspirat; nunc ad iram impellit, aut humi prae tristitia quasi abjicit; sed quia latent illi affectus, eos effert dein et quasi foras promit lingua; cum tantum interpres sit internorum sensuum. Oportet itaque cavere, ne aliter loquens inducatur persona, quam aut ejus conditio aut praesens fortuna et affectus interni animi postulant. Id enim si contingat, effuso risu actorem et poëtam excipient spectantium Romanorum ordines universi. Transit hic simul ad tertiam styli proprietatem poëta: Elocutio, nempe, debet etiam characteri personarum loquentium et agentium accommodata esse. Vide supra not. 47.

58) Equites peditesque, culti et inculti; honorati et inhonorati, omnes ac singuli.

59) Intererit multum, id est: multum omnino differre debet sermo harum personarum, quarum enumeratio sequitur.

60) Davus, id est, servilis conditionis homo. Davus enim nomen servorum commune erat.

61) Heros, v. g. Achilles, Bacchus, Hercules etc.

62) Maturus, aetate nempe et consilio.

63) Id est, fervidus juvenis.

64) Matrona potens, nobilis, matris familias dignitatem tuens.

65) Nutrix, cui parvulorum cura demandata est; sedula, id est, sedulitate et officiosa voluntate placere studens.

66) Vagus, ob itinera terra et mari suscipienda.

67) Id est, agricola, homo simplex, rudis, indisertus et rusticis moribus.

68) Oriundus e Colchide, regione Asiae ad pontum Euxinum, et ideo saevus, qualis fuit Medea indidem orta. Assyrius, id est, mollis, quales plerique Assyrii sunt, ob magnas opes et blandam coeli temperiem. Vide L. III. od. 4. not. 29. Thebis nutritus, educatus, ubi crassus aër ingenia facit stupida. Vide L. IV. od. 3. not. 61. Argis, ubi plerique audaces sunt. Est haec urbs in Peloponneso.

69) Immiscet hic Horatius 7um praeceptum de fictione: O scriptor, id est, poëta, si quam personam repraesentas fama notam, sequere illa, quae vulgo de ipsa dicuntur et nota sunt, illam exhibe talem, qualem fuisse fama praedicat; si autem fingis penitus novam personam, et ignotam, cura, ut, quae de illa fingis, constent sibi et conveniant; ne v. g. primo barbaram, postea humanam exhibeas, et hoc praeceptum confirmat exemplis.

70) Honoratum, id est, ab Homero celebratum in Iliade. Reponis, pro:

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis:
Sit Medēa [71]) ferox invictaque, flebilis Ino [72]),
Perfidus Ixion [73]), Io [74]) vaga, tristis Orestes [75]).
Si quid inexpertum [76]) scenae committis, et audes
Personam formare novam: servetur [77]) ad imum,
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.
Difficile [78]) est, proprie communia dicere, tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus.
Publica [79]) materies privati juris erit, si

describis, adumbras. De Achille vide L. IV. od. 5. not. 1. Impiger hostium vexare turmas; iracundus, natura ad iram proclivis, irritabilis; acer, gravis, vehemens, minax. Jura neg. etc. Nulli juri aut legi se obnoxium profiteatur. Nil non, id est: omnia armis arroget; omne suum jus, suamque fiduciam in armis ponat.

71) Medea ferox invictaque, cujus ferox et immitis animus, cum fratrem Absyrtum discerperet, et Jasonis perfidia in furorem acta filios suos trucidaret, non vinci et frangi poterat nefandi sceleris cogitatione: vide Epod. 3. not. 8.

72) Ino, Cadmi filia, et Athamantis uxor fuit. Athamas, in furorem actus, eam persequi et interimere tentavit, illa vero fugiens cum filio Melicerta in mare se praecipitem dedit. Dea inde maris est facta, et Leucothea vocata, ejusque filius Polaemon adpellatus. Flebilis, ergo: digna miseratione.

73) Ixion ideo dicitur perfidus, quod Eponeum socerum suum ad coenam invitatum in occulta, quam paraverat, fovea comburi fecerit.

74) Io, Inachi primi Argivorum regis filia, quam Jupiter in vaccam mutasse fertur; eadem furiis, a Junone immissis, agitata multas regiones orbis peragravit, ac tandem in Aegyptum venit, ubi culta est pro Dea.

75) Orestes, Agamemnonis et Clytemnestrae filius, quem matris sanguine pollutum Furiae agitasse dicuntur, tristi et miseranda furentis specie in tragoediis (Eurip. Orest., Sophocl. Electr.) sistitur.

76) Inexpertum, intentatum, personam novam, a te primum inventam. scenae committis, id est in theatro producere audes.

77) Sensus: etiam atque etiam vide, ut, qualem exhibueris a principio, talis ad finem usque appareat, et primis ultima apte respondeant. Ad imum, pro: usque ad finem.

78) Sensus: omnino arduum ac difficile est rei, a nemine adhuc tractatae, convenientem poëtici operis formam tribuere, tuque, mi lector, melius consules tibi, si ex Homerica Iliade scribendi dramatis argumentum sumes, quam si plane ignota et hactenus inaudita primus tentaveris. Proprie h. e. ita tractare, nova et peculiari arte dicere, proferre communia, quae possint dein exemplaria fieri, ab aliis similia tractantibus imitanda. In actus deducis, pro: in scenam das; drama enim dividitur in actus.

79) Tradit poëta hac occasione aliud praeceptum, et quidem 8um, de imitatione: Nempe, qui imitatur alios, non verbis inhaereat, et in genere

Nec circa vilem patulumque moraberis orbem;
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres; nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.
Nec [80]) sic incipies, ut scriptor cyclicus [81]) olim:
„Fortunam Priami [82]) cantabo et nobile bellum."
Quid [83]) dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto [84]) rectius hic, qui nil molitur inepte:

non serviliter nimium exemplorum vestigia premat. Sensus: materiem publicam, id est, ab aliis jam publicatam et in medio propositam poteris tibi propriam facere, et in usum privatum convertere, si neque tritis et vulgaribus rebus putide immoraberis, neque sicut fidus interpres, verbum verbo reddere curabis, neque servili imitatione te praecipitem dabis in ejusmodi angustias, unde pudor, et aberratio ab iis, quae bono scriptori servanda sunt, pedem expedire te prohibeat. Privati juris, id est, propria erit; quod vile, est etiam commune; quod patet, a multis pede teritur; orbis designat nodum et implexionem, ac proinde per vilem patulumque orbem eleganter exprimitur communis et trita implexio et solutio. Novam ergo implexionem et solutionem, id est, novam dispositionem materiei faciendam esse praecipit.

80) Per sextum praeceptum Horatius delatus est in specie ad poësim dramaticam, ad quam omnia ab hinc tradita praeprimis referenda sunt; nunc vero per praeceptum 8um, de imitatione, ab hac materia paululum avocatus, talia profert, quae in specie poësim epicam spectare videntur. Tradit hic praeceptum 9um, de initio carminis, praecipue epici. Initium poëmatis non sit justo sublimius; nec etiam justo altius repetatur. Sensus: vitandus etiam in argumenti propositione facienda tumor, quo usus olim legitur imperitus quidam poëta epicus, cum de Trojano bello acturus, in hunc modum exorsus est.

81) Cyclus apud Graecos erat veluti liber continens longam fabularum omnium descriptionem usque ad Trojae eversionem, ex variis poëtarum carminibus collectam, ut esset tanquam materies publica tragoediarum. Scriptor cyclicus est ergo auctor mali poëmatis epici, quippe quod nihilo plus haberet artificii, quam Cyclus epicus ille.

82) Priamus, rex Trojanorum, sub quo Troja eversa est. Per, nobile bellum, intelligendum est memorabile bellum Trojanum. Fortuna, id est, fatum.

83) Sensus: quid hic promissor proferet, producet, quod respondeat verbis, quae tanto oris hiatu et plenis buccis denunciat? vereor, ne montibus parturientibus prodeat parvus mus, omnium sibilis et cachino excipiendus. Sensus hujus proverbii, a fabula Aesopi de mure et monte parturiente desumti, satis notus est.

84) Sensus: quanto consultius ille ubique sapiens Homerus Odysseam modeste incepit. Sequuntur duo versus hujus poëmatis, Latinis numeris ab Horatio expressi. Continent hi invocationem, qua epici sua carmina inci-

„Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Trojae,
Qui mores hominum multorum vidit et urbes."
Non fumum [85]) ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat:
Antiphatem [86]), Scyllamque [87]), et cum Cyclope [88]) Charybdim [89]);
Nec [90]) reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.
Semper [91]) ad eventum festinat, et in medias res,

pere solent. Argumentum autem Odysseae sunt errores per maria et terras Ulyssis, post eversam Trojam domum redeuntis.

85) Sensus: non id agit Homerus, ut splendida exordia praeponat poëmati, daturus deinde fumum, id est, descensurus ad res humiles et viles narrandas; sed ex fumo, post exordium humile, vulgare grandia et splendida subtexit e. g. Antiphatem etc. Speciosa miracula, id est, res eximias, admirationem excitantes. Promat, inde deducat, subjungat.

86) Antiphates, fuit Laestrigonum rex, homines vorare solitus; in cujus litora cum aliquando devectus esset Ulysses, tresque e sociis emisisset, qui regionem explorarent, ille unum ex his ore dilaniavit, duobus reliquis vix sibi fuga consulentibus. Antiphates enim, cum magna suorum manu insecutus, omnes Ulyssis naves, una excepta, qua ipse vehebatur, saxis et trabibus in eas injectis demersit.

87) Scylla, monstrum marinum, Phorei filia fuisse fertur et a venefica, Circe, inferiore parte corporis in canem mutata, quae hanc deformitatem non ferens se in Siculum fretum praecipitavit, ubi versa fingitur in scopulum praeternavigantibus valde metuendum.

88) Cyclops Polyphemus gigas, Neptuni filius, qui quatuor Ulyssis socios suo antro inclusos devorarit, caeteros pariter devoraturus, nisi illi inebriato oculum, quem unum in fronte habebat, torre impacto idem Ulysses ademisset.

89) Charybdis, mulier fuit rapacissima, quae ob subtractos Herculi boves fulmine icta, et in voraginem Scyllae oppositam conversa est in freto Siculo.

90) Diomedes, Graecorum dux post Achillem fortissimus. Ejus reditum ex Troja intellige. Meleager, Aenei, Calydoniae regis filius, Aeneus autem fuit frater Tydei, et hujus filius erat Diomedes, hunc Meleagrum propria mater Althaea interfecit, fatali stipite in ignem conjecto. Per ovum intelligendum est Ledae ovum, quae ex Jove peperit Helenam, quam Paris, filius Priami, rapuit; inde ortum est bellum Trojanum. Sensus: Diomedis excisa Troja in patriam reditum narraturus, eum non a Meleagri patrui ejus interitu orditur; nec belli Trojani seriem ab ovo Ledae. De Ledae gemino ovo, vide etiam Myth.

91) Ad eventum, id est, ad rerum finem, ad exitum properat; ita, ut cum inchoat, prope abesse illum a fine putes Incipit extrema narrare vel media, quasi lector vel auditor jam nosset ea, quae antecessere. Sic Homerus incipit Iliadem ab ira Achillis in Agamemnonem decimo demum anno

Non secus ac notas, auditorem rapit, et quae [92])
Desperat tractata nitescere posse, relinquit;
Atque [93]) ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Tu [94]), quid ego et populus mecum desideret, audi.
Si plausoris eges aulaea manentis et usque
Sessuri, donec cantor: Vos plaudite, dicat;
Aetatis [95]) cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus et annis.
Reddere [96]) qui voces jam scit puer, et pede certo

belli Trojani; quae praecesserant occasione data narrat. Idem imitatus est Virgilius in Aeneide.

92) Sensus: et ea omnia omittit, quae exornari non possunt, quae splendida exhiberi nequeunt; vel: quae rite tractata nullum splendorem conciliant carmini.

93) Sensus: denique tanto artificio historiis fabulas, veris falsa permiscet, ut primis media, hisque postrema apte nectantur, decori atque verisimilis ratione apprime ubique servata. In hoc enim differunt poëtae ab historicis scriptoribus, quod hi naturalem semper rerum ordinem sequantur, ea prius narrantes, quae prius gesta sunt: epici vero ordinem illum dedita opera perturbant, quae tardius gesta sunt narrant prius, et veris etiam falsa immiscent, ita tamen, ut omnia adamussim conspirent.

94) Redit nunc iterum ad poësim dramaticam, a qua per idearum seriem aliquantulum avocatus fuerat; et tradit 10um praeceptum, de charactere personarum agentium in dramate: Qui sibi scriptor conciliare cupit auditorum vel spectatorum animos, quomodo homines pro sua quisque aetate agant sentiantque, penitus perspectum habeat, necesse est. Referendum est hoc praeceptum ad 3iam styli proprietatem, vide praeceptum 6tum not. 47. Sensus et nexus: quisquis porro fabulam das, et cupis spectatorem tibi contingere, qui te favore prosequatur et plausu; qui placidus perseveret in cavea sedens, donec finita fabula actor aut histrio solemni formula eos, qui adsunt, moneat, ut plaudant et abeant, et iterum aulaea demittantur; quisquis inquam ista desideras, audi, quid ego et omnis populus a te velimus et exspectemus. Aulaea manentis, hoc est, exspectantis, eadem constructio, quae in: haec te manet poena, magna te manet gloria. Expectabant autem aulaea, quicunque ad fabulae finem perseverabant: ea enim finita, vela, quae initio fabulae demittebantur, ut pateret theatrum, et in fine fabulae iterum, iis sursum tractis, quae durante fabula in terra jacebant, theatrum tegebatur. Vide L. II. ep. 1. not. 126. Signum finitae fabulae etiam aliud erat, cum nempe ab actorum aliquo spectatores monebantur his verbis: Plaudite et abite. Aulaea, idem ac, vela.

95) Sensus: habere te oportet eximie notos aetatum diversarum varios et mutabiles mores, ut singulis personis, quae quamlibet decent, attribuas. Mobilibus naturis, id est, hominum ingeniis et studiis mutabilibus. Annis, pro: aetati. Decor dandus, id est, tribuendum est id, quod iis convenit.

96) Descriptio aetatis puerilis: Voces reddere, pro: loqui. Pede certo

Signat humum, gestit paribus colludere, et iram
Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas.
Imberbus [97]) juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque, et aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.
Conversis [98]) studiis aetas animusque virilis
Quaerit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.
Multa [99]) senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quaerit, et inventis miser abstinet, ac timet uti:
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, quaerulus, laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorque minorum.
Multa [100]) ferunt anni venientes commoda secum,

humum signat, pro: firmum gressum in solo ponit, firmo pede incedit. Gestit, amat. Paribus sibi, nempe pueris. Colligit iram temere, h. e. facile exardescit. Ponit, pro: mitigatur. In horas, id est, qualibet hora.

97) Descriptio aetatis juvenilis: Custode, moderatore, paedagogo. Gaudet, delectatur, amat. Aprici gramine campi, h. e. gymnasticis exercitationibus in Campo Martio, qui dicitur apricus. Cereus, h. e. cerae instar facile flexibilis, seducendus ad vitia. Asper durus ad sapientia monita. Utilium, h. e. in rebus utilibus, quibus futurae vitae providere debet, tardus. Aeris pecuniae. Sublimis: altiora spirans, elatus, arrogans. Cupidus, id est, multa temere appetens, subitoque fastidiens. Pernix, idem ac, celer.

98) Descriptio aetatis virilis: Conversis studiis, id est: animo a juvenilis aetatis studiis ad ea, quae virili aetati propria sunt, converso. Animus, mens virilis. Inservit, id est, adpetit honores. Laboret, pro: conetur.

99) Descriptio aetatis senilis: Circumveniunt, premunt. Quaerit opes, et partis seu inventis opibus uti ab avaritia miser prohibetur. Gelide, id est, animo, qualis est senum, frigido; haud promto paratoque, sed lento et anxio. Ministrat, administrat, gerit. Dilator, qui negotia differt. Spe longus, qui longioris vitae spem alit: Nemo est tam senex, inquit Cicero, qui non putet se annum adhuc vivere posse. Iners, id est, debilis, et ob virium defectum rebus gerendis minus aptus. Avidus, cupidus sciendi, quid sit futurum. Difficilis: haud facilis se adeuntibus, morosus. Quaerulus, id est, adsiduis de sorte sua querelis fatigans alios. Laudator, h. e. rerum olim, cum esset puer, gestarum verbosus laudator. Censor, id est, acrem in juniores censuram exercet, quos velut degeneres arguit.

100) Conclusio: sic anni venientes, qui teneram aetatem excipiunt, nempe juveniles et viriles multa bona et commoda secum ferunt; quae anni

Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles,
Semper in adjunctis aevoque morabimur aptis.
Aut [1]) agitur res in scenis, aut acta refertur.
Segnius [2]) irritant animos demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus [3]), et quae
Ipse tibi tradit spectator. Non tamen intus [4])
Digna geri promes in scenam, multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia [5]) praesens.
Ne pueros coram populo Medea [6]) trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus [7]),
Aut in avem Progne [8]) vertatur, Cadmus [9]) in anguem.

recedentes, id est, ad exitum vitae decurrentes, seniles anni iterum auferunt. Ne ergo juveni mandetur senis persona, aut seni juvenis, aut puero viri, sedulo cavendum. Sed ab aetate qualibet ea tantum exigantur, quae solent esse illius propria, et cum ipsa conjuncta. Semper in adjunctis, hoc est, semper eorum, quae cuique aetati adjuncta et apta sunt, conveniunt, rationem habebimus; immorari enim alicui rei dicuntur, qui diligentiorem curam et operam in aliqua re recte tractanda ponunt.

1) Sequuntur nunc praecepta, ad repraesentationem actionis in dramate spectantia. Praeceptum 11um: Cum ea, quae oculis conspiciuntur, multo gravius animos spectatorum afficiant, quam illa, quae audiuntur; horroris plena non oculis in scena subjici, sed tanquam intus acta narrari debent. Sensus: sunt quaedam, quae coram spectatoribus in ipso theatro geruntur, quaedam vero, extra theatrum gesta, ibi tantum narrantur.

2) Segnius, id est, minus vehementer, lenius, languidius, irritant, excitant. Demissa per aurem, id est, quae audimus.

3) Oculi dicuntur fideles, quia de iis quae audimus, possumus dubitare, non autem de iis, quae videmus. Tradit spectator: quae enim audimus, traduntur nobis ab aliis; quae vero spectamus, ea ipsi nobis per oculos tradimus.

4) Intus, id est, extra scenam, non coram oculis spectatorum.

5) Facundia praesens: id est, quae mox persona in scenam prodiens facunde edisserat. Praesens, potest etiam explicari de persona, quae rei intus actae praesens adfuerit.

6) De Medea filios suos occidente vide supra not. 71. et Epod. 3. not. 8.

7) De Atreo vide supra not. 50. Humana exta, id est, exta filiorum Thyestae, quae patri comedenda proposuit.

8) Progne mutata est in hirundinem. Vide L. IV. od. 11. not. 3.

9) Cadmus, filius Agenoris regis Phoenicum. Qui a patre missus quaerere Europam sororem suam a Jove raptam, cum illam non invenisset, nec ad patrem redire auderet, urbem Thebas in Boeotia condidit; sed cum socii necati essent a magno serpente, hunc occidit ipse. Post Cadmus in poenam occisi serpentis cum Hermione uxore sua fertur mutatus in anguem. Vide Ovid.

Quodcunque [10]) ostendis mihi sic, incredulus odi.
Neve [11]) minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quae posci [12]) vult et spectata reponi;
Nec [13]) Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit; nec quarta loqui persona laboret [14]).
Actoris partes chorus [15]) officiumque virile
Defendat; neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, et haereat apte.
Ille [16]) bonis faveatque, et consilietur amicis,

10) Sensus: haec et similia vix quisquam, etiam cum videt, credit, quia fieri horret. Sic: scilicet ut in scenam producas incredibilia, et horrenda visu.

11) Praeceptum 12um quod concernit actuum numerum, machinas, in repraesentatione actionis adhibitas, personarum colloquentium numerum et chorum: Cavendum est, ne fabula ultra quinque actus producatur; ne repentino machinae seu Dei alicujus interventu finiatur; ne quarta persona sermocinantibus in scena sese immisceat; ne quid chorus intercinat, quod a re, quae agitur, alienum sit. Minor, id est, nec pauciores; productior id est nec plures habeat actus.

12) Quae posci vult, sc. ad spectandum. Reponi, iterum spectari, repeti, iterari.

13) Sensus: nec in partes vocetur Deus, quod vulgo nunc dicitur; ex machina, nisi res implicita, quam Deus aliquis repente apparens expediat, digna sit, id est: absque aperta necessitate. Dignus nodus, h. e. nisi talis fuerit implicatio, ut vindice Deo opus sit, qui eam solvat. Locutio, Deus ex machina, de rebus, quae nisi vis quaedam divina ex improviso accedat, expediri nequeunt, translata est e re scenica, si Deus praeter omnem exspectationem, per machinam aliquam demissus, in scena apparet.

14) Laboret, sustineat. Horatius autem quartam personam ideo in colloquiis scenicis silere jubet, ne quatuor colloquentium sermo permixtus et perplexus minus capiatur ab auditoribus.

15) Chorus erat hominum multitudo virorum ac mulierum, quae intererat scenae, et in actionem tragicam se interponebat; locum enim, ubi tragoedia exhibebatur, quem vulgo scenam vocamus, statuebant fere poëtae Graeci in aliqua platea seu vestibulo et atrio palatii, ubi populus frequens adest. Sensus: chorus actoris partes, et, quod decet chorum, strenue tueatur, ita quidem, ut nihil intercinat quod non arcte cum proposito, repraesentato argumento fabulae cohaereat. Chorus autem conjunctim, actoris partes sustinet; quia, dum canit, quae fabulae argumento respondent et accommodata sunt, simul agit.

16) In versibus sequentibus quaedam eorum, in quibus peragendis et commendandis versari imprimis debeat chorus, nominatim praecipiuntur. Bonis faveat: laudet homines probos. Consilietur: det consilium. Regat: mitiget ira inflammatos. Peccare timentes: viros innocentes, a peccato et vitiis abhorrentes. Brevis: frugalis et parcae, quae brevi tempore durat. Apertis otia portis, pro vulgari: et pacem; pace enim non clauduntur portae. Tegat: ne prodat, ne aperiat arcana sibi credita. Miseris: infelicibus. Fortuna, felix nempe et secunda.

Et regat iratos, et amet peccare timentes;
Ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
Justitiam, legesque et apertis otia portis;
Ille tegat commissa, Deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.
Tibia [17]) non, ut nunc, orichalco [18]) vincta, tubaeque
Aemula, sed tenuis simplexque foramine pauco,
Adspirare et adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu;
Quo [19]) sane populus numerabilis, utpote parvus
Et frugi, castusque verecundusque, coibat.
Postquam [20]) coepit agros extendere victor, et urbem
Latior amplecti murus, vinoque [21]) diurno
Placari Genius festis impune diebus,
Accessit numerisque modisque licentia major.
Indoctus [22]) quid enim saperet, liberque laborum
Rusticus urbano confusus, turpis honesto!

17) Quia chori veterum cum tibiae cantu et saltu conjuncti fuerant, poëta hic digreditur ad musicae artem, ejusque historiam quodammodo percurrit, ne tamen ad objectum plane alienum digredi videatur, quaedam etiam de historia artis poëticae immiscet. Sensus: non olim erat tibia, ut est nunc, vincta et ornata circulis quibusdam ex orichalco factis, non erat ingens, et tubae par, aut similis; sed tenuis erat, ac ejusmodi, ut adspirare seu accinere choro posset, audirique per sedilia, in quibus erant spectatores non nimis spissi et frequentes, atque adeo numerari faciles.

18) Orichalcum, est aeris genus quoddam splendidum et auri fulgorem imitans. Tibia dicitur orichalco vincta, quod illa vinculis quibusdam vel ornamentis, ex orichalco factis, conspicua erat. Pauco foramine, id est, pauca habens foramina. Flatu complere, id est, nondum utilis sono emisso facere, ut sedilia complerentur spissis, condensatis spectatoribus; ac proinde tibia necdum ita perfecta fuerat.

19) Quo, in quem locum, ad quae sedilia coibat, conveniebat nondum adeo numerosus populus, quia parvus erat, non copia innumerabili, ut nunc; isque frugi, id est, probus, pudicus et modestus.

20) Postquam vero etc. Agros, id est, ditiones. Victor, Romanus. Urbem, Romam nempe.

21) Sensus: et postquam coeptum est vino indulgeri, et potari liberius, impune, et sine legum metu festis diebus; solutior quoque facta est primum poësis; deinde musica, utraque arte novos quosdam, et inusitatos modos in theatrum inducente. Per modos intellige, cantum, musicam. Porro qui hilaritati et vitae jucunditati indulgent, dicuntur placare et curare Genium, dum grato animo fruunter muneribus, quae Genius cuique homini additus, suppeditat. De Genio vide L. II. ep. 1. not. 95. et ep. 2. not. 159.

22) Sensus: quomodo enim confusa hominum turba, ubi indoctus,

Sic [23]) priscae motumque et luxuriem addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem.
Sic [24]) etiam fidibus voces crevere severis;
Et [25]) tulit eloquium insolitum facundia praeceps,
Utiliumque sagax rerum, et divina futuri,
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis [26]).
Carmine [27]) qui tragico vilem certavit ob hircum [28]),

rusticus, homo rudis, et post peractos labores genio suo indulgens, urbano; turpis honesto, id est, purus impuro, vel incultus exculto immiscebatur, recte de hac re sentire et subtiliter judicare poterat?

23) Sensus: hinc factum est, ut tibicen priscae arti, id est, pristinae simplicitati, ubi tibia tenuis simplexque foramine pauco adspirabat choro, adderet motum, id est, mimicos gestuum motus, et luxuriosam magnificentiam; factumque sit, ut per theatrum hac illac euntes longissimas traherent togas. Motus, de corporis jactatione mimica, vel de saltatione intellige. Per pulpita, id est, per scenae solum tabulis stratum.

24) Sensus: hinc etiam lyrae adjici coepit multiplex chorda, ut quae austerum hactenus, gravem et solis rebus seriis accommodatum ederet sonum, mollem imposterum levemque redderet. Per voces, intellige hic chordas. Lyra enim ab initio tantum quatuor chordas habebat, tardius autem septem.

25) Sensus: modus quoque loquendi candidus, moderatus et facilis, ita in novum et inusitatum facundiae genus brevi mutatus est a poëtis, ut qui perspicua prius oratione, de honesto et utili in choris suis disputabant, deque futuris rebus deliberabant philosophorum more sapienter atque dilucide, jam ob sublimitatem insolitam nonnisi de tripode loqui et oracula promere viderentur, qualia Delphis eduntur obscura admodum et involuta. Facundia praeceps, id est, facundia poëtae lyrici, praecipiti quasi cursu ruens in illud eloquium insolitum, in illam sublimitatem. Utilium sagax rerum sententia: sententia, nempe, res utiles sagaciter pervestigatas prius complectens, et divinitus praedicens futura tardius, non discrepuit ab oraculis et vaticiniis, quae Delphis edebantur.

26) Delphi, urbs Phocidis in Graecia, ubi templum Apollinis celeberrimum, et Pythia oracula sua edebat.

27) Continuans adhuc historiam poeseos et sic in specie ad tragoediam, cui tardius satyra immiscebatur delatus, novum tradit praeceptum 13 um: Postquam ad Musam tragicam accessit Satyrus, sive drama satyricum, licebit quidem poëtae tragico in gratiam eorum, qui animi recreandi et exhilarandi causa spectatum veniunt, sales satyricos et dicteria adspergere, sed hac lege, ut gravitatem servet incolumem; ut suam cuique personae, quae inducitur, tribuat dignitatem; ut sermo ejus neque nubes et inania captet, neque ad humilitatem et sordem deprimatur; ut rei de medio sumtae orationis serie et junctura honor accedat; ut denique immunda et ignominiosa dicta exterminentur. Nexus est: nec longe post, qui olim levis pretii hircum tragoediae, a se scriptae, et victoriae, de aemulis poetis reportatae, praemium satis magnum putabat, id est, poëta tragicus satyros nudos in theatrum induxit; cumque severus et asper esset ob argumenti tragic

Mox etiam agrestes satyros nudavit et asper
Incolumi gravitate, jocum tentavit eo, quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator, functusque sacris, et potus, et exlex.
Verum [29]) ita risores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo,
Ne, quicunque Deus, quicunque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper et ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas;
Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.
Effutire [30]) leves indigna tragoedia versus,
Ut festis matrona moveri jussa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.
Non [31]) ego inornata et dominantia nomina solum,
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo,

gravitatem, conatus est, illa servata, jocum miscere, et novae istius voluptatis illecebris tenere spectatorem, ne post sacrificia et epulas ebrius, et sine lege vivens, tragoedia nondum peracta, discederet.

28) Praemium eorum, qui tragoedias scribebant, erat hircus. Satyri pinguntur nudi, humano capite, sed cornuto, caprinis pedibus, totoque corpore villosi, adeoque ridiculi, propterea: nudavit. Functus sacris: perfectis sacrificiis, quae post vindemiam fiebant in honorem Bacchi. Exlex; erat enim magna illis diebus licentia.

29) Sensus: verum decebit poëtam tragicum ita in partes vocare satyros, et seriis admiscere ludicra, ne vel Deus vel heros aliquis in scenam productus, et nuper, id est, modo regali magnificentia conspectus, aut ad humiliora dicteria, qualia in obscuris tabernis audiuntur, descendat, aut dum humiliora refugit, ad altiora sese extollat et inania captet in nubibus. Risores satyri; quia satyra alios deridet et acute dictis pungit. Ostro, id est, purpura.

30) Sensus: et sane indoles tragoediae severa, non potest non odisse Satyrorum proterviam; non decet tragoediam saepe et larga copia effutire levioris argumenti versus, sed ea paulum pudibunda raro tantum inter satyros versabitur h. e. raro admittet satyrae lasciviam, sicuti matrona festis tantum diebus, h. e. raro saltat. Suavissima est haec tragoediae severae, passim tantum satyrae protervitati locum relinquentis, cum matrona diebus festis tantum saltante comparatio. Effutire: de versibus inconsiderantius et largiore copia profusis. Indigna, id est, non digna, quae effutiat. Jussa moveri, id est, jussa saltare a sacerdotibus.

31) Jam Horatius, postquam satyram in tragoedia quoque locum certis finibus circumscriptam habere docuit, ipse sibi, ut poëtae satyrico, exsequendas partes proponit atque demandat. Sensus: et quidem ego hoc intelligens, o Pisones, si quando scribam satyras tragicis actibus permiscendas, non adhibebo inornata et communia, id est, plebeja, humilia, et vulgaria vocabula solum; sed sublimiora et elegantiora etiam.

Nec [32]) sic enitar tragico differre colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur et audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum,
An custos famulusque Dei Silenus alumni.
Ex noto [33]) fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum frustraque laboret
Ausus idem: tantum series junctura pollet!
Tantum de medio sumtis accedit honoris!
Silvis [34]) deducti caveant, me judice, Fauni [35]),
Ne velut innati triviis, ac pene forenses,
Aut nimium teneris juvenentur versibus unquam;
Aut immunda crepent, ignominiosaque dicta:

---

32) Sensus: et nunquam a sublimiore loquendi genere tragico ad eam in sermonibus, quos compono, satyricis loquendi humilitatem descendam, ut in nullo plane ponam discrimine, utrum inferioris conditionis servus vel ancilla, an Bacchi custos, famulusque, Silenus, loquatur. Tragico colori differre, id est, a sublimiore tragico sermone descendere. Davus, nomen servi. Pythias, nomen ancillae. Emuncto, id est, calide circumvento; locutio comica apud Plautum et Terentium; emungere aliquem, pro: callido invento fraudare aliquem pecunia; explicari fortasse potest sic. L. I. sat. 4. vers. 8. homo emunctae naris est homo acutus; translate igitur: fraude et damno reddere aliquem acutiorem. Simo, est nomen heri vel domini apud Terentium. Silenus, Bacchi paedagogus, administer, et in ejus itineribus asino vectus comes; longe igitur Silenus ab inferioris conditionis servo differt.

33) Nexus et sensus: hoc praecipue quaeram in isto carmine, quod in multitudinis gratiam excogitatum est, ut, cum sit ejus argumentum ex rebus vulgo cognitis sumtum, verbis quoque utar ex usu communi planis atque facilibus, ita, ut, quisquis audiat, simile statim aliquid se scribere posse confidat, attamen experiri volens, difficillimum esse inveniat, nec ullo assequatur conatu: tantum valet ad veram et quodammodo inimitabilem dignitatem operi conciliandam, vel sola vocum idonearum dispositio commoda, verborumque connexio naturam imitata! tantum valet ars, qua rebus vulgaribus paratur honor, pulchritudo, elegantia, gravitas!

34) Sensus et nexus: quod de Satyris censui, judico pariter de Faunis, qui cum a silvis in urbes veniant, non debent, quasi Romae et in medio ipso foro educati essent, urbani sermonis delicias usurpare; sed magis adhuc mollioribus, et juvenilem lasciviam sonantibus, et obscoenis versibus abstineant oportet. Horatius hic designasse videtur juvenes in foro declamatores, exquisitiores loquendi formulas captantes.

35) Fauni, silvarum Dii, qui aliquando in comicas et satyricas personas assumebantur. Triviae sunt loca, ubi plures viae concurrunt, ac proinde loca maxime frequentata designari videntur Romae, ad ista loca etiam forum referri potest, ubi oratores purissimis verbis utebantur, quae Fauno minime decebant. Teneris versibus juvenari, idem ac: molliter aut juveniliter luxuriari. Crepent: loquantur, proferant. Ignominiosa, contumeliosa.

Offenduntur [36]) enim, quibus est equus, et pater, et res,
Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emtor,
Aequis accipiunt animis, donantve corona.
Syllaba [37]) longa brevi subjecta vocatur jambus,
Pes [38]) citus; unde etiam trimetris adcrescere jussit
Nomen jambeis, cum senos redderet ictus.
Primus [39]) ad extremum similis sibi; non ita pridem,
Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in jura paterna recepit
Commodus et patiens, non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter. Hic [40]) et in Accî

---

36) Sensus: his enim maxime offenduntur cultiores, et licet etiam placeant incultae plebi, illi tamen non aequo animo audiunt ea, neque poëtam corona laurea donant. Quibus est equus, id est, equites; quibus est pater, id est, qui a patriciis nati sunt, ac proinde e nobili, clara familia oriundi; quibus est res, h. e. divites. Emtor fricti ciceris et nucis, est circumscriptio pauperis plebeculae. Offendi, et non aequo animo accipere, audire, sunt hic synonyma.

37) Nexus sententiarum: cum porro multum intersit, utrum poëmata modulata, an immodulata sint, utrum versuum numeri et pedes leniter et molliter decurrant, an ponderibus quasi gravati et impediti moleste incedant, hinc juxta praeceptum 14um versus non ad indignam illam, quae Romanis poëtis data est, licentiam, sed ad exempla Graecorum componendi atque concinnandi sunt. Subjecta, postposita.

38) Ordo: qui pes, quod celeriter currat, sexies licet multiplicatus, et sex notatus ictibus, non tamen sex mensuras, sed tres tantum efficit in versibus jambicis, quos ea de causa trimetros dicimus. Facete autem Jambus, quod poëtae jusserunt, ipse jussisse dicitur. Pedes versuum porro singulos vel ictu pedum vel ictu digitorum numerabant; hinc senos reddebant ictus in versibus, quorum sex pedes erant.

39) Sensus: olim primus pes jambus usque ad extremum, ultimum erat sibi similis h. e. totus versus constabat e meris pedibus jambis; at non ita pridem in jura paterna, id est, in sedes, quas a patre et inventore suo acceptas tenebat, spondaeos stabiles, graviores, ut plus haberet gravitatis, ut tardius et lentius pronunciaretur, recepit, commodus et patiens, h. e. officiosus et obsequiosus; ita tamen, ut spondeo, in societatem suam recepto neutiquam secundam aut quartam sedem cederet. Eleganter spondaei dicuntur stabiles, quia non saliunt, curruntque sicut percitus Jambus, sed pondere suo retardati moras faciunt.

40) Hic Horatius poëtam Latinum tragicum Accium et Ennium carpit, quod neuter eorum jambi in secunda aut quarta sede ponendi rationem habuerit; hic, ait, jambus in secunda et quarta sede raro et in Accii trimetris invenitur; idemque Ennii versibus, quia ex iis, spondaeorum pondere laborantibus, pariter exsulat, aut nimiae festinationis ac negligentiae, aut artis poëticae ignorantiae turpem culpam contraxit. In scenam missus

Nobilibus trimetris apparet rarus, et Ennî
In scenam missos magno cum pondere versus,
Aut operae celeris nimium curaque carentis,
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
Non [41]) quivis videt immodulata poëmata judex,
Et data Romanis venia est indigna poëtis.
Idcircone vager, scribamque licenter, ut omnes
Visuros peccata putem mea, tutus et intra
Spem veniae cautus? Vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos [42]) exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At vestri [43]) proavi Plautinos [44]) et numeros et
Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati; si modo [45]) ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque [46]) sonum digitis callemus et aure.
Ignotum [47]) tragicae genus invenisse Camoenae

id est, in theatro pronunciatus. Constructionis ordo est: Jambus rarus versus Ennii in scenam missos premit culpa negligentiae vel ignorantiae. De Plauto Accio et Ennio vide L. II. ep. 1. not. 30 et 36.

41) Sententia est: non quivis quidem judex, ut probe scio, immodulatorum poëmatum asperitatem et vitia sentit; et praeterea haec licentia indigna, id est, quae dari omnino non debebat, data est Romanis poëtis, nempe ut liberiores sint in suis jambis; sed egone ideo solutius et licentius scribam, quia, licet sciam, omnes peccata mea visuros esse, a reprehensione tutus, et intra hujus veniae spem cautus, id est, quietus et securus sum? Quid tandem effeci? Culpam, id est, reprehensionem quidem vitavi, sed nondum laudem merui. Immodulata, id est, suis modulis et pedibus carentia. Vager: nempe quod se primum obtulerit arripiam; leges carminum et quasi vincula negligam.? Ut, pro: licet. Putem, pro: sciam. Cautus, non est: qui sibi cavet et providet, providus; sed: cui cautum et provisum est, securus, tutus.

42) Nexus: quare si vestrum aliquis, o Pisones, ad scriptionis poëticae decus contendit, diu noctuque volvat et revolvat Graecos poëtas, ut ab iis imbibatis virtutes, quas bonus scriptor sectari debet.

43) At avi et majores nostri etc.

44) Horatius passim tangit Plauti errores Vide L. II. ep. 1. vers. 58. not. 36. ibi Plauto Accio nimiam festinationem exprobrat. Numeros, id est, versus. Sales, pro: jocos. Nimium patienter, id est, nimis indulgenter.

45) Sensus et nexus: sit ita sane, dummodo ego et vos, Pisones, didicerimus lepida sejungere et discernere ab illepidis.

46) Legitimumque sonum, id est, legitimos numeros et pedes digitis numerare et auribus dijudicare calleamus, sciamus; qui enim versus faciunt, tam digitos in numerandis pedibus in partes vocant, quam etiam aures consulunt.

47) Nexus: cum ergo desint nostrorum Romanorum exempla absoluta

Dicitur, et plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quae canerent, agerentque peruncti faecibus ora.
Post [48]) hunc personae, pallaeque repertor honestae
Aeschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Successit [49]) vetus his comoedia, non sine multa
Laude; sed [50]) in vitium libertas excidit et vim,
Dignam lege regi: lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.
Nil [51]) intentatum nostri liquere poëtae:
Nec minimum meruere decus vestigia Graeca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,

tragoediae ac comoediae, superest, ut, quod dixi, accipiamus a Graecis, apud quos cum genus hoc poëmatis natum esset, excultum quoque fuit majore cura. Et quidem Thespis Atheniensis dicitur primus invenisse Camoenam tragicam seu tragoediam antea ignotam, quae principio rudis, pro theatro et scena plaustrum habebat, e quo, per pagos circumducto, sua poëmata partim canebant, partim recitabant, cum imitatione actionis; ac ne agnoscerentur, cum larva nondum inventa esset, vini faece, e doliis, quae potando siccaverant, accepta, os sibi perlinebant.

48) Post Thespim Aeschilus poëta Graecus, invenit et dedit suis actoribus personam seu larvam, et pallam seu longiorem vestem honestam; idem theatrum exstruxit, et tignis imposuit, cothurnos addidit et grandiora verba. Modicis tignis, id est, subjectis non admodum amplis tignis imposuit pulpita, h. e. super mediocris magnitudinis tigna stravit solum, quo actores incederent. Magnum loqui, id est, stylum sublimiorem. De cothurno jam saepius dictum.

49) Post Thespim et Aeschilum poëtae, omissis tragicis argumentis, contulerunt se ad hominum vitia nominatim et palam carpenda, et in scenam inducenda. Hoc fecit comoedia vetus vide L. I. sat. 4. not. 4. Non sine multa laude, id est, magnam laudem adepta est, cum salse mores hominum corrigeret.

50) Sensus: sed vitiosa evasit, degeneravit licentia dicendi, et in maledicendi consuetudinem delapsa est, tanta cum procacitate, et violentia, ut eam comprimendam esse legibus homines putaverint. Lata lex et accepta est; ademtum jus illud maledicendi, et nocendi alienae famae, quod cum praecipue faceret chorus, silere jussus est, sublatus est. Dignam lege regi, id est, quae debebat lege comprimi. Per vim intellige maledicentiam.

51) Sensus: poëtae Latini versati sunt in comoedia pariter et tragoedia; atque felici cum successu a nostris etiam rebus desumta argumenta tractarunt, sive praetextas, sive togatas dedissent fabulas. Per fabulas praetextas intelligi debent tragoediae Latinae, in quibus agunt nobiles personae et heroicae; praetexta enim erat vestis nobilium puerorum et Magistratuum Romanorum. Toga vero erat vestis plebis et communis, unde fabula togata comoediam Romanam designat.

Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas.
Nec [52]) virtute foret clarisve potentius armis,
Quam lingua, Latium, si non offenderet unum-
Quemque poëtarum limae labor et mora. Vos [53]), o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies, et multa litura coërcuit, atque
Praesectum decies non castigavit ad unguem.
Ingenium [54]) misera quia fortunatius arte
Credit; et excludit sanos Helicone poëtas
Democritus, bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque poëtae,
Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit. O ego [55]) laevus,

52) Hic jam incipit III^a pars carminis, et agit Horatius de virtutibus, quae ab eo, qui poëtae nomine se dignum reddere vult, exiguntur. Sensus: erat omnino spes, fore ut operibus scriptis non minus clara evaderet Italia, quam erat fortitudine et rebus bello gestis; nisi scriptores nostri omnes limandi ac perpoliendi longum laborem recusarent.

53) Subjungit hic praeceptum 15um limam operum poëticorum concernens: Vos itaque, Pisones nobilissimi, et ab ipso Numa Pompilio ortum ducentes, sic aestimate: Nullius unquam pretii fore poëma, a quo jam absoluta meditatio longa, crebraque emendatio, quidquid inesse naevorum poterat, non expunxerit; quodque decies non exploraverimus, sit ne omni ex parte absolutum. Pompilius sanguis; quia Calpus est filius Numae Pompilii, a quo Calpurnii Pisones traxerunt nomen. Coërcuit, id est, ab iis, quae reprehensionem incurrunt, cohibuit; emendando purgavit. Praesectum ad unguem: unguis enim praesectus vel praecisus mollius sentit asperitatem aliquam. Imago translata est a statuariis, qui opus, quod laevigant et expoliunt, ne quid asperitatis in eo remaneat, unguibus percurrunt, pertentant et explorant.

54) Nexus et sensus: stultum siquidem est, quod aliqui putant, poëtas nescio quo furore correptos absque labore et sine industria perfectum carmen scribere. Quia enim Democritus, plus ingenio, quam miserae arti tribuendum esse censens, eos, qui non insaniunt, a consuetudine cum Musis coërcet, bona pars poëtarum externo corporis cultu et moribus hominum oculos ad se advertere studet; non ungues desecandos, non barbam demetendam curat; recipit se in loca sola et deserta, et loca frequentia fugit. Helicon, mons Musarum in Graecia. Democritus, Abderites philosophus; se ipsum excoecavit, ut subtilius indagaret naturae secreta. Balnea, ubi frequens erat hominum conventus. Nanciscetur, id est, putat haec magna pars, se nancisci. Caput, quod helleboro, in tribus insulis Anticyris nato, vix sanari potest, ergo poëtam designat insanum. Anticyra est insula in mari Aegaeo, ubi frequens nascebatur elleborum, quo purgantur furiosi et insani. Licinus nomen tonsoris, quem Horatius hic obiter carpere videtur.

55) Sensus: ô me stultum, qui vernali anni tempore, quod attinet ad

Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poëmata; verum [56])
Nil tanti est; ergo [57]) fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi:
Munus [58]) et officium, nil scribens ipse, docebo:
Unde parentur opes [59]); quid alat formetque poëtam;
Quid deceat, quid non; quo [60]) virtus, quo ferat error.
Scribendi [60*]) recte sapere est et principium et fons:
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae:
Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit [61]), patriae quid debeat, et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
Quod sit conscripti [62]), quod judicis officium, quae
Partes [63]) in bellum ~~misi~~ ducis, ille profecto

bilem, ne atra bile laborem, vel, ut caveam mihi ab insania, purgor medicamento! Certe si causas furoris non expellerem hac ratione, nemo meliora poëmata faceret!

56) Id est: verum tanti arbitror, poëtam esse, ut illud emere velim insania.

57) Horatius non carmina insanorum poëtarum more scripturus, sed praecepta tantum ad poësim spectantia daturus, acute se comparat cum cote, cujus vice se fungentem futurorum poëtarum ingenium ad poësin recte tractandam acuere velle ait. Exsors ipsa secandi, id est, cos acutum tantum reddit ferrum, non ipsa secat, accommodate ergo ad imaginem; Horatius futuros poëtas acuere tantum, non ipse versus componere vult.

58) Munus et officium, scribendi recte scilicet.

59) Opes: copia, ubertas, materies.

60) Sensus: quid poëticae artis notitia perfecta, quidve ejusdem ignoratio possint efficere.

60*) Praeceptum 16um: Poëta debet esse philosophus, h. e. debet philosophiae studere, quae docet, quid deceat, quid non, quaeve cum studio vitae humanae conjuncta sit oportet. Nexus: et quidem tantum abest, insanos esse poëtas, quod Democritus sensit, ut e contrario omnis facultas bene scribendi ex una petatur sapientia, quam doctorum virorum, qualis Socrates fuit, scriptis legendis comparamus; et si hac instructus fueris, deesse tibi verba non poterunt, quibus sensa exponas. Rem, id est, sapientiam, quae docet, quid deceat, quid non. Chartae positae sunt pro scriptis. Provisam rem, id est, si hanc sapientiam tibi comparaveris. Socrates fuit philosophus Graecus.

61) Qui enim didicit ex his philosophiae praeceptis etc.

62) Conscripti, id est, senatoris; vocati enim sunt senatores, patres conscripti, jam inde a Bruto, qui post ejectum Tarquinium auxit numerum senatorum, et alios centum adscripsit ad ducentos, e quibus jam constabat senatus. Vide Antiquit. et Hist. Antiqu.

63) Quae partes, sc. sint; quomodo dux, in bellum missus, demandatas sibi partes exsequi debeat.

Reddere[64]) personae scit convenientia cuique.
Respicere[65]) exemplar vitae morumque jubebo
Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces.
Interdum[66]) speciosa locis morataque recte
Fabula, nullius Veneris, sine pondere et arte,
Valdius oblectat populum, meliusque moratur,
Quam versus inopes rerum, nugaeque canorae.
Grajis[67]) ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris:
Romani[68]) pueri longis rationibus[69]) assem[70])

64) Reddere, dare, attribuere.

65) Sensus: illud igitur in primis praecipio, ut poëta imitetur accurate mores et vitam hominum quotidianam, ac proinde illam respiciat et cognoscere studeat, atque hinc proprias rerum voces, hoc est, descriptiones sumat, quibus utatur in operibus suis. Doctus imitator, id est, qui philosophiae praeceptis imbutus recte imitari noverit et exprimere, quod cuique personae proprium est in vita humana.

66) Sensus et nexus idearum: inde dependet, haec est causa, quod magis delectetur populus, magisque teneatur fabula, quae aliquot hujusmodi descriptionibus, e vita communi petitis, et suo loco positis ornatur, quaeque mores humanos praeclare imitatur (licet alioqui sit sine Venere, id est elegantia; sine pondere, id est, careat sonantibus et numerosis versibus; sine artificio et stylo simplici concinnata) quam verbis magnificis, quae quidem suaviter ad aures accidunt, sed inopes rerum et materiae sunt, id est, nihil exprimunt, quod ad rem pertineat. Speciosa locis, id est, conspicua et locuples sententiis et rebus, quas tractat; oppositum est, inops rerum, ut infra. Morata recte, id est, in qua recte et vere expressi sunt mores hominum; recte ad mores hominum composita. Valdius, pro: validius, magis. Moratur detinet, capit.

67) Reddit hic Horatius rationem, cur Graeci Romanos superaverint gloria ingenii atque facundiae; quia nimirum studio philosophiae maxime dediti erant. Nexus sententiarum: haec ingeniosi poëtae Graeci cum intelligerent; neque ullius magis rei quam gloriae appetentes essent; consequuti facile sunt, ut praestanti simul sapientia facundiaque praediti viderentur. Nos e contrario Romani toti sumus in arithmetica, quae jam pueris maxima cura et arte commendatur et inculcatur. Loqui ore rotundo, id est, ita dicere, ut oratio fluat rotunda, bene polita, apta concinna, et omnis asperitatis expers. Nullius, rei nempe, avaris Grajis vel Graecis.

68) Jam hic Horatius studium arithmeticae apud Romanos praeclare imagine, qua puer aliquis in hac arte a magistro instituendus repraesentatur, adumbrat.

69) Longis rationibus, id est, implexis computationibus arithmeticis.

70) As apud Romanos in 12 partes seu uncias dividebatur. Una pars dicitur, una uncia; sextans, sexta pars assis, duae unciae, quadrans, quarta assis pars, tres unciae; triens, tertia assis pars, quatuor unciae; quincunx, quinque unciae: semis, quasi semissis, sex unciae; septunx, septem unciae;

Discunt in partes centum diducere[71]). Dicat
Filius Albini[72]): si de quincunce remota est
Uncia, quid superet? Poteras[73]) dixisse: Triens. Eu[74])!
Rem poteris servare tuam. Redit[75]) uncia, quid fit?
Semis[76]). An[77]) haec animos aerugo et cura peculî
Cum semel imbuerit, speramus, carmina fingi
Posse linenda[78]) cedro, et levi servanda cupresso?
Aut[79]) prodesse volunt, aut delectare poëtae,
Quicquid praecipies, esto brevis; ut cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles:
Omne[80]) supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta[81]) voluptatis causa sint proxima veris,

bes, octo unciae; dodrans, novem unciae; dextans, decem unciae; deunx undecim unciae.

71) Diducere, dividere.

72) Albini cujusdam foeneratoris filius, quem magister his verbis provocat: Dicat filius etc.

73) Puer respondet audacter nimis: Me interrogas de re adeo levi, poteras tu ipse statim dixisse: triens. Alii sic explicant: Interjecta aliqua mora magister, responsum pueri exspectans, dicit: tamen tu jam dixisse poteras? acsi diceret: alias citius dicere poteras? et puer ad haec illico respondet: triens.

74) Est laus magistri ad responsum pueri: Eu bene dicis! Rem, id est, opes tuas tu quondam augebis.

75) Magister: Redit, id est, accedit ad quincuncem etc.

76) Pueri responsum.

77) Sensus: quid quaeso, cum haec avaritiae labes animis inhaeserit, cum eos totos occupaverit peculii amplificandae cura, putas adhuc carmina scribi posse nunquam interitura? Turpis avaritia et rem augendi cupiditas, dicitur aerugo, quia, sicut haec aeri, ita tam tenaciter avaritia insidet animis, ut inde eradi et evelli nequeat. Peculium, proprie divitiae e pecoribus consistentes, hic autem, opes, divitiae ingenere.

78) Linenda cedro; digna, quae saturentur oleo cedrino, et serventur in arca, e laevigatis tabulis cupressinis constructa, ne fiant blattarum et tinearum epulae.

79) Praeceptum 17um, de carmine didactico: hoc debet esse breve, verum, atque suave; in genere autem, utile dulci est miscendum. Nexus: poëtae praeterea non tantum semper delectare, sed nonnunquam etiam prodesse, id est, docere, aut docere simul et delectare volunt etc. Idonea vitae, id est, utilia cognitu. Praecipies, docebis. Teneant, memoria nempe.

80) Sensus: omnia enim, quae sunt superflua, non influunt in pectus jam plenum et exsatiatum, sed ab eo respuuntur. Ductum a vase pleno, in quod nihil amplius infundi potest. Manat, effluit.

81) Veritatem carminis didactici ponit poëta in eo, ut illa, quae suavitatis causa finguntur, sint proxima veris, id est, verisimilia; nec enim fabulae auctor, ait, quodcunque ei pro lubitu fingere placebit, rebus a se fictis fidem haberi poscat; neu fingat, puerum, a Lamia devoratum, vivum ejus alvo

Nec, quodcunque volet, poscat sibi fabula credi;
Neu pransae Lamiae[82]) vivum puerum extrahat alvo.
Centuriae[83]) seniorum agitant expertia frugis;
Celsi praetereunt austera poëmata Ramnes[84]),
Omne tulit punctum[85]), qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic[86]) meret aera liber Sosiis; hic et mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat aevum.
Sunt[87]) delicta tamen, quibus ignovisse velimus:

extractum esse, quis enim hoc credat? Ceterum referri hoc etiam potest ad praeceptum 7um not. 69. ubi de proprietatibus aliis fictionis in dramate loquutus est poëta.

82) Lamia erat monstrum quoddam, muliebri specie, quod in fabulis, pueris narrari solitis, occurrebat, et pueros devorare ab his ipsis credebatur.

83) Sensus: seniores repudiant carmina, quae solum placent; juniores vero nobiles ea non ferunt, quae utilitatem habent austeram, expertemque jucunditatis. Perfectissimus demum is est, et omnibus probatur, qui docendo delectat. Nota: Servius Tullius populum Romanum in sex classes distribuit, ita, ut prima classis ditissimos contineret, secunda minus divites, itemque tertia, et sic deinceps. Singulae classes porro multas continebant centurias, una quaeque vero centuria bifariam dividebatur, in senes et juniores. Centuriae seniorum, sunt ergo seniores. Agitant, reprobant. Expertia frugis, id est, inutilia.

84) Romulus populum Romanum in tres divisit tribus; qui erant in prima, vocabantur Ramnes, in secunda Tatienses, qui in tertia, Luceres. Numerus tribuum autem tardius auctus est ad 35. Per Ramnes hic intelliguntur juniores, in tribum enim Ramnensium descripti erant a Romulo equites, qui erant juniores et robustiores. Celsi, elati, erecto capite, incessu et toto corporis habitu superbiam sive confidentiam ostendentes. Austera, non delectantia.

85) Ferre omne punctum, est: omnium, seniorum nempe et juniorum suffragiis probari, promereri omnium adprobationem; de puncto vide L. II. epist. 2. not. 82.

86) Sensus: qui hoc consecutus est liber, ille bibliopolis, Sosiis, maximum adfert lucrum, a transmarinis hominibus ultro expetitur, et famae immortalitatem conciliat auctori suo. Meret aera, id est, multum lucri parat. De bibliopolis Sosiis vide L. I. ep. 20. not. 2. Noto, celebrato. Prorogat, extendit.

87) Transit hic Horatius ad praec. 18um, quo judicibus, aequitatem in dijudicandis operibus poëticis observandam levibusque mendis veniam dandam esse, praescribit. Nexus sententiarum et sensus: nec tamen omnia ita ad vivum sunt resecanda, ut nullus laude dignus putetur liber, nisi in quo nihil reprehendi possit. Sunt ergo certe quaedam, quibus ignosci debeat. Delicta, vitia, errores, menda.

Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens[88]),
Poscentique gravem persaepe remittit acutum;
Nec semper feriet, quodcunque minabitur, arcus.
Verum[89]) ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid[90]) ergo est?
Ut[91]) scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, venia caret; et citharoedus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
Quem bis terque bonum cum risu miror; et idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum operi longo fas est obrepere somnum.
Ut[92]) pictura, poësis; erit, quae si propius stes,

88) Mens, id est, animus. Poscenti, id est, volenti citharoedo gravem sonum edere, chorda remittit, edit acutum. Minabitur, id est, ad quod feriendum dirigitur. Nec feriet, id est, non tanget, sed nonnunquam a meta aberrabit. His duabus allegoriis designatur: optimum quemque errori etiam obnoxium esse.

89) Sensus: opus ergo, in quo plurima nitent, perfecta sunt, rejiciendum non est ob paucos naevos, qui aut per negligentiam quamdam, vel per humanae naturae imbecillitatem nolentibus solent obrepere. Fudit, adspersit, illevit.

90) Sensus: quaenam ergo regula de vitiis poëtarum statuenda est?

91) Sententia est: quemadmodum scribae, si is, quamvis est reprehensus, tamen in iisdem verbis describendis porro peccat, haud ignoscendum est; et quemadmodum, qui semper eadem chorda oberrat, se deridendum praebet: sic mihi ille poëta, qui scatet vitiis, fit alter quasi Choerilus, id est, a me comparatur Choerilo illi malo poëtae, quem, praeterquam quod multa ejus vitia rideo, miror, si bis aut ter, id est, nonnunquam bene canit; et licet indignamur, quando bonus Homerus dormitat; tamen aequitas omnino postulat, ut ei, qui longo operi intentus nonnunquam dormitat, ignoscamus. Scriptor librarius, qui aliena describit opera. Cessat, negligens est. De Choerilo, malo poëta, vide L. II. ep. 1. not. 158. Dormitat, labitur, errat.

92) Sensus et ordo: ceterum, sicut picturae, ita poëseos duplex est genus; excellens alterum, alterum mediocriter bonum; quemadmodum ergo tabellae quaedam tanta cura sunt elaboratae, ut quo propius accedas, et luci admoveas, diutiusque ac curiosius contempleris, magis magisque placeant; aliae ex adverso tam levis artificii, ut potius in obscuro, id est, in umbra, quam clara luce considerandae sint, nec nisi eminus conspectae probentur: ita poëmata nonnulla sunt, quae censuram acrem non ferunt, quae nondum diligentius explorata e longinquo quasi placent, et penitus in propinquo cognita non placent; carmina autem in luce posita, et ab acuto judice lustrata et probata, et nunc et semper plausum ferent. Horatius his viam quodammodo sibi stravit ad sequens praeceptum 19um, quo in arte poëtica

Te capiet magis, et quaedam, si longius abstes;
Haec amat obscurum, volet haec sub luce videri,
Judicis argutum quae non formidat acumen:
Haec placuit semel, haec decies repetita placebit.
O[93]) major juvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris[94]) ad rectum, et per te[95]) sapis, hoc tibi dictum
Tolle[96]) memor: certis medium et tolerabile rebus[97])
Recte concedi: consultus[98]) juris et actor
Causarum mediocris abest virtute diserti
Messalae, nec scit, quantum Cascellius Aulus:
Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poëtis
Non homines, non Dî, non concessere columnae[99]).
Ut gratas[200]) inter mensas symphonia discors,

mediocritatem fugiendam et ad perfectionem adspirandum, nihilque, quod non prius artis peritorum judicio, et limae diu subjectum sit, in publicum emittendum esse monet.

93) Sensus: quae cum ita se habeant, o major filiorum Pisonis, quamquam et per te ipsum, et ex paterna institutione satis intelligis, quid eligendum sit, et quo collimandum; adhuc tamen, ne meae erga te voluntati deesse videar, unum te supra cetera meminisse velim, ac nullo unquam tempore oblivisci: in artibus nempe quibusdam etiam illa laudari, quae solum mediocria sunt et tolerabilia, ut in jureconsultis et causarum actoribus patet, etc.

94) Fingeris ad rectum, id est, ad perfectam poëticae laudem informaris.

95) Per te sapis, hoc est, ipse sapienter judicas.

96) Hoc tibi dictum tolle memor, id est, hoc a me tibi dictum accipe, et memori animo serva.

97) Certis rebus, pro: in quibusdam artibus. Tolerabile concedi recte, id est, jure tolerari.

98) Sensus: etsi enim hi nec facundiam Messalae, nec tantam legum ac juris notitiam habeant, quanta in Cascellio fuerat; suam nihilominus singuli laudem obtinent: poëtis vero, neque per Deos, neque per homines mediocribus esse permittitur, imo ne ipsae quidem columnae, eorum nomina sustinent ferre, qui perfecti non sunt. Consultus juris, et actor causarum, sunt synonyma, uterque enim orator esse debebat. De Messala Corvino oratore vide L. I. sat. 10. not. 18. Cascellius Aulus autem jurisprudentia tum maxime conspicuus erat. In pretio est, aestimatur, laudatur.

99) Columnae librariorum intelligendae sunt; hi enim ad columnas porticuum libros venales expositos cum suis titulis habebant. Repudiabant autem bibliopolae mediocrium poëtarum carmina, quia, qui illa emerent, non inveniebant.

200) Sensus: quemadmodum convivae in splendido convivio, vel symphonia discorde, vel crasso unguento, vel insipido papavere inter lautas epulas apposito, offenduntur; ita animi lectione carminum, quae a sublimitate ad humilitatem, a summa dignitate ad imam indignitatem descendunt, fastidio officiuntur. Discors, male concinens. Crassum, non liquidum, sed coagulatum et rancidum: caput enim ungebant sibi convivae unguento puro aquae instar roseaceae. Sardo melle, quod amarum erat propter herbarum amaritiem in Sardinia; e papavere enim et melle cibum antiqui parabant, qui in mensis secundis adponi solebat. Duci, id est, in multam noctem produci, uti fieri solet in splendidis conviviis.

Et crassum ungentem, et Sardo cum melle papaver
Offendunt, poterat duci quia coena sine istis:
Sic animis[1]) natum inventumque poëma juvandis,
Si paulum a summo decessit, vergit ad imum.
Ludere[2]) qui nescit, campestribus[3]) abstinet armis,
Indoctusque pilae discive trochive quiescit[4]),
Ne spissae risum tollant impune coronae[5]):
Qui nescit[6]), versus tamen audet fingere! Quid ni[7])?
Liber et ingenuus, praesertim census[8]) equestrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni!
Tu[9]) nihil invita dices faciesve Minerva[10]);
Id tibi judicium est, ea mens; si quid tamen olim

1) Poëma natum, factum et inventum animis juvandis, id est, ad delectationem lectorum, iis minime placebit, si etc. Summo, id est, perfecto.

2) Contextus: quod cum ita sit, aequum est, poëtas ceterorum hominum prudentiam imitari, qui enim plane rudis est ludorum Campi Martii etc.

3) Campestria arma, sunt ea, quibus juvenes ludebant et se exercebant in Campo Martio, v. g. discus, hasta etc.

4) Quiescit, et alios spectat, pila et trocho ludentes.

6) Spissae coronae: condensae spectatorum, ludentes cingentium, catervae. Impune, id est, liberius; quis enim risores coërceat?

6) Sensus: ille igitur solus, qui versibus pangendis non est idoneus, versus tamen facere et componere audebit?

7) Quid ni? est satyrica interrogatio: et cur etiam non audeat versus facere? est enim liber, sui juris, et ingenuus, id est, e liberis parentibus ortus etc.

8) Census equestrem summam nummorum: Graeca constructio cum accusat. pro: praesertim, cum adhuc census sit secundum summam equestrem, id est, praesertim, cum adhuc dives sit, et possideat summam nummorum, quadraginta millium aeris, quantum eques Romanus possidere debebat; et insuper ab omni vitio remotus, h. e. moribus sit inculpatis?

9) Nexus et sensus: ita quidem alii sentiant, tu vero, mi Piso, eo es judicio, ut spero, et mente atque prudentia, ut nunquam aliquid invita Minerva scripturus sis; ceterum si te tamen versuum condendorum quondam libido invaserit, noli ante in publicam lucem emittere opus, quam Metium Tarpam primo; deinde patrem tuum; ac demum etiam me, censores adhibueris fidos, et novem adhuc totos annos continueris illud scrinio.

10) Invita Minerva, id est, non favente Minerva, quae est Dea sapientiae et prudentiae; ergo: non scribes, nisi ingenio ad id te a natura praeditum esse sciveris.

Scripseris, in Metii [11]) descendat judicis aures,
Et patris et nostras, nonumque prematur in annum,
Membranis intus [12]) positis. Delere licebit,
Quod non edideris; nescit vox [13]) missa reverti.
Silvestres [14]) homines sacer interpresque Deorum
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus;
Dictus ob [15]) hoc lenire tigres, rapidosque leones.
Dictus [16]) et Amphion Thebanae conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, et prece blanda
Ducere, quo vellet. Fuit [17]) haec sapientia quondam:
Publica privatis secernere, sacra profanis.
Concubitu [18]) prohibere vago, dare [19]) jura maritis,
Oppida moliri [20]), leges incidere ligno [21]):

11) De Mettio Tarpa, critico illius temporis celeberrimo, vide L. I. sat. 10. not. 27.

12) Intus, in scrinio. Membranis, id est, scriptis, seu opere.

13) Vox missa, id est, carmen editum. Vide L. I. ep. 18. vers. 71. ubi ait: et semel emissum volat irrevocabile verbum.

14) Postquam Horatius praecepta, ad quae dirigendum sit poëseos studium, in medium protulit sapientissima, nunc quid ab antiquissimis inde temporibus effectum sit carminibus enarrat, et breviter, sed mira suavitate, poëseos laudes celebrat. Nexus idearum: et sane si omnibus illis virtutibus, quibus poëtae fiunt, praeditus fueris, non erit, cur te studii, artis poëticae pudeat; hoc enim fuit ille Deorum interpres Orpheus, qui silvestres homines etc. Silvestres; inter feras in silvis degentes. Sacer; quia erat Calliopes et Apollinis filius. Interpres Deorum: quasi ab iis ipsis, quae caneret, accepisset. Victu foedo: vescebantur enim silvestres radicibus, et glandibus. Deterruit, abduxit.

15) Ob hoc: Horatius ipse causam, ex qua Orpheus, tigres et leones lenire, dictus sit, aperit; ex feritate scilicet homines ad cultiorem vitam traduxit. De Orpheo vide L. I. od. 11. not. 10. et Myth.

16) Dictus: narrant quoque Amphionem exstruxisse Thebas saxis lyra motis, ita ut aliis alia sponte se superponerent; fuit ille Jovis et Antiopae filius, et musicus praestantissimus. Vide Mythol. Testudinis, id est, lyrae; inventor enim lyrae, Mercurius, primum testudinis tergo sive scuto intendit cordas. Vide Myth. Prece blanda, id est, blandis carminibus, vel blanda allocutione homines, qui lapides comportarent, et suam cuique sedem in novo muro adsignarent, movit scilicet Amphion.

17) Sensus: philosophia, quam unice poëtae tradiderunt illis temporibus, in eo consistebat: nimirum, in secernendo publico a privato cujusque bono, etc.

18) Id est: in prohibendo maritos a concubitu vago, pro: in damnanda et coërcenda vaga libidine.

19) Id est, in sanciendis connubiorum pactis.

20) In urbibus nempe fundandis, aedificandis.

21) Leges tabulis ligneis incidebantur, quia nondum erant aereae. Sensus: in determinandis legibus, et juribus, quibus homines regerentur.

Sic honor [22]) et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus [23]),
Tyrtaeusque [24]) mares animos in Martia bella
Versibus exacuit; dictae [25]) per carmina sortes,
Et vitae [26]) monstrata via est; et [27]) gratia regum
Pieriis tentata modis: ludusque [28]) receptus,
Et longorum operum finis: ne [29]) forte pudori
Sit tibi Musa lyrae solers et cantor Apollo.
Natura [30]) fieret laudabile carmen, an arte,
Quaesitum est: ego nec studium sine divite [31]) vena,
Nec rude [32]), quid possit, video ingenium: alterius [33]) sic
Altera poscit opem res, et conjurat amice.
Qui [34]) studet optatam cursu contingere [35]) metam,

22) Sententia: ex quibus rebus summus, ac prope divinus honor non solum poëtis accrevit, sed etiam eorum operibus.

23) De Homero, poëta epico Graeco, ejusque Iliade, saepius jam sermo fuit.

24) Tyrtaeus fuit poëta Atheniensis, luscus et claudus, qui dux Lacedaemoniis, bellum contra Messenios gerentibus, oraculo datus, ita suis versibus militum animos accendit, ut insignem de hoste victoriam retulerint. Mares, viriles, generosos.

25) Sensus: Apollo ipse sua oracula versu edidit.

26) Monstrata via est vitae, sc. a poëtis, qui morum praecepta tradiderunt.

27) Sensus: et poëtae coeperunt id agere, ut Pieriis modis, id est, carminibus se insinuarent in regum gratiam: tentare gratiam alicujus, est periculum facere, an parari possit ejus gratia.

28) Sensus: comoediae denique et tragoediae, mimi et satyri, versu conscripti sunt, ad oblectandos remittendosque animos post longos belli et urbis labores. Ludus: scenicus scilicet receptus, et inventus est. Finis, id est, in hunc finem, ut etc.

29) Sensus: ut jam, o clarissime Piso, nec tibi, nec cuiquam hominum pudori esse possit, si cum Musis et cum Apolline versus lyricos pangas. Ceterum hi duo versus jam ab initio hujus laudis poëseos contextus causa positi fuere, vide supra not. 214.

30) Facta hac de laudibus poëseos digressione iterum redit Horatius ad virtutes boni poëtae; ingeniumque in eo cum arte seu studio conjunctum esse debere 20mo contendit. Contextus: cum tanta esset carminum et poëtarum gloria, quaeri est coeptum, quo pacto boni fierent versus? Naturane, an studio et arte? Ego, ait Hor. utroque opus esse non dubito. Per naturam autem intellige ingenium a natura datum.

31) Dives vena, id est, locuples ingenium.

32) Rude ingenium, id est, tale quod artis praeceptis et studio non sit excultum.

33) Alterius poscit opem res, id est, unum ab alio debet suffulciri, nempe studium ab ingenio, et vicissim; ambo conjurare, conspirare debent ad bonum poëtam efficiendum.

34) Sensus: quemadmodum is, qui ad victoris laudem adspirat in ludis,

Multa[36]) tulit fecitque puer, sudavit et alsit;
Abstinuit Venere et vino: qui Pythia[37]) cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque[38]) magistrum.
Nec[39]) satis est dixisse: „Ego mira poëmata pango:
„Occupet[40]) extremum scabies[41]), mihi turpe relinqui est,
„Et quod non didici, sane nescire fateri."
Ut[42]) praeco ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores jubet ad lucrum ire poëta,
Dives agris, dives positis in foenore nummis.
Si vero[43]) est, unctum[44]) qui recte ponere possit,

ubi cursu certatur, jam puer omnia fecit, quae ad corpus corroborandum spectant; et quemadmodum is, qui tibicen prodire vult ad celebranda Pythia, diu ante disciplina boni magistri usus in arte tibia canendi sese exercuit: ita poëta ad carmina scribenda bene praeparatum pectus adferre debet.

35) Qui est victor in ludis, optatam cursu contingit metam.

36) Tulit, id est, toleravit fecitque; frigori et calori se exposuit; vino et voluptatibus abstinuit.

37) Pythia fuere ludi instituti in honorem Apollinis ob Pythonem serpentem, ab eo sagitta interfectum. Cantare autem Pythia, erat, cantare Apollinis laudes in ejusmodi ludis.

38) Qui a magistro instituitur, illum timere solet.

39) Sensus: ita, eodem modo non satis est dixisse etc.

40) Occupet etc. id est; male sit ei, qui inter postremos est; mihi certe qui sum inter primos, ab aliis me superari, et fateri me vere nescire, quae non didici, turpe et dedecori esset. Sine dubio respexit Horatius poëtam aliquem, sic de se sentientem, et sic fere loquentem; poëtam aliquem, qui pertinebat ad eos, de quibus Hor. L. II. ep. 2. vers. 107. ait: Gaudent scribentes et se venerantur, et ultro, si taceas, laudant, quidquid scripsere beati.

41) Scabies: haec vox fuisse videtur opprobrium, quo pueri currendo certantes ei, qui ultimus ad metam venerat, rem malam imprecabantur; ad convicia ergo pertinet vox: scabies. Extremum, et relinqui, translata sunt a certaminibus, ubi victi a victoribus post terga relinquuntur.

42) Tradit hic Horatius praeceptum 21um quo poëtas, praesertim divites, monet, ut sibi caveant ab assentatoribus, hosque vel maxime fugiant; viros autem vere doctos et prudentes adeant, et eos decenter rogent, ut vitia in operibus suis animadversa benevole secum communicare velint. Incipit statim a descriptione assentatorum. Sensus et ordo: dives quidem poëta assentatores lucri capiendi spe ad se allicit et invitat, sicuti praeco, qui emtores ad merces emendas invitat.

43) Sensus: quodsi is adhuc sit talis, id est, non avarus, quales plerumque divites esse solent, ut possit unctum, seu convivam recte, ut decet liberalem convivatorem, lautis epulis excipere, pro paupere spondere, eumque gravioribus litibus implicitum expedire; ejusmodi poëta dives et beatus non facile falsum a vero amico discernet; quo major enim est ejus liberalitas, eo tectior est assentatorum fraus et calliditas.

44) Unctum, id est, convivam, convivae enim unguentis delibuti inter-

Et spondere[45]) levi pro paupere et eripere atris:
Litibus implicitum, mirabor, si sciet inter-
Noscere mendacem verumque beatus amicum.
Tu[46]) seu donâris, seu quid donare voles cui,
Nolito[47]) ad versus tibi factos ducere plenum
Laetitiae, clamabit enim: pulchre! bene! recte!
Pallescet, super his etiam stillabit amicis[48])
Ex oculis rorem; saliet, tundet pede terram.
Ut, qui conducti[49]) plorant in funere, dicunt
Et faciunt[50]) prope plura dolentibus ex animo,
Derisor[51]) vero plus laudatore movetur.
Reges[52]) dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus. Si carmina condes,
Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.
Quintilio[53]) si quid recitares[54]): Corrige, sodes,

esse solebant splendido convivio. Ponere; ponuntur enim vel collocantur convivae in lecto triclinari; hinc, positi: accumbentes.

45) Spondere pro aliquo dicitur, qui aes alienum a debitore solutum iri promittit, et fidem suam interponit. Levi, id est, levioris fidei apud creditorem, quia pauper, quod pignori det, non habet. Litibus atris: misere vexantibus.

46) Sensus: tu igitur nolito ei, qui jam dona a te accepit, aut se accepturum esse sperat, laetitiae de acceptis aut accipiendis donis adhuc pleno versus tuos recitare, is enim clamabit: pulchre! bene! recte! Pallescet etiam, quod vehementer admirantium est; mittet ex oculis lacrimas, sui gaudii testes; exsiliet, seque non satis capiens, terram pede pulsabit, quasi summae voluptatis sensu abreptus.

47) Nolito talem ducere ad versus, a te factos, audiendos.

48) Amicis, piis, et intimos quasi animi sensus prodentibus.

49) Mercede conducebantur apud Romanos, qui ploratus in funere ederent. Respexit hic Horatius mulieres praeficas, lamentationi quasi praefectas. Vide Antiquit.

50) Faciunt, id est, lamentationes et ploratus plures, seu plura doloris signa edunt, quam non conducti, amici, qui ex vero animi sensu dolent.

51) Sensus: ita etiam derisores, assentatores, qui simulatione alios ludunt, plura simulant, ut videantur vere laudare, quam faciunt, qui serio laudant et ex animo. Movetur: externis scilicet graviter commoti animi signis.

52) Sensus: reges dicuntur multis cyathis seu poculis invitare, et quasi tormentum illis inferre, quos velint scire, an amicitia sua digni sint; quippe cum vino madnerint, facile eorum detegunt indolem, ebrius enim celare nihil solet: eodem modo et tu cave, si carmina condideris, ne assentator quis sub astutae vulpis pellicula te fallat; omnibus modis experire eos, quos tuorum carminum judices adhibes.. Culullus, erat poculum capacius.

53) Sequitur nunc imago veri et prudentis carminum censoris. Quinti-

Hoc, ajebat, et hoc; melius te posse negares [55]),
Bis terque expertum frustra, delere jubebat,
Et male tornatos [56]) incudi reddere versus.
Si defendere delictum [57]), quam vertere [58]), malles,
Nullum [59]) ultra verbum aut operam insumebat inanem,
Quin sine rivali teque et tua solus amares.
Vir bonus [60]) et prudens versus reprehendet inertes [61]),
Culpabit duros, incomtis [62]) allinet atrum
Transverso calamo signum, ambitiosa [63]) recidet
Ornamenta, parum [64]) claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit;
Fiet Aristarchus [65]); non dicet: Cur ego amicum

lius Varus erat poëta eximius et censor sincerus, ejus mortem deflet Horatius L. I. od. 20.

54) Sensus: elige tibi potius censorem Quinctilio similem, qui, cum aliquid illi recitas, statim dicit, etc.

55) Te posse, subintellige: facere. Supplenda est etiam particula, si: si negares etc.

56) Male tornatos, id est, male compositos versus. Tornatus, caelatus, expolitus, exasciatus; translata haec sunt ab artificibus, qui opus aliquod vel torno effingunt, vel caelo exsculpunt, vel lima expoliunt, vel ascia laevigant. Cum addit Horatius: incudi reddere, perstat in imagine, ab artifice quodam translata, ab eo scilicet, qui opus, quod diffingere vult: iterum tradit incudi. Junxit igitur duas inter se imagines, alteram ab artifice, qui opus terno fingit, alteram ab eo, qui metallum incude diffingit. Sensus est: totum locum delere, et male compositos versus de integro elaborare jubebat.

57) Delictum; errorem commissum.

58) Vertere, mutare, emendare.

59) Sensus: ne verbum quidem addebat, nec opera sua amplius impedire studebat, quominus tibi soli tuis versibus placeres sine rivali, sine ullius invidia. Qui enim facit quod nemo imitari vult, non habet rivalem, aemulum. Insumebat, impendebat.

60) Bonus et prudens vir, id est, sincerus et prudens censor.

61) Versus inertes, quibus deest poëtae vis et ingenium, inelegantes. Duros, id est, moleste incedentes, non bene fluentes. Culpabit, reprehendet.

62) Incomtos, id est, negligenter, temere et sine arte fusos versus transversa facta per calamum lineola, vel asterisco, vel obelo (ut versus quosdam Homericos Aristarchus) notabit.

63) Ambitiosa: placendi et vanae gloriae captandae causa ambitiose conquisita ornamenta.

64) Parum claris; obscuris. Lucem dare, perspicuos reddere coget, scriptorem nempe.

65) Aristarchus, grammaticus Alexandrinus, qui in eo maxime operam posuit, ut Germanos Homeri versus a spuriis, qui in ejus opera irrepserunt, distingueret; hosque obelo, h. e. lineola transversa notabat. Hic Aristarchus proverbiali locutione pro quovis severo judice et censore ponitur.

Offendam in nugis? Hae [66]) nugae seria ducent
In mala derisum semel exceptumque sinistre.
Ut [67]) mala quem scabies [68]) aut morbus [69]) regius urget,
Aut fanaticus [70]) error et iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent fugiuntque poëtam,
Qui sapiunt; agitant [71]) pueri, incautique sequuntur;
Hic [72]), dum sublimis versus ructatur et errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foveamve, licet, Succurrite, longum
Clamet, Io cives! non sit, qui tollere curet;
Si quis curet opem ferre, et dimittere funem,
Quî scis, an prudens huc se dejecerit, atque
Servari nolit? dicam, Siculique poëtae
Narrabo interitum [73]): Deus immortalis haberi

66) Sensus: ast haec ipsa leviora, non mature reprehensa, postea bonae famae scriptoris, semel decepti et parum honorifice ab aliis dijudicati, nocebunt. Ordo est: hae nugae ducent in mala eum, qui semel derisus et censuris sinistre, male exceptus est.

67) Sensus et ordo: certe, qui sapiunt, adeo fugient vesanum, vecordem poëtam; quemadmodum fugere solemus scabiosos, ictericos, et fanaticos seu lunaticos.

68) Scabies mala, abominabilis.

69) Morbus regius, Graece ἴκτερος; Latine: aurugo sive aurigo; eo morbo, ob flavam bilem abundantem, facies fit tota crocea instar auri, quod metallum regium est; fortasse etiam ideo regius est cognominatus hic morbus, quia mulso curabatur. Mulsum scilicet (vinum melle conditum) pertinet ad delicias, quas reges imprimis et beatiores appetunt, et facile sibi comparare possunt.

70) Fanaticus error, insania, furor, quo aliquis correptus huc illuc agitur. Credebantur hi dementia percussi a Diana irata; Diana autem eadem est cum Luna, hinc etiam lunatici dicebantur; fanatici vero ab fanis seu templis, quorum in foribus vulgo stabant opem aut hominum aut Deorum imploraturi.

71) Agitant pueri, id est, quem poëtam vesanum agitant incauti pueri tantum; parum sibi caventes ab impetu, quem furiosus in eos facere posset.

72) Sensus: quodsi hic sublimis, id est, erecto in altum capite versus tumidis buccis crepat et fundit; atque foris in campo vel silvis huc illuc vertitur et ruit, bacchatur, circumvagatur, et circumerrans in puteum decidit vel foveam, quemadmodum auceps capiendis merulis intentus; licet longum, id est, diu clamet: succurite cives! tamen nemo, quaeso, accurrat et opem ei ferat; vel: neminem tamen adesse velim, qui eum extrahendum curet. Quis enim scit, an non sciens et volens se praecipitaverit in puteum, ut ibi pereat; quemadmodum Empedocles in ardentem Aetnam sponte insiluit? Hoc ultimum autem sic expressit Horatius: Ac si quis quo casu funem demittat, eumque tollere velit ex puteo; dicam illi: qui scis, an non prudens, sciens, ac volens huc se praecipitaverit; ac servatus esse nolit? illudque, quod Empedoclem poëtam Siculum, fecisse constat, ut Deus haberetur, narrabo etc.

73) Fabula de interitu Empedoclis circumferebatur haec: Cum immor-

Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus[74]) Aetnam
Insiluit. Sit jus[75]), liceatque perire poëtis:
Invitum qui servat, idem facit occidenti.
Nec[76]) semel hoc fecit; nec, si retractus erit, jam
Fiet homo, et ponet famosae[77]) mortis amorem.
Nec[78]) satis apparet, cur versus factitet; utrum
Minxerit in patrios[79]) cineres, an triste bidental[80])
Moverit incestus[81]); certe furit, ac velut ursus,
(Objectos caveae valuit si frangere clathros,)
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus[82]);
Quem vero arripuit[83]), tenet occiditque legendo,
Non[84]) missura cutem, nisi plena cruoris hirudo[85]).

---

talis haberi cuperet, eum, ajunt, clam in montem Aetnam enixum, eo consilio ibi in ardentem craterem se praecipitem dedisse, ut si repente evanuisset, ex homine Deus factus crederetur; rem autem ferreis ejus crepidis ex cratere cum massa ardente ejectis patefactam esse. Ostendere igitur vult Horatius hac narratione, magnum adeo illum poëtam Empedoclem eo consilio in craterem Aetnae desiluisse, ne a quoquam inde posset extrahi.

74) Frigidus, facete opponitur ardenti Aetnae.

75) Sensus: detur itaque poëtis venia et potestas pro lubitu pereundi; quod enim isti licuit, cur id non liceat quoque aliis male sanis poëtis? et cur a pernicie, quam ipsi volunt, adhibita vi retrahantur? Certe qui invitum servat idem facit, parem culpam sibi contrahit, ac ille, qui aliquem occidit.

76) Redit hic Horatius iterum ad insanum poëtam, qui prudens volensque in puteum dejectus servari nolit. Sensus: is profecto non prima vice se in puteum dejecit; neque ab amicis extractus, homo, id est, sanior fiet; sed stultae laudis amore nomen ac famam sibi quaerere perget ex mortis genere inusitato.

77) Famosae: memorabilis et sermonibus hominum celebrandae.

78) Horatius aliam rationem adfert, cur ei succurrendum non sit; quia forte ille poëticus furor in poenam scelerum ipsi est immissus. Sensus: utique non satis constat, cur a Diis, aliquod illius fortasse scelus expiantibus, furere ita permittatur et versus facere? Forsitan paternum sepulcrum violavit, vel bidental calcavit impius. Insanit certe furioso similis, et sicut ursus, qui caveae clathros, id est, cancellos et septa domunculae, qua includitur, effregit, doctos et indoctos in fugam vertit, quorum quilibet sibi timet, ne in recitatorem intolerabilem carminum incidat.

79) In patrios cineres mingere, pro: patrios cineres impio pectore turbare, vel protervius iis insultare.

80) Bidental est locus fulmine ictus, qui apud veteres Romanos erat religiosus, sacerque fiebat, ara exstructa et peracto sacrificio ex ovibus bidentibus, unde nomen ductum; eum porro lucum nefas erat ingredi vel calcare. Moverit, violaverit, irritaverit.

81) Incestus, impius, flagitiosus, non castus. Casta autem vocabantur omnia pia, et sancta.

82) Acerbus, id est, acerbe molestus. Dici enim non potest, quanto semper odio fuerint, hodieque sint, malorum operum importuni recitatores.

83) Arripuit, id est, quasi per vim ad se recitantem audiendum pertraxit. Tenet tanquam vinctum etc.

84) Sensus: instar hirudinis, quae adprehensam cutum mordicus premit, nec eam, nisi plena exsucti cruoris, ex ore dimittit.

85) Hirudo, sanguisuga, pisciculus instar serpentis exigui, qui nantium corpora incidit, et cuti se adplicans sanguinem ita sugit, ut non dimittat cutem, excidatque, antequam plenus sanguine sit; adhibetur is etiam aegro ad vitiosum sanguinem exprimendum.